5 · 3 · 138

Digitized by Google

VIII

T. 2

Digitized by Google

VEN. CARDINALIS

CAESARIS BARONII

EPISTOLAE ET OPVSCVLA

TOMVS SECVNDVS.

Digitized by Google

Digitized by Google

VENERABILIS
CAESARIS BARONII
S. R. E. CARDINALIS BIBLIOTHECARII
EPISTOLAE ET OPVSCVLA
PLERAQVE NVNC PRIMVM EX ARCHETYPIS IN LVCEM ERVTA

RECENSVIT NOTISQVE ILLVSTRAVIT

RAYMVNDVS ALBERICIVS
CONGREG. ORATORII ROMANI PRESBYTER SECVLARIS

TOMVS SECVNDVS
CONTINENS

EJVSDEM BARONII ET CLARORVM VIRORVM AD EVM EPISTOLAS SELECTAS AB ANNO M.DC. AD ANNVM M.DC.VII. AC VITAM S. GREGORII NAZIANZENI.



ROMAE MDCCLIX.

EX TYPOGRAPHIA KOMAREK, PROPE ORATORIVM SANCTI MARCELLI.
PRAESIDVM FACVLTATE.

Digitized by Google

EMINENTISSIMO ET REVERENDISSIMO PRINCIPI

CAROLO ALBERTO GUIDOBONO CAVALCHINI

S. R. E. CARDINALI

EPISCOPO ALBANENSI.

RAYMUNDUS ALBERICIUS

PRESBYTER SECULARIS ORATORII ROMANI P.

QUUM *primum de* VENERABILIS CAESARIS BARONII CARDINALIS *Epiſtolarum volumine altero illuſtrando evulgandoque inſedit animo cogitatio*, PRINCEPS EMINENTISSIME, *ſtatim illud celebratiſſimo*

nomini Tuo conſecrare decrevi. Quis enim poſt fauſta atque praeclara auſpicia optimi Sanctiſſimiſq. Pontificis CLEMENTIS XIII. quem Deus Eccleſiae bono diu ſoſpitem ſervet; quis, inquam, Baronianas haſce Epiſtolas & Opuſcula ad Te potiſſimum pertinere non videat, qui Venerabilem Auctorem non minus ob ſummam dignitatem, quam propter eximiam rerum ſcientiam ita redoles, ut viva quadam ejus eſſe imago videaris? Ille enim dum in ingenti Annalium opere conficiendo diurna nocturnaque manu verſaretur a Clemente VIII. Pontifice ſapientiſſimo invitus omnino ac reluctans ad purpurae ſplendorem attractus, ita ſe geſſit, ut & pietate in Deum, & comitate in omnes, & miſericordia in pauperes unus omnium maxime floruerit, ſummique honoris ſemel atque iterum dignus fuerit exiſtimatus; Te munus difficillimum magna doctrinae, prudentiae, ac integritatis laude exercentem, Benedictus XIV. Pontifex doctiſſimus, & in aeſtimandis hominum ingeniis vir acerrimi exquiſitique judicii, Te, inquam, in ampliſſimum Purpuratorum Patrum Senatum plaudentibus bonis omnibus cooptavit, & Epiſco-

porum

porum ac Regularium Congregationi praeſecit, ſaepe cum re tum verbis ingenuè conteſtatus, quam praeclare, quamque honorifice de Tuo ingenio, deque virtutibus ſentiret Tuis. Quarum Tu inſtructu comitatuque ornatus, non modo optimo illi Pontifici multorum annorum ſpatio operam probaſti Tuam, ſed etiam in Collegarum mentibus eam de Te opinionem exiſtimationemque excitaſti, ut Te potiſſimum evehendum putarent ad faſtigium ſummae dignitatis. Quid vero de forti animo dicam atque conſtanti, quo omnem terreſtrem gloriam infra te poſitam eſſe oſtendiſti, ut & VEN. CARDINALIS BARONII in honoribus fugiendis deſpiciendiſque exemplum renovaſſe, & Te ipſum quodammodo ſuperaſſe viſus fueris?

Neque ſolum, CARDINALIS AMPLISSIME *haec Tua cum Ven. Auctore noſtro morum ſimilitudo atque virtutum, ſed etiam cum rerum ipſarum dignitas, tum privatum meum erga Te officium poſtulare videbatur, ut ſecundus iſte Baronianarum Epiſtolarum Tomus nomini dicatus Tuo in publicam hominum lucem celebritatemque veniret. Nam praeterquamquod multa in eo invenies rem*

litte-

Digitized by Google

litterariam, ac praeſertim Eccleſiaſticam hiſtoriam illuſtrantia, multa quibus ad pietatem excitentur legentium animi, eam ex S. Gregorii Nazianzeni cognomento Theologi Vita perlegenda voluptatem profecto hauries, quam ſingularis Tua eruditio, ingenſque Tuus in ſanctiſſimos Eccleſiae Doctores amor expoſcit.

Jam vero, quid de privatis Tuis in me officiis dicam? Quae tot tantaque ſunt, ut quum nil unquam Te dignum offerre Tibi potuerim, ex quo eum me eſſe in te colendo obſervandoque perſpiceres, qui multis juſtiſſimiſque de cauſis eſſe debeo; cogar nunc ad aliena confugere, Teque exorare, ut non tantum ex hoc munere, quantum ex humanitate, & praeclariſſimis virtutibus Tuis meam erga Te obſervantiam metiare.

Accipe igitur, Princeps Eminentissime, *haec ex tenebris nunc primum in lucem prolata illius Ven. Cardinalis monumenta, cujus Tu virtutes reſque praeclare fortiterque geſtas tam egregie imitaris. Neque enim dubito quin Tu, quum Auctorem ipſum magni facias, meos etiam in ejus ſcriptis colligendis illuſtrandiſque labores aequi boni-* que

que ſis conſulturus. Nam etſi in meis ad haſce VEN. BARONII *& clarorum virorum ad eum Epiſtolas adnotationibus, nihil exquiſitum, nihil non vulgatum, ac ubique obvium reperiri, tenuitatis ipſe meae conſcius optime noſcam, atque profitear, eam tamen ſcio eſſe in tanta dignitate, tantaque negotiorum mole humanitatem Tuam, eaque jam a multis annis non obſcura in me benevolentiae ſigna contuliſti, ut facile intelligam, hoc quodcumque ſummae meae in Te obſervantiae teſtimonium gratum Tibi acceptumque futurum: &, ſi non operam ac ingenium (quod ſentio quam ſit exiguum) poteris laudare, voluntatem certe litteras promovendi meam, haud Te improbaturum eſſe confido. Vale. Ex aedibus Vallicellanis, Idibus Novembris MDCCLIX.*

APPROBATIO.

E*Piſtolarum Venerab. Card. Baronii*, quas è tenebris erutas collegit ac eximiis Notis illuſtravit *V. Cl. Raymundus Albericius Congregationis Romani Oratorii Presbyter*, Reverendiſsimi P. Magiſtri S. P. juſſu Volumen alterum legi; in quo nec quidquam reperi, quod vel ab Orthodoxa Fide vel ab incorrupta morum doctrina abhorreat, & eadem quae in ſuperiore Volumine mihi tum in Epiſtolis, tum in Notis, tum in *Vita S. Gregorii Nazianzeni* ab eodem *Baronio* deſcripta, eminere videtur pietas & eruditio. Quamobrem Secundum Tomum aeque ac Priorem publica luce dignum cenſeo. Datum Idibus Septembris CIϽIϽCCLIX.

Michael Angelus Giacomellus.

AP-

APPROBATIO.

IN ſecundo Volumine *Epiſtolarum*, *quas* Ven. Vir *Caeſar Baronius Cardinalis* ad homines miſit dignitate, pietate, aut eruditione praeſtantes, vel quas illi viciſſim ad ipſum dedere; quaſque omnes Clariſsimus *D. Raymundus Alberici Congregationis Romani Oratorii Presbyter* eruditiſsimis animadverſionibus illuſtravit, auxitque *Vita S. Gregorii Nazianzeni* ejuſdem Baronii calamo graphice deſcripta; nil reprehenſione dignum inveni; nil quod Religionem & datam a Jeſu Chriſto Fidem violet; nil quod rectas labefactet morum regulas. Ea propter quum Reverendiſsimi P. Magiſtri S. P. mandatis me feciſſe ſatis mihi videar, fidenti animo illud & in praeſenti repetam, quod de primo Volumine eſt a me dictum; Librum nempe dignum eſſe, qui Typographi opera publicam emittatur in Lucem.

Dat. Romae, in AEdibus S. Silveſtri Montis Quirinalis XIII. Kal. Octobris, An. R. S. cIↃ.IↃCC.LIX.

Antonius Franciſcus Vezzoſi
Ex-Generalis C. R.

IMPRIMATVR.

Si videbitur Rm̃o Patri Magiſtro Sacri Pal. Apoſtolici.

F. M. De Rubeis Patriarcha Conſtantinopol. Viceſg.

IMPRIMATVR.

Fr. Vincentius Elena Rm̃i Patr. Mag. Sac. Pal. Apoſt. Soc.

Google

AD CLARISSIMUM PRAESULEM

MARIUM MAREFUSCUM

SAC. CONGREG. DE PROPAGANDA FIDE
A SECRETIS

In Tomum Secundum Epiſtolarum &c.

RAYMUNDI ALBERICI

PRAEFATIO.

SErius aliquanto , quam initio cogitaram , volumen hoc alterum Epiſtolarum Venerabilis CAESARIS BARONII S. R. E. CARDINALIS offero Tibi , MARIE PRAESUL AMPLISSIME , non quidem mea ignavia ac negligentia , ſed valetudine impeditus . Enim vero multae me cauſae , tum propriae , tum communes cum aliis , non ſolum impellere , verum etiam cogere quodammodo videbantur , ut reliquis hiſce praeſtantiſſimi Cardinalis Epiſtolis quam citiſſime evulgatis , deſiderio occurrerem Tuo , haberemque ſimul facultatem ſum-

Digitized by Google

ſummae meae in Te obſervantiae ardentiſque ſtudii, non obſcuro aliquo, ac brevi, ſed publico & perenni monumento teſtificandae.

Et primum quod ad me attinet, Tu ad Tuam amicitiam aditum, quem meus mihi pudor intercludebat, ultro aperuiſti: Tu me ad ſuſceptum edendarum Baronii Epiſtolarum opus perficiendum, conſilio, auctoritate, ſapientia Tua excitaſti: Tu litterarias opes Tuas, eximiamque librorum ſuppellectilem, non minus Tuo, quam amicorum commodo ac utilitati, ſummo judicio & delectu, magnis ſumptibus comparatam, mihi ultro obtuliſti: ad haec nullum unquam finem facis me diligendi, ornandi, ac beneficiis omnibus proſequendi.

Atque hae ſunt cauſae, Praesul Amplissime, quae me privatim adigebant, ut munere hoc, (quod jucundiſſimum Tibi fore certo ſcirem), Tuae erga me benevolentiae gratiam referrem. Communes vero cauſae, ac publicae, quae magis etiam, quam propriae & privatae gratum meum erga Te animum exigunt, tot tantaeque ſunt, ut vix poſſint oratione comprehendi. Nam ut egregium in optimas artes, quibus a puero deditus fuiſti, amorem ac ſtudium omittam; tantum ſolidae ac verae Theologiae ex ſacris nimirum utriuſque Teſtamenti libris, ex Conciliorum Sanctionibus, Summorum Pontificum decretis, ex SS. denique Patrum ſcriptis, petitae ac derivatae; tantum, inquam, verae huic Theologiae tribuis, ut in eximiis illis doctrinae ac ſapientiae theſauris depromendis acquirendiſque continuo Tibi elaborandum eſſe intelligas, eamque ſis ſacrarum rerum atque omnis Eccleſiaſticae antiquitatis cognitionem adeptus, ut pauci Tecum comparari poſſe videantur.

Tot egregiis ornamentis nuper motus Sanctiſſimus Dominus noſter CLEMENS XIII. Pontifex Maximus, Te

Sacrae

Sacrae Congregationis de Propaganda Fide a Secretis eſſe voluit: qua quidem in re & Benedicti XIV. Praedeceſſoris ſui de Tua praeſtanti virtute judicium eſt ſequutus, & praeclara omnium ſapientum virorum teſtimonia comprobavit. Quibus Tu cumulate reſpondens, creditum Tibi ab optimo Principe ampliſſimum graviſſimumque munus ita geris, ut Te potioribus quibuſcumque honoribus dignum oſtendas. Inter negotia nihil arduum ac difficile occurrit, quod non expeditum ac facile Tua ſapientia reddas, nihil durum aut moleſtum, quod Chriſtiana virtute atque prudentia non temperes: quique eximias, (quae in Te emicant) animi dotes, in Te cogitant ac ſerio expendunt, Te muneribus longe amplioribus majoribuſque parem, conſtanti praedicatione aſſeverant.

His ego modeſta oratione proludens, reliquas has Baronii Epiſtolas, addita S. Gregorii Nazianzeni Vita ab eodem Ven. Cardinali accurate deſcripta, Tibi offero, Praesul Clarissime; quemadmodum tua cum in omni re, tum praeſertim in Eccleſiaſtica hiſtoria, rebuſque theologicis cognita ſatis explorataque doctrina poſtulabat. Quod ſi natura ita comparatum eſt, ut quos admiramur ac magni facimus, eorum omnia maxima minima cognoſcere cupiamus; quo tandem animo, quam grato, quam libenti, Te haec Sanctiſſimi doctiſſimique viri praeclara monumenta lecturum exiſtimabimus, quae & vivam quamdam illius imaginem ac ſpeciem praeſeferunt, & falſas nonnullorum opiniones ex animis evellunt? Nam ut cetera omittam, quae vel ad pietatem excitant, vel ad multarum rerum cognitionem conducunt, magnum ſane ex iiſdem Epiſtolis de Baronii conſtantia in tuenda ſana & ab Eccleſia recepta doctrina, judicium feres, vir ſapientiſſime.

Excipe igitur ea humanitate, qua tantopere praeſtas, alterum hoc Ven. Cardinalis Caesaris Baronii Epiſtolarum

rum Volumen. Hujuſmodi enim illud eſt, quod pretium & gratiam merito ſibi vindicat, tum praeſtantiſſimi Auctoris cauſa, & abſoluta ſolidae Theologiae doctrina; tum etiam rerum, de quibus agitur, gravitate, conditione & argumento. Vale.

S E-

Digitized by Google

SERIES
SIVE
CONSPECTVS
RERVM OMNIVM

Quae in hoc volumine continentur.

I.

DEdicatio Operis. pag. V.

II.

Cenſorum Judicia & Praeſidum Approbationes. pag. X.

III.

Praefatio in Tomum alterum Epiſtolarum & Opuſculorum Ven. Caeſaris Card. Baronii. pag. XIII.

IV.

Index eorum ad quos Ven. Card. Baronius Epiſtolas ſcribit in hoc ſecundo volumine contentas. pag. XIX.

V.

Index eorum qui ad Ven. Card. Baronium Epiſtolas ſcribunt in eodem volumine contentas. pag. XXI.

VI.

Pauli Benii Eugubini De Eccleſiaſticis Baronii Cardinalis Annalibus Diſputatio. pag. 1.

VII.

Ven. Card. Caeſaris Baronii & clarorum virorum ad eum Epiſtolae Selectae ab an. MDC. ad an. MDCVII. pag. 47.

Digitized by Google

VIII.

Ven. Card. Caeſ. Baronii Cenſura in librum de concordia gratiae liberique arbitrii P. Molinae. pag. 124.

IX.

Caeſaris Baronii De Vita S. Gregorii Nazianzeni liber. p. 241.

X.

Epitaphium S. Gregorii Nazianzeni. pag. 392.

XI.

Index Capitum Vitae S. Gregorii Nazianzeni. pag. 393.

INDEX

Digitized by Google

INDEX

Eorum ad quos Ven. Card. Baronius Epiſtolas ſcribit in hoc ſecundo volumine contentas.

Latinus numerus Epiſtolam, Arabicus paginam denotat.

A

ADAMO [Joanni] Archiep. Moguntino CLI. 92.

B

BARBARO [Franciſco] Patriarchae Aquileae CXCVII. 236.
BARONIO [Juſto] Veteracaſtrenſi CXLII. 72. CXLVII. 83. CXLIX. 84. CLIII. 95.
BONCIARIO [M. Antonio] CLXXVIII. 161.

C

COLUMNAE [Aſcanio] Cardinali CLXXXI. 171.

G

GUIDICCIONIO [Alexandro] vide Lucenſi Epiſ.

H

HENRICO IV. Galliarum Regi CXXXIII. 58.

L

LUCENSI Epiſcopo CLXIX. 151.

M

MASSONO [Papirio] CXL. 69.
MOGUNTINO Archiep. vide Adamo.

P

PHILIPPO III. Regi Catholico CLXXXII. 203.
PAULO V. Pont. Max. CXCIX. 208.

R

RODULPHO II. Romanorum Imperatori CLVIII. 102.
RECTORI ac Patribus Congr. B. M. V. Lucae CLXVIII. 150. CLXX. 153.
RAEMUNDO [Florimundo] CLXXII. 155.

S

SERARIO [Nicolao] CLV. 98.
SIGISMUNDO III. Regi Poloniae CLXXIX. 162.

Digitized by Google

SPONDANO [Henrico] CXCIV. 232.

T

TALPAE [Antonio] CXXXIV. 62. CXLVIII. 83. CLXXVI. 190. CLXXXIV. 215. CLXXXV. 216.

V

VILLARS [Petro de] Archiep. Viennenſi CLXII. 121.

INDEX

Eorum, qui ad Ven. Caeſarem Card. Baronium Epiſtolas ſcribunt in hoc Volumine contentas.

Latinus numerus Epiſtolam, Arabicus paginam denotat.

A

ABBAS S. Galli Ord. S. Benedicti CXCIII. 231.

B

BARONIUS (Juſtus) Veteracaſtrenſis CXXXII. 54. CXLIII. 74. CXLIV. 78. CXLV. 79. CXLVI. 80. CLII. 93. CLIV. 96. CLXIII. 140. CLXIV. 141. CLXXIII. 156. CLXXXIII. 207.

BISCIOLA (Jo: Gabriel) CXLI. 70.

BONCIARIUS (M. Antonius) CLXXVII. 160. CLXXXVI. 217. CLXXXIX. 224.

BINIUS (Severinus) CXCV: 233.

C

CAROLUS, vid. Novarienſis.

CASAUBONUS [Iſaac] CLXV. 143.

COLUMNA (Aſcanius) Cardinalis CLXXX. 165.

D

DELRIUS (Martinus Antonius) CXXXI. 53.

E

EMANUEL Luſitanus CXXVIII. 66.

EBROICENSIS Epiſcopus CLVII. 101. CLXXIV. 157. CLXXV. 158. vid. Joan.

F

FABER (Nicolaus) CL. 85. CLVI. 99. CLXVI. 145. CLXVII. 146.

G

GEMINARA (Philippus) CXXIX. 47. CLXXXVII. 219.

GRYLLUS (Angelus) Ab. Caſſinenſis CLXXI. 154.

H

HENRICUS IV. Rex Galliarum CXXXV. 63. CXXXVI. 64.

I

JOAN. Ebroicenſis Epiſcopus, vide Ebroicen.

L

LAMATA (Franciſcus) CLXI. 113.

M

MASSONUS (Papirius) CXXXIX. 68.

MELIUS (Federicus) CXC. 224.

NO-

N

NOVARIENSIS Epiſcopus (Carolus) CLX. 111.

P

PERRON [Jacobus Dauy du] CXXXVII. *65*.
PERERIUS [Benedictus] CXCVIII. 237.
PIGNORIUS [Laurentius] CLXXXVIII. 222.

R

RIO [Martinus del] Vide Delrius.
RADERIUS (Matthaeus) CLIX. 105.

S

SANTANGELUS [Hieronymus] CXXX. 51.
SALESIUS [Franciſcus] Epiſc. Gebennenſis CXCVI. 234.

V

VITUS (Jacobus) CXCI. 228. CXCII. 229.

PAULI

PAVLI BENII EVGVBINI

SACRAE THEOLOGIAE DOCTORIS

DE ECCLESIASTICIS

BARONII CARDINALIS

ANNALIBUS DISPUTATIO.

Digitized by Google

CLEMENTI VIII.

PONT. MAX. (a)

Religionis ac morum propugnatori, atque reſtitutori acerrimo.

PAULUS BENIUS (b) EUGUBINUS PERPETUAM FELICITATEM.

IOannes Vincentius Pinellus, *quem ego plurimi ſemper feci, poſtulaverat a me, ut ſibi de Eccleſiaſticis Baronii Cardinalis Annalibus aliquid perſcriberem; ac ſententiam meam diſputatione aliqua declararem. Ut enim ſumma cum approbatione illos legebat ac voluptate, optabat (opinor) vir clariſſimus, atque omnium virtutum laude ornatiſſimus, aliorum quoque judicium & approbatio-*

a Vide quae de hoc Pontifice diximus in notis Tom. I. pag. 356.

b Hic Eugubij nobili genere natus, atque in omnium ſcientiarum ac praeſertim in optimarum artium ſtudiis egregie ac liberaliter inſtitutus, magnum in iiſdem nomen eſt adeptus. Quare ejus opera Venetorum Reſpublica uſa eſt, ut in florentiſſima Patavii Academia humaniores litteras magno ſtipendio profiteretur: quo munere viginti ſex annorum ſpatio ita perfunctus eſt, ut quam de ſe antea excitaverat expectationem, non modo ſuſtinuerit, ſed etiam longe cumulateque ſuperaverit. Et quamquam magnam ſibi invidiam apud litteratos homines conflaverit, quod nonnulla clariſſimorum virorum opera cenſoria virgula notare auſus fuerit; magnum tamen ſuis operibus rei litterariae ornamentum lucemque attuliſſe, omnes fatentur. Peruſiae quoque Theologiae ſtudia protelluſ, eſt; atque in Romano etiam Archygimnaſio Philoſophiam publica docuit, unde merito eum egregium Theologum, Philoſophum, oratorem & poetam appellant. Latinarum litterarum cognitioni, Hebraicarum, Graecarumque ſcientiam copulavit. Fuit a ſecretis primum Cardinalis Madrutii ſenioris Epiſcopi Tridentini, ac deinde Franc. M. II. ultimi Ducis Urbini. Obiit Patavii die XII. Februar. ann. 1625. aetatis anno LXXII.

Praeter diſputationem de Ven. noſtri Card. Baronii Annalibus, quam huic ſecundo Baronii Epiſtolar. & Opuſculorum tomo praeponendam duximus & quod docte atque eleganter ſcripta, & quia rariſſima eſſet (unde factum eſſe eorum qui Baronii Annales Lucae ediderunt, oculos effugit); praeter hanc, inquam, diſputationem Romae ann. 1596. ſeorſum evulgatam, ſcripſit *Benius* latino idiomate: *Commentaria in ſex primos P. Virgilii Aeneidos libros*, Venet. 1622. *in Ariſtotelis Poeticam & Rethoricam*. Ibid. eodem anno apud Guerilium. *In Ethicam atque Platonis Politicam*, Romae 1594. *In Cajum Criſpum Salluſtium*, Venetiis 1622.

D. 2.

tionem audire, atque illorum praeſertim qui in hac Urbis luce atque adeo Orbis terrae theatro, degerent. Natura enim comparatum eſt, ut quod diligimus, id aliis quoque probari libentiſſimo animo audiamus. Ipſe itaque obtemperandum mihi ratus, tantiſper collegi animum a reliquis occupationibus & ſtudiis; & aliquorum dierum ſcriptione, meam illi opinionem ingenue expoſui ac declaravi. Cum vero ad nonnullorum manus noſtra perveniſſet diſputatio, jamque apud aliquos mendoſior cerneretur, omnino faciendum putavi, ut eam diligenter emendatam, publicis litteris conſignarem; id quod eo etiam libentius faciebam, quod intelligerem poſſe me hac ratione percommode amicorum multorum, qui illam a me requirerent, ſtudiis ac voluntati ſatisfacere. Quanquam (ne illud reticeam P. B. quod praecipuum eſt & caput) tua me in primis beneficentia permovit & incitavit. Cum enim iis ipſis diebus aliquod mihi tuae benignitatis atque clementiae indicium in ſtudiorum inſtauratione extare voluiſſes, meque item optime ſperare juſſiſſes; nihil antiquius habui, quam ut nova hac, quantulacumque eſſet, lucubratione, aliquam tibi grati animi ſignificationem darem; ac venerationem erga te meam teſtatiorem redderem. Nunc itaque Auguſtiſſimi nominis tui auctoritate atque ſplendore munita & cohoneſtata, prodit in lucem mea De Eccleſiaſticis Baronii Card. Annalibus *diſputatio. In qua equidem P. B. nihil gratiae concedam uſquam, ſed veritati tribuam omnia: nihil ficte dicam & ſimulate, ſed ex animo cuncta ingenueque perſcribam: denique, quantum in me erit, Baronianae hiſtoriae nihil ſive effingam, ſive detraham; ſed quidquid protulero, id (Deo bene juvan-*

Dialogum ſive *diſputationem, in qua quaeritur an ſive Actori, ſive Reo, & in univerſum oratori ingenuo, liceat in judiciis & concionibus affectus concitare, ac judicum animos flectere, & permiſcere: Orationem de humanae vitae fragilitate* ab eo habitam coram Clemente VIII. anno 1595. *De Hiſtoria libros quatuor: In M. T. Ciceronis Orationem pro lege Manilia: decades tres in Platonis Thimaeum: Tractatum de auxiliis*, Patavii 1613. *Centum Oratorias diſputationes.*

Italico idiomate edidit: *Il comento ſopra il Goffredo, Poema di Torquato Taſſo*, in Padova 1616 *La comparazione di Torquato Taſſo con Homero, Virgilio, e dell' Arioſto con Homero*, in Padova 1616. *Trattato della famiglia Triſſina. L'anticruſca, overo il paragone della lingua Italiana in quattro libri. Il Cavalcanti, overo la difeſa del paragone della lingua Italiana*, in Padova 1614. *Riſpoſta alle conſiderazioni del Malacreta ſopra il Paſtor fido del Cavalier Guarini. Apologia allo Scenofilico. Rime. Orazioni diverſe. Diſcorſi due dell' inondazioni del Tevere*, in Roma 1598. Extant adhuc inedita aliquot ejus opuſcula, nimirum *Orationes plures, ac Epiſtolae*: diſcurſus *varii politici, ac hiſtorici: Tractatus diverſi de comoedia, tragedia, ac de humanitatis ſtudio* Nonnulla ex hiſce operibus MSS. adſervari in Bibliotheca Ambroſiana, teſtatur Hieronym. Ghilinus, in Theatro virorum illuſtrium pag. 184.

Digitized by Google

juvante, ut ſpero) rerum ipſarum momentis ac rationum pondere demonſtrabo & confirmabo. Cum enim juvenis adhuc, illud mihi propoſuerim diligenterque curaverim in lucubrationibus meis, ut unam veritatem ſequerer, eamque ſincere & candide patefacerem, cur obſecro matura jam aetate ac ſenectuti quae a ſepulcro non longe abeſt, proximus, veritati quicquam antepenendum putabo? Quid? In Philoſophicis ſcriptionibus elaboravi ſemper, ut Ariſtotelis Platoniſque decreta quae explicabam mutuoque conferebam, ex Chriſtianae veritatis praeſcripto caſtigarem, ac noſtratibus Philoſophis viam atque rationem oſtenderem, unde Ariſtotelicae Platonicaeque Philoſophiae ſive ſcopulis declinatis, ſive ſalebris ſuperatis, ſine ulla Religionis morumque jactura & offenſione, immo vero cum pietatis quaeſtu & acceſſione, iſtorum libros evolverent; & quiſquam erit, qui me exiſtimet in Baronii Annalibus, ideſt in ſacroſanctis Eccleſiae antiquitatibus & monumentis inſtituti mei oblitum, cuipiam eblandiri ac fucos facere voluiſſe? Quid plura? An fortaſſe haec ad eum ſcribo, qui doctrinarum cognitione vulgariter imbutus ſit, ac ſacras in primis antiquitates leviter deguſtarit? Immo vero ad eum ſcribo, qui Italia tota, maxime vero Patavii, hoc eſt in celeberrimo optimarum artium domicilio & quaſi arce, excellenti doctrinae laude floret, ac celebratur: ad quem doctiſſimi viri perpetuo confluunt; cujus domum tanquam humanitatis, eruditionis, ſapientiae, theatrum frequentant: qui denique quadraginta jam ferme annos, libros undique ac totius antiquitatis monumenta incredibili & ſtudio & ſumptu conquiſita, diu noctuque pervolutare ſolet. Ut quemadmodum Pericles cum ad dicendum veniret, Deum enixe precabatur, ne ullum ſibi verbum excideret imprudenter; ſic ego in praeſentia omnino mihi cavendum putaverim, ne temere quicquam inconſiderateque proferrem; tantum abeſt ut veritatis ſtudio praetermiſſo, auribus mihi ſerviendum, aut gratiae quicquam tribuendum, eſſe cenſuerim.

Sed jam ad Eccleſiaſticos Baronii Annales ſeſe convertat oratio. In qua ſane, quoniam ampliſſimam illorum molem ſub uno aſpectu poſitam intueri licebit, ac partium ſtructuram, varietatem, uſum, decus tandem ac ſpeciem, veluti in tabula expreſſam aſpicere, in primis vero pulcherrima Eccleſiae effigies divinorum oraculorum luce, Apoſtolicarum traditionum ſplendore, & (ut cetera taceam, quae tibi jam jam ex ordine oc-

cur-

current omnia) martyrum ſanguine illuſtrata ac decorata in conſpectum ſe dabit, te, te inquam, appello Pater Beatiſſime: te pro tua pietate obteſtor, ut honeſtiſſimo huic ſpectaculo intereſſe, meoeque diſputationi ſexquiborae tempus tranſmittere, ne graveris. Vale Sanctiſſime Pater, atque ut laboranti Eccleſiae diu multumque ſuccurras, etiam atque etiam vale. Datum Romae X. Kal. Novembris MDXCVI.

PAVLI BENII EVGVBINI
DE ECCLESIASTICIS
BARONII CARDINALIS
ANNALIBVS DISPVTATIO.

Ad virum clariſſimum, ac nobilitatis, doctrinae, humanitatis, omni denique virtutis laude ornatiſſimum Joannem Vincentium Pinellum.

PAREBO tandem, *Pinelle Ornatiſſime*, ac libentiſsime parebo. Cùm enim illud me poſtremis litteris admoneas, non te, quod rei gravitas ac magnitudo poſtulet, ſed quod ipſe aut poſsim, aut velim requirere & flagitare, haud ſane habeo, cur diutius ejuſmodi onus refugiam: praeſertim vero quia ad extremum, quae eſt animi tui benignitas ac magnitudo, addis, ne ſi currenti quidem calamo brevem ad te epiſtolam in propoſito argumento exaravero, non eam tibi acceptam ac perjucundam eſſe futuram. Non igitur ubi tanta humanitate mecum agis ac lenitate, occupationes excuſabo, quibus in Philoſophia publice privatimque interpretanda diſtineor: non commentandi ſcribendique labores cauſabor, quibus Platonis, Ari-
ſtote-

Digitized by Google

ſtotelisque decreta non explicando ſolum & comparando, verum etiam ad divinorum oraculorum Eccleſiaeque normam caſtigando, ac publicis ſubinde litteris conſignando, diu noctuque impedior: non affectam aetatem infirmaſque vires afferam ac pene fractas, quas ejuſmodi oneri longe impares eſſe optime ſentio: non denique oblati muneris gravitatem (id enim me deterrebat in primis) ingeniique mei tenuitatem ac tarditatem obtendam, per quae mihi, ne volenti quidem, ac diu multumque laboranti, pro dignitate illi ſatisfacere licuiſſet. Cum enim vel unius diei, ne dicam horae, laborem atque operam non aſperneris, excuſationi ſane ac tergiverſationi locus ſupereſt nullus. Age igitur Pinelle candidiſſime, atque *Eccleſiaſticos Card. Baronii Annales*, quos tanta approbatione ac voluntate legere ſoles, tibi ante animum jam jam proponito: mihique (quoniam ſic jubes) quid de illis ſentiam candide ingenueque perſcribenti, vacuas aures interim mentemque praebeto.

De Baronii annalibus quinquepartita proponitur diſputatio.

Ergo *Baronii Annales*, ſive materiam ſcriptioni ſubjectam perpendas ac reputes, ſive perſonam aeſtimes a qua conſcribuntur, ſive locum unde in lucem prodeunt, ac tempora in quae incidunt, obſerves & ſpectes, ſive denique ſcriptionis ipſius rationem habeas (rationem cum dico, qua veritate & perſpicuitate, qua prudentia, qua pietate, qua eruditione, quo rerum omnium ſtudio & cognitione, quo denique ordine ac ſtylo ſcripti ſint requiro) ii ſane mihi videri ſolent, quibus nihil utilius & optabilius in Reipublicae Chriſtianae praeſidium & ornamentum poſſet a Catholico viro elaborari. Ut mihi quidem non tam humano conſilio atque induſtria conſcripti (quanquam hanc etiam libentiſſime agnoſco) quam divina nobis beneficentia & largitate conceſſi, videantur. Mirabitur hoc fortaſſe quiſpiam, qui vel non eos legerit; vel ſi legerit, non ea qua decuit cura & attentione, illos expenderit. Quapropter ut de re tota planius conſtet, lubet eam uberius proſequi; idque hinc ducto initio.

Prima pars in qua ex materia ſubjecta aeſtimantur: re tamen paulo altius repetita.

Qua ratione Chriſtiana praecepta traderentur ſtatim ab naſcentis Eccleſiae temporibus.

Fuit olim tempus, tametſi perbreve illud quidem & anguſtum, cum in Dei Eccleſia Chriſtianae praeceptiones atque doctrinae non fucatis eloquentiae ornamentis, aut

aut ſpinoſis Dialecticorum Phyſicorumque argumentis, & contentionibus, ſed ſimplici, ingenua, quaeque a curioſitate longius abeſſet, oratione traderentur. Declarant hoc candida Evangelicae doctrinae ac veritatis monumenta: declarant Petri, Jacobi, Stephani Epiſtolae & conciones, ac reliquorum denique Apoſtolorum ſcriptiones. Inter quos Paulus, ſi quando concertationes inſtituere coactus eſt, non perſuaſibilibus humanae ſapientiae argumentis egit, ſed ex divinis litteris rationes duxit. Ac ſapienter quidem & plane divine. Quum enim fidelibus, quippe Dei verbo renatis, nihil antiquius, nihil ſanctius, nihil auguſtius, dicam planius, nihil ad bene beateque vivendum utilius, contingere poſſet, quam divinis verbis atque adeo praeceptis inherere, ſupervacaneum ſane fuiſſet, ſive ad Platonis Ariſtoteliſque ſpatia divertere; ſive ex Stoicorum aliorumve Philoſophorum fontibus haurire. Denique noſtra inſtitutio ac doctrina de porticu Salomonis eſt, non de gymnaſiis Philoſophorum: nec philoſophica curioſitate aut humano ſenſu, ſed Chriſtiana ſimplicitate ac divino ſpiritu, comparatur. Verum enim vero, cum brevi exceſſiſſent feliciſſima illa tempora, quibus erat credentium cor unum & anima una, liquido hoc & puro ſapientiae genere, & a profanis concertationibus quam remotiſſimo, diu frui non licuit; quin etiam, cum ſacroſancta Evangelii promulgatio, unde perſonare coeperat univerſus terrarum orbis, philoſophos plurimos perculiſſet, ac Graecos praeſertim exulceraſſet, factum eſt ſane, ut iſti ad Apoſtolicas doctrinas tanquam ad patrium incendium, reſtinguendas, Chriſtianumq. nomen, quaſi humanae ſocietati exitiale, delendum, confluxerint, ac veluti ſigno dato, coierint omnes & conſpirarint. Quid plura? In Evangelium exardeſcentes, pro ſuo quique ſtudio & inſtituto omnes eloquentiae vires ac nervos in Chriſtianos intendunt: hos philoſophicis diſputationibus aculeatiſque ſophiſmatis laceſſunt: hos theatralibus conviciis maledictiſque divexant: hos demum, quaſi humana divinaque omnia violarent, terra marique inſectantur ac perſequuntur.

Hinc factum eſt, ut cum Chriſti Athletae nefariis hiſce hoſtibus fortiter reſiſtendum, ac, ne ſacra profanis,

Quo traderentur progreſſu temporis cum idololatrae Philoſophi Evangelium, haeretici Catholicam fidem inſectarentur.

coeleſtia terrenis, divina humanis conculcarent, iſti, quemadmodum ſanguine, ita diſputationibus obtinendum putaſſent; ad profanas quoque doctrinas (quod & Paulus interdum feliciſſimis auſpiciis aggreſſus erat inter Apoſtolos) diverterint: nec diverterint ſolum, ſed eas in Philoſophos ipſos, ut propriis illos armis expugnarent, mira dexteritate contorſerint. Quum enim agendum in primis eſſet cum idololatris, apud quos divina oracula nullo in pretio eſſent, ſed philoſophia vel una, vel maxime aeſtimaretur: cumque in humanis quoque diſciplinis non exiguas veritatis ſcintillas deliteſcere, atque adeo Chriſtianae veritatis ſemina & initia quaedam latere animadvertiſſent, quid ni haec arma protinus arriperent, ut ſceleſtiſſimos adverſariorum conatus impedirent ac frangerent? Hinc igitur tum ad Chriſtianae Religionis innocentiam tuendam & ſanctitatem, tum ad ſuperſtitioſam idololatriae repellendam impuritatem, contulere ſeſe Clemens Romanus, Ignatius, Quadratus, Ariſtides; qui omnes Apoſtolorum tempore floruerunt: Hegeſippus deinde, Juſtinus, Clemens Alexandrinus, aliique plurimi, quos poſteriora tempora exceperunt. Verum (proh ſcelus) dum hos invadunt noſtri, & in fugam jam jam convertunt, ecce tibi Cherinthi, Carpocrates, Marciones, Baſilides, Valentini, Novati, ac ſexcenti alii Catholicae fidei deſertores ac transfugae, clam cum noſtris hoſtibus conſpirantes, pugnam adverſus fideles inſtaurarunt, atque adeo bellum acerbiſſimum commoverunt. Siquidem cum Diaboli machinas in nos torſerunt omnes, tum maxime Philoſophorum decreta profanaſque doctrinas, quaſi faces ac tela, ad Catholicam veritatem proſternendam converterunt. Inter quos eo inſaniae profecti ſunt aliqui, ut unis Ariſtotelis Categoriis (pudet me facinus commemorare; quod etiam aliquibus fortaſſe videbitur incredibile; ſed quoniam a ſanctiſſimis ſummaeque auctoritatis viris [a] ſcribitur, commemorabo tandem) unis, inquam, Ariſtotelis Categoriis, unde litigioſas concertationes componebant, epiſtolaſque pervulgabant, nixi; filii divinitatem elevare, ac Spiritum ſanctum inter creaturas referre, non dubitarent: libidini quoque vitiiſque turpiſſi-

Idololatris decurſu temporis per fideles fugatis, haereticos adhuc acriter reſtitiſſe.

[a] Vide Baron. tom. III. pag. 693.

Digitized by Google

piſſimis nullam poenam, continentiae, pietati, ceteriſque virtutibus nullum praemium, deberi affirmarent. Haec, inquam, atque alia id genus pleniſſima turpitudinis decreta, quae enumerare longum eſſet, ac permoleſtum, in Ariſtotelis Philoſophorumque officinis conflarant adverſus Catholicam veritatem. Hinc vir ſanctiſſimus, qui ob excellentem rerum divinarum cognitionem Theologi nomen adeptus eſt, Gregorius, in hujuſmodi fallacias intuens: *Fuit quondam tempus* (inquit Orat. in laudem Athan.) *cum res noſtrae florerent, ac praeclare omnino ſe haberent: cum nimirum ſuperflua haec & fucata tractandae philoſophiae ratio ad divinas cauſas ne aditum quidem haberet: immo vero quod eſt calculis celeritate inverſionis aſpectum fallentibus ludere, & variis laſcivisque corporis flexibus ſpectatores ludificari, idem ferme erat novi aliquid & curioſi de Deo dicere vel audire. Contra vero ſimplex ingenuaque oratio, atque doctrina, pietas exiſtimabatur. At poſt quam Sexti & Pyrrhones & contradicendi libidine incitata lingua, vel ut gravis quidam & malignus morbus, in Eccleſias noſtras infeliciter irrepſerunt, o quis Hieremias confuſionem noſtram caliginemque deplorabit, qui ſolus novit calamitates lamentationibus exaequare?* Sed Tertullianum (ſi placet) audiamus lib. de an. & contr. Her. qui cum ſano adhuc uteretur & ingenio & ſtylo, in philoſophicas Hermogenis ſimiliumque haereticorum doctrinas tanquam in funeſtiſſimam Religionis peſtem & corruptelam ſic clamabat: *Hae ſunt doctrinae hominum & Demoniorum, prurientibus auribus natae de ingenio ſapientiae ſaecularis: quam Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta Mundi in confuſionem etiam philoſophiae ipſius elegit. Ea eſt enim materia ſapientiae ſaecularis temeraria interpres divinae naturae & diſpoſitionis: ipſae denique haereſes a philoſophia ſubornantur. Inde Aeones & formae neſcio quae, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate a Stoicis venerat: & uti anima interire dicatur, Epicurus obſervatur; & ut carnis reſurrectio negetur, de una omnium Philoſophorum ſchola ſumitur, & ubi materia cum Deo aequatur, Zenonis diſciplina eſt: & ubi ali-*

aliquid de igneo Deo allegatur, Heraclitus intervenit. Aeedem materiae apud haereticos & philoſophos volutantur: iidem retractatus implicantur. Haec Tertullianus: quae ſubinde egregiis illis vocibus claudit. *Quid ergo Athenis cum Hieroſolymis? Quid Accademiae & Eccleſiae? Quid haereticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de porticu Salomonis eſt, qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quaerendum. Viderint, qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum, Chriſtianiſſimum protulerunt.* Jam vero Chryſoſtomus [1] in iſtorum doctrinas haereticorum, qui philoſophia in Eccleſiam graſſarentur, excandeſcens, eorum verba cum euripis, opiniones cum ſepulcris, confert: eoſdem, haereſes ex philoſophia derivaſſe, nec tam ſapientiae, quam idololatriae ac ſuperſtitioni ſtuduiſſe affirmat. Atque ob id etiam, quum videret haereticos Ariſtotelica doctos, in Filii ac Spiritus ſancti divinitatem irrupiſſe. *Periit*, inquit [2], *veritas ab impiis proſtrata: & Ariſtotelica doctrina graſſata eſt.* Ac rurſus Apoſtolum appellans. *Indignare*, inquit, *pro fide: ac plenus indignationis, dic haereticis. Unde nam Ariſtotelica docti eſtis?* Sic Chryſoſtomus. Quid vero Lucifer Calaritanus [3] Epiſcopus atque Arianorum oppugnator acerrimus? Nonne Conſtantio ejuſdemque ſectatoribus ſimilem plane calliditatem exprobravit? Nec profecto diſſimili ardore in hujuſmodi doctrinas haereticorum, invectus eſt [4] Julius Primus; qui cum ſummus eſſet Eccleſiae Antiſtes, pro illo quo debuit ſtudio, Arianis ac ceteris ejuſmodi veteratoribus graviter orationis fucos ac fallacias objecit. Idem praeſtiterunt ſanctiſſimi viri Iraeneus [5] Hieronymus [6] Auguſtinus, [7] atque alii multi, qui proditores iſtos Aegyptiacas veluti plagas inter fideles irrepſiſſe, Daemonem magiſtrum habuiſſe, zizanias ſuis artibus in Eccleſiae campum invexiſſe, atque id genus multa obiiciunt. Ut propterea jure cecinerit Prudentius hymn. in inſ.

Quid

1 Vide hom. 7. In Epiſt. ad Cor. hom. 65. In Jo. & hom. 4. in epiſt. ad Rom.

2 In illud in princ. erat Verb.

3 In lib. cui tit. moriendum pro Filio Dei.

4 Vide Baron. tom. III. Annal.

5 Lib. I. adverſus haeret. c. XXIV. & lib. II. c. XIX.

6 Hieron. In cap. IV. Epiſt. ad Epheſ. & alibi.

7 Aug. epiſt. 131. lib. VIII. de Civit. c. VI. & alibi.

Quid non libido mentis humanae ſtruat?
Quid non malorum pruriat?
Statum laceſſunt omnipotentis Dei
Calumnioſis litibus.
Fidem minutis diſſecant ambagibus,
Ut quiſque lingua eſt nequior.
Solvunt ligantque quaeſtionum vincula
Per Sylogiſmos plectiles.
Veh captioſis Sycophantarum *ſtrophis*
Veh verſipelli aſtutiae;
Nodos tenaces recta rumpit regula
Infeſta diſertantibus.
Idcirco Mundi ſtulta delegit Deus,
Ut concidant ſophiſtica
Deque imbecillis ſubjugavit fortia,
Simplex ut eſſet credere.

Hi Patrum clamores in haereticos philoſophos: hae quaerelae & indignationes, quibus ſane etſi multum profecerunt, non tamen aut reſtrinxerunt penitus illorum rabiem, aut dolos omnes praeſtigiaſque compreſſerunt. Siquidem Platonicis ac Stoicis vel labefactatis, ac prope fractis, vel certe, quoniam utiliter legi atque uſurpari poterant, non cum haereticis perverſe ac ſubdole, ſed ſaniore judicio expoſitis, atque ad bonam frugem revocatis, (id enim non dicam a Philone & Euſebio, ſed a Clemente Alexandrino & Juſtino; in primis vero a Theodoreto, Auguſtino aliiſque ſubinde multis, perfectum eſt) ad Ariſtotelis latebras confugerunt illi: ubi novos dolos & machinas commoliti, novis fallaciis atque artibus inſtructi, toti denique ad decipiendum compoſiti, Eccleſiam perdite oppugnarunt. Quid multa? Idololatris paulo poſt ab iſtorum ſocietate exturbatis, ac noſtro hoc terrarum orbe fugatis undique & victis, ipſi uni Ariſtotelis armis praefidentes vel maxime, permultis nobis ſeculis calamitoſum bellum non ſine magno Catholicae Reipublicae malo ac fidelium luctu, intulerunt. Etſi enim Ariſtotelis quoque philoſophia haberet permulta, quae cum Chriſtianis decretis conſentirent, ac ſummatim fidelibus (ſi tamen

Digitized by Google

tamen recte illa ac debita cautione adhibita uterentur) magno uſui eſſe poſſet; haeretici tamen per ſummam improbitatem & impietatem ſuis illam erroribus, impoſturiſque tuendis, & incautis decipiendis, uſurpabant ac referebant totam. Cum enim eo proceſſiſſet eorum temeritas, ut per ſpeciem pietatis, Apoſtolorum Chriſtique ipſius & dicta & facta ſuae patrocinium impietatis effeciſſent: quaeque eſſent integerrimae ſanctiſſimaeque vitae norma, ac regium ſalutis iter oſtenderent, illis ipſis pulcherrimam Chriſti ſponſam contaminatiſſimis, ſaepe etiam ferinis moribus imbuere, atque adeo ſuper carbones denigrare, niterentur; quid mirum ſi Ariſtotelis dogmata, ingenioſa illa quidem & ſcita, ſed abſtruſa tamen & ambigua, plerunque etiam lubrica & ſalebroſa, praepoſtere uſurparent, atque in deteriorem partem converterent. Hinc & ſi optaſſent Patres ut longe faceſſerent iſti cum ſuo Ariſtotele, praeſertim vero quia divina myſteria humanas rationes naturamque ipſam pleraque ſuperarent, ac ſummatim non humanis argumentis & perſuaſionibus, ſed fide (haec eſt enim ſperandarum rerum ſubſtantia) Deique virtute praeparentur Chriſtiana pectora (propterea enim nos hortabatur Apoſtolus ad animos in obſequium fidei mancipandos) veruntamen cum de ſua procacitate nihil remitterent illi, ecce tibi favente Deo ſcholaſtici theologi extiterunt tandem, qui & ipſi ad peripatetica ſpatia divertentes, Ariſtotelica tela haereticorum furori ſubtraxerunt: atque a jugulis noſtris depulſa, in eorum viſcera converterunt. Quum enim jamdiu auguſtiſſimus Eccleſiae propugnator Auguſtinus eo veluti digitum intendiſſet, unde arte ac via, hoc eſt ſubtiliter & Ariſtotelico fere more ac modo, theologica decreta diſſerere liceret, atque haereticorum conatus frangere; omnino decreverunt Patres iſti hanc quoque viam arripere, & cum procaciſſimis hoſtibus in ipſomet Peripateticorum campo Ariſtotelicis armis, confligere & decertare. Inter quos B. Thomas, cui cave quenquam (niſi forte Auguſtinum) vel ingenii magnitudine, vel ſapientiae laude anteponas; eo rem adduxit, ut hoſtes tandem Peripato derelicto, armis ipſis turpiter abjectis, una ſibi fuga conſulendum putarint. Etſi enim ab initio a multis anceps

Haeretici quoque a ſcholaſticis theologis fugantur.

Digitized by Google

anceps, cenſeretur pugna, aliqui etiam quaſi Ariſtotelica decreta a Chriſtiana veritate plurimum diſſentirent, periculorum pleniſſimam eſſe arbitrarentur, ille tamen, quae de rebus divinis ab Ariſtotele conſcripta eſſent, contemplativae theologiae, quae de moribus, morali accomodans; denique Ariſtotelea omnia ſive ad Chriſtiana Catholicaque dogmata confirmanda contrariaque refellenda, ſive ad theologicas praeceptiones explicate riteque tradendas, ac certo conſtantique ordine diſponendas, admirabili ac prope divina dexteritate referens, Ariſtotelicam philoſophiam tanquam acutiſſimum telum, ſed a furioſis hoſtibus occupatum, ex haereticorum manibus extorſit: neque extorſit ſolum, verum etiam eodem nos ad truculentos hoſtes confondiendos, Chriſtianaeque religionis arcem tuendam, magna cum piorum hominum gratulatione, ſpe etiam majore armavit.

Iidem haeretici bellum inſtaurant, atque illud acerbiſſimum.

Verum, o brevem ſpem, o volucrem gratulationem! Quam cito iſta omnia ex laetitia & voluptate ad moerorem & lacrymas reciderunt! Dum enim hujus doctrinae ac viae cultores ſectatoreſque ſive nimii ſunt in ea terenda & perſequenda, ſive non neceſſario tempore, ſed alieno illam terunt & perſequuntur, ſive curioſae admodum ac minute, ne dicam ad nauſeam, conſectantur & rimantur omnia, ac ſaepe etiam nodum in ſcyrpo quaerunt, ſive arreptam ſemel opinionem & ſectam ardentioribus ſtudiis mordicuſque tuentur, proh dolor, tum ſeſe, poſthabitis hoſtibus, mutuo laceſſunt, atque inteſtinis diſcordiis conficiunt: tum (quod longius deplorandum eſt) caetera Chriſtianae doctrinae praeſidia ac veluti arces a quibus ne latum quidem unguem recedere oportuit, negligunt, & deſertas eſſe patiuntur. Sed quid dico negligunt? quid deſertas eſſe patiuntur? Immo vero hoſtium incurſionibus furorique obvias relinquunt; qui ſtatim etiam earum dominatu ac tyrannide potiuntur. Etenim dum ſcholaſtici theologi ſuis illi ſtudiis & concertationibus delectati, multa etiam conſectantur, quae ſine periculo ignorari, ſaepe etiam honeſta cum laude praetermitti poſſunt, neſcio quo caſu, ſed duro illo tamen & peracerbo; deſerunt hebraicae graecaeque linguae ſtudia: plerique etiam tum pauca ex divinis deguſtant oraculis: tum Apoſto-

Rem eo tandem adductam eſſe, ut ad haereticos profligandos duo maximi optarentur in Eccleſia.

Apoſtolicas traditiones ac ſanctorum Patrum lucubrationes praetereuntes aſpiciunt ac per tranſennam : denique exceptis paucis, ſacroſancta Conciliorum acta, Pontificum decreta, Eccleſiaeque antiquitates & monumenta, ne primoribus quidem labris attingunt. Haec itaque caſtra, haec praeſidia, hanc arcem, occupant illi, a quibus nos digreſſos vident: hic nova conflant arma: hic robuſtas excitant machinas. Ita demum, cum philoſophicis telis, praecipue vero Ariſtotelis, ſpoliati, quin etiam profligati, ac proſtrati viderentur, pugnam renovant omnium periculoſiſsimam & acerbiſsimam hebraice namque, & graece docti utriuſque foederis oracula pro libidine foedant iſti : Apoſtolorum traditiones ac ritus improbant, quos veluti per manus traditos religioſiſſime ſemper coluerunt Majores noſtri : Pontificum decreta eccleſiaſticaſque ſanctiones labefactant : caetera denique omnia, quae fidelibus inſtituendis fortiſſimi Chriſti Athletae & Proceres egregie ſive geſſerunt, ſive ſcripſerunt, pervertunt: ſimulque, ut in omnibus erant ad mentiendum decipiendumque parati, ſuis illa erroribus confirmandis, fidelibuſque circumveniendis convertunt ac referunt. Qua ſane calamitate quae gravior atque funeſtior contingere nobis potuerit, non ſatis video. Etenim lugendum quidem fuit ſceleſtos iſtos Satanae adminiſtros ſanctiſſimas Chriſti aras ac templa igni ferroque vaſtaſſe : deplorandum fortiſſimorum martyrum reliquias profudiſſe, indolendum novis in dies calumniis atque impoſturis Catholicos exagitaſſe, indeque ſimpliciores ad defectionem ſolicitaſſe : ſed ſacroſancta fidei noſtrae volumina foedari, Apoſtolorum traditiones Eccleſiaeque ſanctiones perverti, denique antiquitates, ac monumenta omnia proteri & conculari, immo vero ad omnem libidinem impietatemque traduci perpetnis lacrymis ingemiſcendum fuit ac deplorandum.

In has itaque calamitates non ſine intimo doloris ſenſu pii omnes intuebantur, tum is maxime cui divinitus interim Petri auctoritas atque Eccleſiae gubernacula committerentur. Et ſane duo in primis erant neceſſaria ad hujuſmodi haereticorum rabiem furoremque comprimendum atque ad impuriſſima illis ora obſtruenda. Unum ut vera Germanaque divinarum litterarum oracula, haereti-

reticorum interpretationibus impoſturiſque rejectis, illibata prorſus inviolataque ſervarentur: vel certe ad priſtinum candorem, quoad ejus fieri poſſet, integritatemque reſtituerentur: idque ea ratione, ac lege, ut cum ſuus hebraicis graeciſque codicibus honos exiſteret, tum Latini, quibus (quantum aſſequi conjectura valeo) magna ex parte ſtatim fere ab ipſis Apoſtolorum temporibus uti coepit Eccleſia, auguſtiſſimi ac ſacroſancti toto terrarum orbe haberentur. Alterum ut hiſtoria ab Eccleſiae incunabulis, hoc eſt ab ipſo Liberatoris noſtri adventu, ad haec uſque tempora conderetur, qua tum Chriſti & Apoſtolorum, tum Petri reliquorumque ſummorum Pontificum traditiones, Concilia, Canones, immo vero, quantum injuria temporum pateretur, Martyrum, ſanctiſſimorumque Eccleſiae Antiſtitum ac Procerum, facta dictaque omnia perpetuae memoriae traderentur; atque in conſpectu fidelium, certo annorum ordine, perſpicuoque ſtylo, ſed in primis Chriſtiana fidelitate & integritate digeſta, tanquam in publico hominum theatro collocarentur. Ita enim facile deinde erat, quos teterrimi ardeliones feciſſent nobis fucos, quidquid ſimplicioribus impoſuiſſent, quae denique incommoda Eccleſiae importaſſent, detegere & propulſare. Ac primum quidem, Deo bene juvante, ſumma cum Reipublicae Chriſtianae utilitate curatum elaboratumque eſt. Etenim ſacroſanctis antiqui foederis codicibus graece prius quam fieri emendatiſſime potuit, editis (id enim quiſque ſentiet, qui vetus Teſtamentum Sixti V. auctoritate ad antiquiſſima optimaque exemplaria caſtigatum, maxime vero ex Vaticano expreſſum atque editum, cum reliquis editionibus contulerit: ſi tamen quum ceterae editiones jam mendis ſcaterent innumeris, haec ad priſcum nitorem ac decus proxime accedat, dignae ſunt quae cum Vaticana ullo modo conferantur) feliciſſimis hiſce auſpiciis & coeptis, ad latinos protinus ventum eſt, qui ſane poſt ingentes labores a viris ſacrarum doctrinarum laude ornatiſſimis exantlatos, tandem ſub *Clemente VIII. Pont. Max.* uſque adeo repurgati prodiere, ut vel ad priſtinum decus omnino accedant, vel certe omnium qui prodierunt in lucem, emendatiſsimi ſint. Ita demum quemadmodum dubitare nullo modo licet quae-

Primum Clemente VIII. ad ſummum Sacerdotium evecto ſtatim perfectum eſſe.

ſit vera ac germana, ſive Graeca ſeptuaginta interpretum, ſive Latina, quae vulgata ac vetus dici ſolet, editio; ita quicquid demum haeretici veteratores ſive Graecis, ſive Latinis codicibus depravatis, machinati ſunt adverſus Catholicam veritatem, detegatur & concidat neceſſe eſt. Hoc, inquam, primum eſt, quod ad haereticorum conatus rabiemque compeſcendam, diu multumque a fidelibus optatum, a Tridentinis vero Patribus non optatum modo, ſed ut quam diligentiſsime praeſtaretur, decretum, hoc ipſo tempore perfectum eſt, quo Clemens VIII. ſingulari Dei beneficio atque clementia, ingenti etiam bonorum omnium gratulatione, Eccleſiaeque ſplendore, ad Petri ſedem evectus, Chriſti gregem cuſtodit ac moderatur. Qui ſane ſi aliquando a perpetuis occupationibus reſpiraverit & curis, quibus inter Eccleſiae jactationes ac Principum bella, ſed in primis inter perfidiſsimos Turcarum conatus, intimis ſenſibus pro ſua pietate affligatur & premitur, haud fore dubito, quin viris linguarum ac doctrinarum cognitione florentibus accerſitis undique, enixe in eam curam incumbat, ut tum ſacroſancti hebraici foederis libri ſummo ſtudio excuſſi & examinati, quam maxime per injurias temporum liceat, caſtigatiſſimi edantur: tum, ſi quis forte aut in graecis aut in latinis libris ſuperſit locus, qui novis ſtudiis adhibitis, illuſtrari atque ad priſtinum decus magis ac magis revocari poſſit, id vero accuratiſſime elaboretur. Haec de primo, quod ad haereticos profligandos deſiderabatur in Eccleſia.

Alterum a Baronio nunc ſtrenue urgeri, & abſolvi.

Venio ad alterum: quod ſane ſumma Dei benignitate iiſdem hiſce temporibus a *Baronio*, quem non ita pridem a Clemente VIII. in ſacrum Cardinalium Senatum incredibili Urbis atque adeo Chriſtiani Orbis laetitia cooptatum cernimus, inchoatum & jam jam pene abſolutum perfectumque videmus. Etſi enim auctor, dum hujuſmodi ſtudia aggrederetur, vix ac ne vix quidem cogitaret de arduo ac nobili opere exantlando, unde Chriſti Apoſtolorumque traditiones, ſummorumque Pontificum & Conciliorum decreta ac praeceptiones, ab haereticorum furore vindicarentur; non eo cogitationem intenderet, ut ſanctorum Patrum monumenta, ac res ab Eccle-

cleſiae Athletis & Proceribus ſtrenue ſapienterque geſtas, veluti in theatrum referret; non denique pulcherrimam Catholicae Eccleſiae faciem; quae, inquam, fucatis coloribus adulterinisque ornamentis rejectis, nativum atque domeſticum nitorem propriamque dignitatem ac decus referret, ſibi exprimendam proponeret (quis enim mortalium tantum ſibi arrogaſſet unquam?) divino tamen favente Spiritu eo tandem res adducta eſt, ut tale tantumque opus, hoc eſt auguſtum & ſanctum, jam prope abſolutum, atque in clariſſima luce omniumque conſpectu collocatum, intueamur. Ut cum admirabile hoc opus ſtatim atque *Clemens* in Petri ſede eſt collocatus, mirifice creſcere, atque ad faſtigia ſeſe attollere coeperit, ſatis appareat *Baronium* a Deo electum fuiſſe, per quem idem Eccleſiae Princeps ac Paſtor Clemens novam hanc arcem firmiſſimumque propugnaculum adverſus Catholicae fidei hoſtes erigeret. Cum enim videamus latinam divinorum oraculorum editionem, etſi jamdiu inchoatam, ac Pontificibus ſummis urgentibus, naviter egregieq. provectam, niſi ſub *Clem. VIII.* omni ex parte abſolutam non prodiiſſe: Eccleſiaſticam vero Baronii hiſtoriam, quamvis & ipſa ſtrenue urgeretur antea, non ſine eodem *Clemente* incrementa ſuſcepiſſe, ac veluti ad maturitatem aſpiraſſe, quis non facile in eam ſententiam adducatur, ut utrumque hoc opus Clementi divinitus reſervatum fuiſſe credat? Ego ſane dum egregium *Clementis* ſtudium ſingularemque caritatem intueor erga Dominicum gregem, & quot pro illo ſuſtineat labores, quas agat vigilias, quot profundat lacrymas, quos ex illius afflictatione hauriat dolores, audio, facile mihi perſuadeo, haec illi ſolatia ex optatiſſimis hiſce lucubrationibus a Patre luminum ſuppeditari: ut qui ſeminat non ſine fletu, manipulos referat cum exultatione.

Sed ad Baronii hiſtoriam redeo: de qua illud mihi audire videor differentem aliquem, atque his prope verbis dubitantem. Si jure ac merito dicitur Baronii hiſtoriam iſthaec praeſtare omnia, aequum ſane eſt, ut illam Eccleſiae arcem ac propugnaculum reputemus: quin etiam Panoplia, Antemurale, Turris etiam unde mille pendent clypei appellanda, ſummiſque praeconiis & lau-

 dibus,

dibus, toto Chriſtiano orbe, omnium ore ac praedicatione celebranda erit. At enim, quid ſi quis id demonſtrari, ac diſtincte etiam perſpicueque demonſtrari cupiat: nec antea admirabili huic rei fidem ſibi adjungendam eſſe putet, quam ex hiſtoria ipſa de re tanta penitus doceatur. Ergo id plane ſupereſt, ut demonſtrem & patefaciam, quod libenti etiam alacrique animo jamjam aggrediar. Spero enim fore, ut non ſolum luculenter id intelligant aequi rerum aeſtimatores, aut etiam velint, nolint fateantur invidi, (tametſi jam invidiam fortaſſe omnem Baronii vincit hiſtoria) verum etiam docti omnes animadvertant hinc Chriſtianum theologum multis magniſque doctrinae praeſidiis atque ornamentis inſtrui, quibus paſſim carebat antea; immo vero ex mira quadam inopia & egeſtate ad ampliſſimas copias, ex anguſtiis & dumetis ad ſummam amplitudinem ubertatemque traduci.

Demonſtratur id totum: ac prius in univerſum.

Sed rem, ſi placet, aggrediamur. Ac primum quidem iſthaec a Baronio feliciter omnino fuiſſe explicata, inde univerſim oſtendi poſſet, quod cum aperTiſſimis quaequae ab Adverſariis, nullo modo elevari aut declinari poſſint argumentis, demonſtraverit Romanum Pontificem totius militantis Eccleſiae moderatorem & principem eſſe ac Petro ſuffectum Chriſti vicem in terris gerere; eodem quoque tempore ſine ulla dubitatione demonſtravit, quidquid ſive de verbo Dei, ſive de vera Eccleſia, ſive de Apoſtolorum traditionibus, deque Conciliorum & Canonum auctoritate, docuerit, ac ſanxerit Romanus Pontifex, id ſartum tectum ac ratum habendum eſſe. Quis enim, niſi per ſummam aut dementiam, aut perfidiam, non ſtatim iis acquieſcat, ac toto animo aſſentiat, quae didicerit ab eo declarata eſſe & definita, qui vicarias Chriſti partes in terris gerat? Quis non eum in fidei myſteriis Catholicaque veritate perdiſcenda Doctorem ſibi ac Magiſtrum divinitus tributum eſſe ſentiat, quem animadverterit a Chriſto Coeli viae fidelibus aperiendae ac demonſtrandae (quid enim eſt aliud claves Coelorum a Chriſto accepiſſe?) Eccleſiae ſumma cum auctoritate ac poteſtate praefectum eſſe? Nam ſi quis non dum ſatis animadverterit quam certis perſpicuiſque argumentis docuerit Baronius Romanum Pontificem Petro ſuffectum eſſe, itaut

ut ei divinitus auctoritate collata, in fidei controverſiis dirimendis, & Catholica veritate ſtatuenda, Chriſti vicem gerat in terris, hic ſane Baronium, ne extremis quidem digitis attigerit, neceſſe eſt. Veriſſime enim dici poteſt, hoc, ut eſt Chriſtianae veritatis fundamentum maximum, atque adeo Catholicae fidei firmamentum, uſque adeo accurate, perſpicue, exaggerate, copioſe fuiſſe a Baronio expoſitum, ut nihil ſupra. Quapropter qui id nondum aſſequuti ſunt, legant obſecro, quae in primo volumine diſſerit Auctor tum de Petri auctoritate ac Principatu, tum de Pontificum ſucceſſione: expendant, quae in ſecundo fuſe nec uno in loco ſcribit de Romano Pontifice: animadvertant quibus ſubinde haec ipſa doceat atque confirmet in reliquis voluminibus; atque intelligent decretum hoc maximum meridiana luce clarius apud eum enitere. Ego certe, etſi non inficior alios quoſdam in hac re declaranda utiliter & magna cum laude verſatos eſſe; atque adverſarios docte ſubtiliterque rejeciſſe; veruntamen, qui cum Baronio hac in re conferri poſſit, non invenio: uſque adeo, illum dum perlego, audire mihi videor hoc divinas litteras apud illum diſertiſſime docere: hoc rerum geſtarum ac totius Eccleſiaſticae antiquiquitatis monumenta teſtari: hoc Martyrum ſanguinem, oſſa, cineres, ſepulcra denique ac lapides, clamare, edicere, praedicare. Sed mitto iſta: etſi enim ea ſunt, quae luculenter efficiunt quod volumus, lubet tamen rem totam diſtincte proſequi, ac ſigillatim ea omnia oſtendere & demonſtrare, quae de Apoſtolorum traditionibus, Eccleſiaeque ſanctionibus atque hujuſmodi aliis jam ſaepe diximus.

Jam idem demonſtratur ſigillatim: idque re ad quinque capita revocata.

Age dum igitur, atque ab Apoſtolorum traditionibus ordiamur. Porro Baronius, quum ſemel ex magno illo acerrimoque Catholicae fidei propugnatore, ac propagatore plane regio, ex Baſilio, inquam, nos de traditionum uſu admonuiſſet, docuiſſetque Apoſtolos & Patres myſteriorum auctoritatem & ſanctitatem ſacro etiam ſilentio cuſtodiendam ratos, arcanam quoque doctrinam in Eccleſia eſſe voluiſſe; ecce tibi non multo poſt nobilem de traditionibus diſputationem inſtituit. Ubi ſane quum illas & divinarum litterarum auctoritate & Patrum teſtificationibus, vel ab ipſo naſcentis Eccleſiae initio repetitis,

Primum in quo oſtenditur quam egregie Baronius defenderit & illuſtrarit Apoſtolorum traditiones ac ritus eccleſiaſticos.

tltis, egregie confirmaſſet, hoc juris genus tum apud optime inſtitutas Reſp. tum vero apud Hebraeos, hoc eſt in Dei populo, viguiſſe docuit. Quid plura? Quicquid de antiquitate illarum & varietate, quicquid de praeſtantia & auctoritate, dici poterat, quicquid ad eas cum ſcripto jure diviniſque libris conferendas, quicquid ad legitimas ab adulterinis diſcernendas pertinebat, id totum doctiſſime & copioſiſſime, explanavit. Quanquam neque his finibus, etſi peramplis, traditionum cohibuit tractationem: quum enim iſthaec omnia de illis docuiſſet in univerſum, mirum eſt quam excellenter in ſequentibus libris eadem confirmarit: quam ſcite ac ſtrenue adverſariorum dementiam temeritatemque fregerit: quam appoſite demum & opportune traditiones ſingulas vel ab earum origine repetitas explicarit. Ita factum eſt, ut cum ab initio docere coepiſſet, Eccleſiae ritus ex traditionibus ferme omnes duxiſſe ortum, enucleate deinde in reliquis voluminibus pro re nata, ritus quoque ipſos accuratiſſime explanarit, conſtituerit, illuſtrarit. Sed quoniam brevitati dum ipſe ſtudeo, atque ad alia feſtinat oratio, obſcurare multa, multa etiam praetervolare atque adeo praetermittere cogor, illud enixe oro, ac peto, ut qui rem hanc non ſummatim & curſim, ſed diſtincte (ut par eſt) & explicate cognoſcere velit, Baronium ipſum perlegat: ſentiet enim decretum hoc nobiliſſimum tanta ſive divinorum oraculorum acrimonia, ſive ſacrorum Conciliorum Patrumque conſenſione, tam admirabili rerum in Eccleſia geſtarum copia & ubertate, tali denique rationum vi & pondere exemplorum explicari, ut nihil amplius aut jurati traditionum hoſtes cavillari poſſint, aut curioſiſſimi illarum inveſtigatores expetere.

Secundum in quo declaratur quam utiliter multa ſcripſerit de Conciliis.

Jam vero ubi de Conciliis eorumque ſanctionibus agit, quid quaeſo non accuratum, ſincerum, exquiſitum tradit? Quid non ad fideles optime inſtituendos, haereticoſque profligandos, & (ut dicam paucis) non ex Eccleſiae utilitate ac dignitate ſcribit? Dies me deficiet, ſi ea vel perſtringere, vel enumerare velim, quae mihi quidem in Baronii Annales intuenti, in hanc ſententiam occurrunt. Etenim dum univerſe de illis agit, ſic ſane eorundem originem, antiquitatem, uſum, auctoritatem, diſcri-

ſcrimen quoque, varietatemque perſequitur: ſic docet, quae illis affinitas cum traditionibus intercedat atque conjunctio: cujus arbitratu & auctoritate ſint indicenda: quibus praecipue de cauſis cogenda: cujus ſit illis praeſidere: qua oeconomia & ratione ſint diſponenda ac peragenda: qui convocandi: quod maxime in illis ſpectandum & intendendum, & ſi quid hujuſmodi, nihil ut explicatius aut perfectius expeti poſſit. Dum vero diſtincte Concilia ſingula ſuis quaeque recenſet locis, & quo tempore, quas ob cauſas, cujus nutu & auctoritate indicta & convocata, ubi & per quos celebrata, quid in illis explicatum, quid confirmatum, quid definitum, quidve damnatum abrogatumque fuerit, haec vero omnia tam accurate e tenebris eruit, ac veluti ante oculos ponit, ut tantum non illis te intereſſe arbitreris. Sed illud longe eximium & ſingulare, quod ad ingentem attinet Conciliorum numerum & quaſi ſylvam, quam ex abditiſſimis & obſcuriſſimis Eccleſiae monumentis in lucem revocavit; tantam enim Conciliorum multitudinem vel unius ejuſdemque ſeculi decurſu attulit in medium, quantam alii ne toto quidem hoc temporis intervallo, quod a Chriſti adventu ad nos uſque fluxit, enumerare ſolent. Immo vero, quum eleganter omnino ac ſcite oſtendiſſet primum Concilium a Chriſto & Apoſtolis fuiſſe adumbratum, vel potius, ut divinitus ſacer nobis Conciliorum typus exraret, primis etiam coloribus expreſſum; alterum ab Apoſtolis ipſis Hieroſolymis habitum: tertium (id quod ſubtili admodum & accurata conquiſitione deprehendit & comprobat) ab iiſdem Apoſtolis Antiochiae celebratum, inter hoc ſane & Nycaenum, quod tamen paſſim a viris etiam doctis primum enumeratur ac cenſetur, Concilia non pauca, eaque ſanctiſsima & maximis de rebus habita, conſtituit & interjecit, quae alios omnino fugiſſe viſa ſunt. Quin etiam inter Nicaenum hoc primum & Conſtantinopolitanum, quod ſecundo loco ponitur a ceteris, alia quoque multa (legitima ſemper intelligo) aliorum pace meritiſsime diſpoſuit & collocavit. Ut propterea quod olim Aegyptius ſacerdos Soloni ac Graecis objeciſſe fertur, dum illos ea de cauſa pueros appellaret, quod domeſticas antiquitatum memorias ignorarent, id mihi hoc tempore in eos converti

Digitized by Google

verti poſſe videatur, qui hactenus niſi communi quadam ac trita Conciliorum notitia, non ſunt imbuti. Ipſe certe, quum aliquando fore ſperarem, ut ſi ea quae quotidie terimus Conciliorum volumina, accurate pervolutarem, non vulgarem mihi Conciliorum cognitionem acquirerem atque pararem, Baronio tandem perlecto, animadverti me ne tum quidem ſine Baronii adjumentis in pulcherrimo Conciliorum campo niſi hoſpitem & peregrinum verſari poſſe.

Tertium in quo oſtenditur quanta cum Eccleſiae dignitate & utilitate Canonum hiſtoriam ſit proſequutus.

Jam vero quid attinet dicere qua induſtria & cura ſacros Eccleſiae Canones conquiſierit, ac tanquam tabulas bene pictas in bono lumine collocarit? Qui enim Conciliorum quam diligentiſsimus, ne dicam curioſiſsimus indagator fuit & conquiſitor, atque illorum acta e denſiſsimis tenebris eruta, in apertum produxit, ac tanquam ad aſpiciendam lucem revocavit, is profecto eadem cura & ſtudio Canones ex oblivionis caligine vindicarit neceſſe eſt. Quare tantum dicam Eccleſiae decreta & canones, ſive illam quaſi ab incunabulis naſcentemque ſpectes, ſive creſcentem protinus, atque inter furentes Tyramnorum impetus adoleſcentem, ſive etiam adultam jam & progredientem aetate, ultro ſeſe nobis atque ex ex ordine in Annalibus Baronianis obijcere; atque ita etiam obijcere, ut uno eodemque tempore agnoſcere liceat, cujus ſit eos vel condere, aut confirmare: cujus item reſcindere & antiquare: qui germani ex iis praeſertim qui extant Apoſtolorum nomine ſpuriive habendi ſint; qua reverentia & pietate colendi: quantum denique & Caeſareo juri atque adeo non ſacris legibus praeſtent, & harum auctores, etſi regia fulgeant purpura, vinciant & obſtringant: tantum abeſt ut Canonum auctoritatem, niſi iniquis conatibus, oppugnarint atque elevarint haeretici. Quod ſi quemadmodum Canonum hiſtoriam perduxit uſque ad prima Gregorii Magni tempora (nam Pelagii II. obitu clauditur ſeptimum Annalium volumen, quod nunc demum prodit in lucem) ſic reliquam deinceps (ut ſperatur) fuerit perſequutus, haud fore dubito, quin multa ex abditiſsimis monumentis proferat, quae vel primarios Pontificii juris Conſiliarios mirifice delectare, interdum etiam non mediocriter juvare poſsint. Quod quam

vere

vere a me dicatur, licebit tibi ex Anaſtaſii Germonii Sereniſsimi Urbini Ducis apud Summum Pontificem Oratoris, atque utriuſque Signaturae Referendarii clariſsimi, judicio ac teſtificatione perdiſcere. Quum enim optime ſcirem eum ſacros Canones Auguſtae Taurinorum multos annos ſumma cum laude docuiſſe, ac doctiſsimis elegantiſſimiſque commentariis illuſtraſſe, & (ut dicam brevi.) mira cum omnium approbatione ſcripſiſſe multa, quum praeterea audirem illum in praeſens *Clementis VIII.* juſſu, Tridentini Concilii Canones Septimo Decretalium (ſic enim interim novum Canonum volumen appellant aliqui) intexere, & illius gloſſemata luculentis notationibus, interdum etiam ſubtiliſsimis quaeſtionibus explicare & illuſtrare; nihil potius habui, quam ut de *Baronii Annalibus* ejus ſententiam explorarem. Quid multa? Varia (ut fit) ex eo ſciſcitor de Pontificii juris ſacrorumque Canonum ſtudio; tum vero quaſi aliud agerem, quid de Baronio ſentiat, quaero, praeſertim ubi priſcorum Canonum attingit hiſtoriam. Tum ille: Ego vero Baronianam hiſtoriam quaſi coeleſtem facem ſuſpicio: atque oblatam nobis lucem cupidiſſime intueor: interdum etiam auctorem ipſum in arcanis Pontificum & Conciliorum actis conſulo perſtudioſe. Haec vir clariſsimus pro ſua ingenuitate & probitate. Quae ideo minime reticenda eſſe duxi, ut intelligas quantopere Baronius hac etiam in re a doctiſsimis ac laudatiſsimis viris laudetur.

Quartum in quo demonſtratur Martyrum tractationem exquiſite ad modum, atque omnibus numeris abſolviſſe.

Nunc porro expectes fortaſſe, ut quoniam hactenus, ſi non pro dignitate, pro mea ſaltem tenuitate, expoſui, quam egregie auctor e Chriſtianae Reip. utilitate ac dignitate, Eccleſiae ſive initia ac veluti incunabula, ſive incrementa complexus ſit, ac pro ſacroſanctis illius decretis, ritibus, auctoritate denique, ac majeſtate, perduellium temeritati obſtiterit, jam ejuſdem auctoris veſtigiis inſiſtens ad res aggrediar, quas & fortiſſimi Chriſti athletae ſtrenue conſtanterque geſſerunt, & ſanctiſſimi Eccleſiae Antiſtites ac Proceres pari pietate ac ſapientia docuerunt. Et recte quidem. Nam praeterquam quod ſunt haec divinae virtutis monumenta ſempiterna, atque immenſam Chriſti erga nos benignitatem mirifice declarant,

hinc ſane longe clarius pulcherrimam Eccleſiae faciem intueri, hoſtium impudentiam improbitatemque agnoſcere, Baronii denique ſolertiam ac ſedulitatem ſpectare nobis liceret. Verum quis tantarum rerum molem ac varietatem non reformidet? Quis non graviſſimum onus refugiat, cui ſtatim ſuccumbendum eſſe intelligat? Ego ſane, Pinelle humaniſſime, nunc maxime ad lenitatem tuam confugio: tuam nunc benignitatem appello: & qui hac in parte vehementer aeſtuo ad tuae indulgentiae (hanc enim mihi liberaliter obtuliſti) portum confugio. Etenim ſi eniti velim, ut quam Baronius in Martyrum cauſa Eccleſiae navavit operam, hanc noſtra referat diſputatio, cum nulla prope Annalium pars erit, quam liceat intactam praetermittere (id quod immenſi pene operis eſſet ac laboris) tum vero ea omnia quibus Romanum Martyrologium admirabili quodam ſtudio illuſtravit, huc erunt revocanda: ſunt enim inter ſe tanta affinitate conjuncta, ac tam belle ad eamdem plane Martyrum hiſtoriam conflandam, omnibuſque numeris abſolvendam conſpirant, ut auctor, brevitati dum ſtudet, ad Martyrologii notationes provocare cogatur paſſim, & rem totam Lectoris diligentiae ac fidei commendare. Erit itaque pietatis tuae, Pinelle optime, ex gemino hoc veluti fonte ſuaviſſimam Martyrum hiſtoriam haurire: atque incredibilem inde Baronii diligentiam ſummumque in Eccleſia juvanda ſtudium, animadvertere. Sed age dum obſecro, & ad puriſſimos utriuſque fontis latices (ſpirant enim adhuc coeleſtem illam Martyrum caritatem) accedito, eorumque ſuavitatem deguſtato. Optas fortaſſe inſtructas Martyrum acies pro temporum ſerie & per ſingulas Imperatorum aetates intueri? Intueberis. Cupis eoſdem pro variis orbis terrae partibus provinciiſque diſtinctos inſpicere? Inſpicies. Amas illos adverſus Praetores Imperatoreſque ipſos Chriſti cauſam alacriter tuentes audire? Audies. Cognoſcere illos expetis, quibus truces immaneſque ferae ac beſtiae, vel provocatae pepercerint, interdumque praeſidio fuerint? Cognoſces. Spectare illos deſideras qui machinas, carnifices, tyrannos, Daemones prope ipſos incredibili conſtantia fatigarunt? Spectabis. Quaeris equuleos, ungues, ceteraque tormentorum genera, aut etiam carceres, catabula, theatra,

caveas

caveas, metállaque perdiſcere, ubi nobis Chriſtianae patientiae veſtigia, ac pulcherrima ad imitandum exempla, reliquerunt? Perdiſces. Aves animadvertere qua caritate, quibus obſequiis & ſtudiis, priſci illi, fideles Chriſti athletas ſpirantes adhuc proſequerentur, & foverent, aut quantopere ii viciſſim in amore omnibus reſponderent, Paſtoribus obtemperarent, praecipue vero è Summi Pontificis nutu penderent? Animadvertes. Sed illud fortaſſe percipere ſtudes vel maxime nimirum, quanto ſemper ſtudio Catholica Eccleſia Martyrum acta conquiſierit, dicta obſervaverit, nomina deſcripſerit, virtutes celebrarit, cineres ac reliquias cuſtodierit, & ab infidelium haereticorumque incurſionibus inſidiiſque defenderit. At haec etiam percipere tibi licebit luculenter. Cernes enim eorum dicta & facta a Notariis excipi, ab Eccleſia publicis tabulis conſignari, fidelibuſque caſte & ſancte recitari a Diaconis, Epiſcopis, ſummiſque Pontificibus religioſiſſime conſervari conſueviſſe. Quod ſi ad extremum poſtules, ut explicet Baronius, quae ſint juſtae ac germanae Martyrii cauſae, quando fidem ſive confiteri, ſive etiam profiteri oporteat, quando Tyrannorum furorem liceat declinare, vexationem pretio redimere, qui Martyres ab Eccleſia cenſeantur, quive explodantur, haec vero explicabit omnia. Nam eorumdem natales, anniverſaria, pompas, celebritates, ac ſexcenta hujuſmodi alia, quibus Eccleſia fortiſſimis Athletis perpetuo gratulatur, nihil attinet commemorare. Iſta, iſta, inquam, ex gemino illo Baronii fonte uberrime hauries, atque (ut ſpero) incredibili cum animi voluptate, fructu etiam generoſo, pectore digno, deguſtabis. Habent enim Martyrum recordationes fidei, pietatis, fortitudinis, caritatis, multarum denique magnarumque virtutum incitamenta: quibus quum in eas intuemur, non poſſumus non magnopere commoveri, interdumque etiam magnam vim lacrymarum profundere. Sed quid multis opus eſt? Hic agnoſcimus quam procul diſtamus ab eorum patientia & integritate; quam abſumus ab illorum meritis ac laude: hinc ad rerum humanarum diſpicientiam Martyrumque ipſorum imitationem excitamur, incendimur, inflammamur.

Neque vero interim egregii illi Antiſtites ac Patres

Digitized by Google

Quintum in quo exponitur quam excellenter praecipua reliquorum Sanctorum Patrum dicta & facta complexus ſit,

non tibi occurrent, qui pro Chriſti Eccleſia tantopere laborarunt: immo vero animadverteres quo quique tempore ſeſe fidelium caſtris commilitones adjunxerint: ubi terrarum ac gentium ſuam operam ac ſtudium ad Catholicos juvandos retulerint: ſenties qua pietate & caritate commiſſum ſibi gregem complexi ſint: quo animi ardore & contentione illum a luporum inſidiis rabieque defenderint: intelliges quibus vigiliis & lucubrationibus ſive dilucidarint & illuſtrarint Dei verbum, ſive hoſtium repreſſerint temeritatem: denique intueberis in illis, nec ſine magno pietatis quaeſtu intueberis precandi ſtudium, jejunia lacrymas, corporis afflictationes, peregrinationes, perpeſſas injurias, & (ut ſemel dicam) quibus armis & exercitationibus ſenſuum mundique illecebras, ſed in primis Demonis inſidias, pervicerint & ſuperarint. Ex quorum congreſſu delectationem eo etiam capies majorem, quod ſenties pleroſque martyrii quoque cupiditate flagraſſe: ita ut illis carnifex defuerit quidem: martyrii vero cupiditas atque voluntas nullo modo. At enim Marcellinus [a] (quanquam hunc libentius fortaſſe inter Martyres

[a] Quae de S. Marcellini Romani Pontificis lapſu narrantur, commentitia prorſus eſſe, plerique arbitrantur; idque multis momentis. Certe conſtans veterum ſilentium omnium, rei veritatem in tam magnum adducit diſcrimen, ut potius fidem ei prorſus evellat. Etenim S. Pontificem thus Idolis adoleviſſe, neque Euſebius, qui lib. VII. hiſt. Eccl. cap. XXXII. ejus Pontificatus mentionem habet, neque Theodoretus, neque alius quiſquam tradiderunt, aut ſaltem eum lapſum fuiſſe indicarunt. Quin a Theodoreto lib. I. hiſt. Eccleſ. cap. XVI. appellatum videmus Marcellinum: *Virum perſequutionis temporibus magna gloria nobilitatum*: Praeterea S. Auguſtinus lib. de unico baptiſmo contra Petilianum cap. XVI. quo in loco illum S. Doctor Donatiſtam refellens, qui multos Romanos Pontifices Traditionis Codicum divinorum ac thurificationis idolis arguerat, haec ſcribit: *Quid ergo jam opus eſt, ut Epiſcoporum Romanae Eccleſiae, quos incredibilibus calumniis inſectatus eſt, objecta ab eo crimina diluamus, Marcellinus & Preſbyteri ejus Melchiades, Marcellus, & Sylveſter, Traditionis Codicum divinorum, & thurificationis ab eo arguuntur; ſed numquid ideo etiam convincuntur, aut convicti aliqua documentorum firmitate monſtrantur? Ipſe ſceleratos & ſacrileges fuiſſe dicit: Ego innocentes fuiſſe reſpondeo. Quid laborem probare defenſionem meam, quum ille nec tenuiter probare conatus ſit accuſationem ſuam?* Qua ratione quod in Urbe, in falſarum Deitatum templo ante Imperatorem a ſanctiſſimo viro traditur patratum ſcelus, ad unius Auguſtini notitiam non perveniſſet, qui Romae etiam verſatus eſt, ac importunis Donatiſtarum objectionibus coactus, accurate commentum hocce diſcuſſit? Quod ſi id Donatiſtis tantum cognitum fuiſſe dicatur; quare magni momenti rem nullis adhibitis teſtibus prodiderunt? Cur in Conciliis collationibuſque, in quibus nullum non moverunt lapidem, ut Cecilianum proditionis notarent, Romani Pontificis Marcellini lapſum minime protulerunt, ac probarunt? In celebri illa Collatione Imperatoris praecepto facta

res referas) Liberius , Oſius [a] , Dyoniſius , Vincentius , qui omnes Catholicae Eccleſiae columnae habebantur , aliique ejuſmodi multi occurrent , qui aliquando Chriſtianae Reipub. injurii luctuoſique fuerunt . Occurrent , fateor : ſed tandem illuſtri eorundem poenitentia , noſtra ſublevabitur imbecillitas : ut quantum infracta martyrum conſtantia ad virtutem incendimur , tantum iſtorum poenitentia ac melioris vitae exemplis a vitiis revocemur . Sint iſta . Verum quid quod Origenes [b] etiam , Fortunatiani ,

cta Carthaginem Epiſcopos Catholicos inter & Donatiſtas , quum jactitarent haeretici ad Melchiadem Pontificem Romanum traditionis convincendum ſeſe paratos , acta ſatis prolixa legi poſtulaſſent , nihil in iis , quo rem probaretur inventum eſt , ut ſcribit S. Auguſtinus in breviculo Collationis diei tertiae cap. XII. & XIII. Profecto ſi Sanctus Marcellinus lapſus fuiſſet , ejus errorem inibi non omiſiſſent objicere ad negotium faceſſendum Melchiadi , qui illius Presbyter fuerat : ſicut ex perſona Felicis Aptungitani Ceciliano quaeſtionem movebant . quod ab eo , qui fuerat ſacrorum librorum corruptor , ipſe fuiſſet ordinatus . Qui plura ſcire deſiderat de hac quaeſtione , conſulere poterit Pagium in Critica Annalium Baronii , ad annum 302. n. 16. Danielem Papebrochium in Propilaeo ad Acta Sanctorum menſis Maii Differt. octava, nec non cl. P. Magiſtrum Orſi in ſua hiſt Eccleſ. ad annum 304. n. 41.

a Videſis de Liberio & Oſio noſtras adnotationes in primo Tomo ad Epiſt. XXXVII. lit. *c* pag. 272.

b Licet Euſebius Rufinus , Anonymus apud Photium Origenem ab errore vindicent , conſtat tamen illum ab omnibus PP. votis ferme conſentientibus multiplicis erroris fuiſſe damnatum , a quo nemo quidem ex veteribus ſanctimonia ac eruditione praeſtans eum abſolviſſe videtur . Eorum enim quos adduximus modo auctorum judicia , quum prior Arianus fuerit , alter ab Anaſtaſio Pontifice damnatus propter defenſionem ejus processem ; tertius ignotus omnino reiiciendi ſunt ; maxime quum Sanctorum Patrum judicia confirmarit Eccleſia . Verum enim vero animadvertimus Origenem damnatum primo e Theophilo in Synodo Alexand. & totius Aegypt. Libiae,& Pentapoleos provinciis congregata ; deinde in Synodo Cypri a S. Epiphanio : tertio a Romano Pontifice Anaſtaſio . Ita de his ſcribit S. Hieronymus lib. I. Apologiae adverſus Rufinum capite 11. *Non valet , apud eos ſuper Origenis damnatione Epiſcoporum auctoritas , quem putant a Martyre praedicatum . Quid facient Epiſtolae Theophili Epiſcopi ? Quid Papae Anaſtaſii in toto orbe haereticum perſequentes ? Quum liber tuus ſub nomine Pamphili editus pugnet contra epiſtolas eorum , & Epiſcopali nomini teſtimonium Martyris opponatur* . Damnatum praeterea eſſe Originem in quinta Synodo Oecumenica anno 553. congregata ſub Vigilio Romano Pontifice,teſtantur Georgius Sincellus , Theophanes , Auctor Chronici Alexandrini , Photius in libello de Synodis , Glycas , Cedrenus , qui & Juſtiniani epiſtolam ad Synodum repraeſentat , in qua a Patribus petit , ut Origenem , ejuſque aſſeclas damnent : Nicephorus , qui & anathematiſmos in Origenem a Synodo vibratos recenſet lib.XVII. hiſt. eccleſ. cap. XXVIII. Sophronius praeterea Patriarcha Hieroſol. annis octoginta poſt V. Synodum in epiſtola Synodica ad Sergium Patriarcham Conſtantinopolitanum , relata in Sexta Synodo Act. 11. ſe amplecti profitebatur cum ceteris quatuor Synodis quintam Synodum Oecumenicam : *quae confirmat Synodum Chalcedonenſem , tollit vero & funditus abolet principaliter quidem inſanum Origenem , & ejus deliramenta , & una cum eo Didymi & Evagrii impia dogmata* . Sexta Synodus actione XVIII. profitetur ſe in omnibus concionate ſanctae quintae Synodo , *quae congregata eſt adverſus Theodorum Mopſue-*

tiani [a], Luciferi aliique permulti occurrent, qui quum diu

Mopſueſtenum, Origenem, Didymum & Evagrium. Sed etſi Origenem in multos maximoſque errores incidiſſe exploratum ſit; haud tamen diffitendum eſt apud eruditos controverſiam magnam eſſe, an haereticus fuerit, vel in Eccleſiae communione non deceſſerit. Scriptores plurimi cum Ven. Card. Baronio ad annum Chriſti 256. n. 40. putant haereſi labe infectum illum fuiſſe. Id quidem probare conantur non modo ex ejus damnatione ab Anaſtaſio Papa auctoritate Pontificia inflicta, ex ejuſdem reprobatione in ſexta Synodo pronunciata, atque ex Sanctorum Patrum et ab initio diximus in idipſum conſpirante ſententia. Praeterea quum Origenes maxime ſciret ſua falſa dogmata ab omnibus impugnari, retractationem nullam ediderit; quum ipſi tamen ſatis otii, & temporis ſuperfuerit, ut ad omnes Catholicae fidei numeros cuncta, quae a ſe ſcripta eſſent, attemperaret. Verum Sixtus Senenſis, Halloix de Scriptoribus Eccleſiae Orientalis tom. II. pag. 44. Garnerius Tom. V. operum Theodoreti diſſ. 4. de Synodo Quinta cap. II. Tillemontius aliique autumant eumdem haereticum nec fuiſſe, nec talem dici poſſe, ac in Eccleſiae gremio defunctum eſſe. Praecipua autem momenta, quibus haec ſententia nititur, breviter hoc loco in medium proferenda duximus ex cl. Natalis Alexandri Diſſertatione XVI. in Hiſt. Eccleſ. ſec. III. Origenes, ſcilicet etſi in multis erraverit, non fuit tamen haereticus. Neque enim errores pertinaciter defendit, nec a Catholicorum Epiſcoporum communione receſſit: ſed in Eccleſiae pace defunctus eſt. Ipſum certe fidei profeſſionem ad S. Fabianum Romanum Pontificem, & ad alios Eccleſiarum Praeſides dediſſe, auctor eſt Euſebius lib. VI. Hiſt. Eccleſ. cap. XXXVI. Unde S. Epiphanius ſingularis prudentiae, & aequitatis ſpecimen dedit, quum Conſtantinopolim profectus, & adverſus Origenem agens, non ejus proſcriptionem, ſed librorum dumtaxat ipſius damnationem poſtulavit, ut teſtatur Gregorius Alexandrinus Epiſcopus in vita S. Chryſoſtomi cap. XLIII. dicens de S. Epiphanio: *Non ipſum Origenem extra communionem eſſe decrevit, ſed libros ſolum criminatus eſt.* Nec obſtat quod haeretici nomen Origeni Patres & Concilia tribuant. Nam doctrinae, non perſonae infamiam illam irrogarunt, & haeretici nomen latiori quadam ſignificatione uſurparunt. Bifariam namque ſumi poteſt haeretici appellatio, vel ad eum ſignificandum, qui haereſim condiderit, aut ſequutus ſit, eam licet ejurare paratus, ſi ab Eccleſia haereſeos nomine damnata eſſet: vel ad deſignandum eum, qui non haereſeos dumtaxat auctor vel ſectator, ſed perpetuus etiam propugnator, & pertinax adverſus Eccleſiae auctoritatem aſſertor fuerit. Priori modo haereticus fuit Origenes, non ſecundo. Denique ad id quod de ejus aeterna damnatione dicitur, reſpondeo Deum, cujus inſcrutabilia ſunt judicia, voluiſſe ut nos lateat Origenis ſtatus: quare non eſt temere definiendum ſalvus ne ſit, vel damnatus. Nec refert, quod in Prato ſpirituali Joannis Moſchi (qui liber a Septima Synodo laudatus eſt cap. XXVI.) viſio quaedam refertur, qua Origenes in poenis inferni una cum ceteris viſus eſt haereticis. Nam viſio illa explodenda eſt, quum Theophanis Neſtoriani Monachi propria fuerit, antequam converteretur ab haereſi. Nec vero probata ſunt omnia a Septima Synodo quaecumque in Prato ſpirituali referuntur, ſed ea dumtaxat quae ad ſacrarum Imaginum cultum ſpectabant. Denique Origenem pie defunctum, Theotimus Epiſc. Scythiae, vir ob pietatem vitaeque ſanctimoniam celeberrimus, conſtanter aſſeruit, ut refert Socrates lib. VI. Hiſt. Eccleſ. cap. XII. Quod ſalutem Origenis ſpectat dubia certe res eſt. *Grandis labyrinthus* (inquit Vvernetus Vvelpnalus) *a diverſis texitur de Salomone, Origene, an videlicet ſalvati ſint an non: quae quia ſine periculo neſciuntur, nec Eccleſiae certificata ſit de his, Domino totaliter committenda ſunt.*

a Fortunatianus origine Afer, ... Epiſcopus Aquilejae in Italia, floruit circa annum 340. Adverſus Arianos in Catho-

diu multumque pro Catholica Eccleſia laboraſſent, nonnulli etiam ad ſanguinem uſque hoſtibus reſtitiſſent, tandem graviter lapſi nullis poenitentiae indiciis deceſſerunt? Quid quoad Tatiani quoque, Tertulliani, Euſebii, aliique ſexcenti in conſpectum ſe dabunt, qui tandem a fide non exciderunt ſolum, verum etiam ad extremum uſque ſpiritum, vocem, ſtylum, facta denique, cogitataque omnia adverſus Catholicos converterunt? Ergo dum illorum ſuſpecta nobis ac dubia, horum deſperata prorſus ac deplorata eſt ſalus, nos ex luctuoſo illorum lapſu atque ruina ſalutarem timorem concipiamus. Quotus enim quiſque eſt, qui non intimis ſenſibus commoveatur & contremiſcat, ubi in Baronium inciderit lugubre Calaritani Luciferi [a] elogium ex Hieronymo ferme proſequentem. *Luxerunt* (inquit) *fideles & pii acerbiſſimum tanti viri caſum, quum viderent hominem honeſtiſſimis magna gloria pro Eccleſia Catholica perfunctum legationibus, tot confeſſionibus inſigniter nobilitatum;*

Catholicae fidei defenſionem conſtanti animo maxime in Sardicenſi Synodo pugnavit. Anno 354. quum Conſtantius Arelatae moraretur cum aliis Orientalibus Epiſcopis vim, contumelias, cruciatusque paſſus; tandem taedio affectus ac Arianorum conſiliis ſeductus, in illorum caſtra non ſolum tranſiit & S. Athanaſium damnavit, verum etiam Arianam haereſim tamquam pro aris & focis defendit ac propugnavit.

a Lucifer Calaritanus Epiſcopus in Sardinia, ad Conſtantium Imp. in Gallias cum S. Euſebio profectus, cum eodem in Synodo Mediolanenſi Liberii Legatus fuit; junctiſque cum eo ſtudiis Arianos impugnavit ac in Palaeſtinam deinde una cum eo in exilium miſſus eſt. S. Athanaſii cauſam defendere aggreſſus, libros duos hac de re contra Conſtantium confecit, quos eidem Imperatori legendos tranſmiſit, ipſoque etiam Athanaſio, qui tunc temporis in Eremo latebat. Demum imperante Juliano ad Synodum Alexandrinam Diacono ſuo miſſo, Antiochiam venit, ubi Catholicos inter ſe diſſentientes deprehendens, Paulinum Antiochiae Epiſcopum ordinavit magna Catholicorum parte reclamante, qui cum Paulino convenire renuebant, ita ut majus & apertius Schiſma conflatum fuerit. Porro S. Euſebius, qui relicta Alexandria Antiochiam venerat, factum improbavit quod ut Lucifer reſcivit vehementer commotus eſt, ac ira percitus, amicum integerrimum acriter excepit, ab ejuſque communione ſeſe abduxit. Quum autem praeter ejuſdem Luciferi ſententiam Alexandrina Synodus Epiſcopos poenitentes, qui Arianis communicaſſent ad pacem recipiendos eſſe ſtatuiſſet; reverſus in Sardiniam Lucifer, non modo eos, qui cum Arianis communicaverant, condemnavit, verum etiam ſeſe ab illis ſegregavit, qui eoſdem ſub ſatisfactione vel poenitentia recepiſſent. Hinc extra Eccleſiae Catholicae ſinum obiit, ortumque ſchiſma, ex ejus nomine *Luciferianum* dictum eſt. Extant ejus opera tom. IV. Bibliothecae PP. nimirum ad Conſtantium Imperatorem libri duo. De Regibus Apoſtaticis. De non conveniendo cum haereticis. De non parcendo delinquentibus in Deum. Quod moriendum ſit pro filio Dei. Epiſtola brevis ad Florentium.

tatum; quot apices in Conſtantium ſcripſerat pro Athanaſio & fide Catholica; totque martyria propemodum exantlatum, quot annis exul in diverſa loca fuerat deportatus: hominem coryphaeum & anteſignanum Catholicorum in tam diuturno & difficillimo praelio Arianorum, poſitum inſtar Hieremiae in columnam ferream & murum aeneum pro domo Dei, Eccleſia Chriſti: hunc ipſum, inquam (proh dolor!) poſt tot victorias & erecta de perfidia debellata trophaea, ſub ipſo triumpho tam infeliciter a diſſenſionum auctore Diabolo ſuperatum, & ſeparatum ab Eccleſia eſſe ac plane proſtratum? Quem tunc optimis quibuſque timorem caſus incuſſit? Ut illud Zacchariae merito uſurparent. Ulula abies, quia cecidit cedrus: atque utinam ipſe Lucifer, qui zelo aeſtuabat Heliae, & Heliae dictum audiviſſet: non in ſpiritu vehementi Dominus, ſed in ſibilo aurae tenuis: nempe in manſuetudine, benignitate, & miſericordia vere inerat Dominus. Haec Baronius. Quae quum ita ſint, quis haec dum audit, non pertimeſcat, ac ſalutem cum timore ac tremore ſibi operandam eſſe non ſtatuat? Sed quoniam pervelim, Pinelle optime, ut haec atque alia hujuſmodi multa, quoniam ſunt pleniſſima utilitatis & jucunditatis, ex Baronio ipſo perdiſcas, non ego te iis detinebo: ſed orabo potius & obteſtabor, ut (quod jamdiu tua ſponte facere coepiſti) in pulcherrimum hoc Annalium theatrum excellentem illam ingenii tui aciem mentemque defigas: futurum enim ſpero, ut tum mihi de Baronio facile aſſentias, tibique ipſe mirifice gaudeas, tum multo maxime ſacroſancto Cardinalium Collegio clariſſimum lumen Pontifici Max. eximium fidei propugnaculum, fidelibus omnibus Eccleſiaſticae antiquitatis ac veritatis praeconem, ac dignum immortalitate Praeſulem, gratuleris.

Additur jam ac demonſtratur Chriſtianũ Theologum ad magnam rerum omnium ubertatem traductum eſſe: & prima haec diſputationis pars clauditur tota.

Nunc ad cetera. Quum enim affirmaverim ac demoſtrandum receperim, Baronii hiſtoriam non modo ad haereticos profligandos, Eccleſiaeque dignitatem retinendam magnopere pertinere (id quod hactenus pro virili parte mea docui) verum etiam Chriſtianum Theologum multis magniſque praediis inſtruere, atque adeo ex anguſtiis & egeſta-

egeſtate ad ſummam rerum amplitudinem ubertatemque traducere, aequum ſane eſt ut hac quoque in re liberem fidem meam. Quod ut faciam, lubet hinc exordiri. Melchioris Cani a liber, in quo theologici explicantur loci in promptu eſt omnibus. Commendavit enim illum poſteritati tum elegantia, & ſtylus qui longe ſplendidior eſt, quam in theologo magnopere cerni ſoleat, tum vero eruditio atque doctrina, qua perfectum theologum deſcribit ac fingit. Porro hunc ego Cani Theologum minus parabilem judicaveram aliquando, atque adeo cum perfecto illo M. Tullii Oratore conferebam, quod animo quidem fingi poſſe videretur, re ipſa cerni nullo modo. Nec ſane (ut mihi quidem perſuadebam) levibus rationibus in hanc ſententiam adducebar. Etenim cavebat primo vir doctiſſimus, ne quis antea penetrales Theologorum focos attingeret, quam in Philoſophorum pulvere plurimum deſudaſſet, tum vero eumdem in ſcholaſticae theologiae palaeſtram detrudebat, ut ibi ſubtiliſſimis illis laborioſiſque diſceptationibus diu multumque exerceretur, ſimulque ad divinarum litterarum & ſanctorum Patrum volumina ſedulo evolvenda impellebat. Ad haec jubebat in Caeſareo jure non ſane hoſpitem ac peregrinum eſſe: Pontificii vero apprime ſtudioſum & gnarum: quaſi illud Philoſophiae, hoc ſcholaſticae Theologiae ex altera parte reſpondeat. Poſtremo (ut ingentem atque multiplicem theologi ſuppellectilem concludam paucis) praecipiebat ut priſcis Apoſtolorum prae-

a Hic anno circiter quinto ſeculi XVI. in oppido quodam Toletanae dioeceſis natus, ac Salamanticae iis litteris quibus puerilis imbui aetas debet inſtitutus, Ordini Praedicatorum in eadem urbe nomen dedit. Ibi virum clariſſimum Franciſcum a Victoria in rebus Theologicis nactus praeceptorem, tantos in iiſdem ſtudiis brevi tempore progreſſus fecit, ut publicam Theologiae Cathedram in Salamantica Univerſitate, quam idem ejus praeceptor obtinebat, poſt illius obitum ſingulari certamine adeptus fuerit. Novum Canus docendi modum eximia dicendi facilitate ſuavitateque temperavit. Poſtea a Carolo V. miſſus ad Tridentinam Synodum, quas ibi laudes meruerit, in hujus Concilii hiſtoria refert Card. Pallavicinus lib. XII. cap. I. Synodo prorogata ab eodem Caeſare (Julio III. Summo Pontifice adprobante) ad inſulas Canarienſes deſignatus eſt, ac inauguratus Epiſcopus. Abdicata paulo poſt Eccleſia, in ſuum ordinem denuo ſe recepit. Obiit Toleti anno MDLX. Scripſit Canus ſingulari judicio, ac mira quadam & in iis argumentis inuſitata latini ſermonis elegantia, de Locis theologicis libros duodecim, relectionem de Sacramentis in genere habitam in academia Salmaticenſi & relectionem aliam de poenitentiae Sacramento, Salmanticae habitam. Plura de eo habentur apud Nic. Antonium in Biblioth. Hiſpanica tom. II. pag. 96. & apud Echard. in Bibliotheca Scriptorum Ordinis Praedicatorum tom. II. pag. 176.

ceptionibus, quae ad nos tanquam vivae vocis oraculo traditae ſunt & conſignatae, ſacroſanctis Conciliorum actis atque decretis, hiſtoriis item cum prophanis tum vero ſacris operam daret. Quin etiam, ne qua in re tyro eſſet ac rudis, ſtatuebat, ut Latinis litteris, Hebraicas quoque & Graecas adjungeret. Quamvis enim totam hanc Graecae Hebraicaeque linguae cognitionem exagitare viſus eſſet, vel certe non iis aſſentiri, qui obſcuris in locis ad Hebraeos Graecoſque codices provocarent, ad extremum tamen multas ac magnas iſtarum linguarum utilitates proſequitur, decernitque, ut ſuus theologus ſtrenue illis operam navet ac diligenter. Haec, inquam, omnia in theologo requirit Canus; atque ex his quaſi fontibus argumenta ducere poſſe jubet, qui theologi partes ſuſtineat. Quae quum ſane mecum ipſe reputarem, vix ac ne vix quidem adduci poteram, ut crederem, poſſe haec omnia ab homine comparari: praeſertim vero quia quum in eos animum diligenter intenderem, qui theologorum coriphaei hactenus haberentur, neminem his inſtructum omnibus deprehenderem, ſed potius animadverterem ab hac laude abeſſe omnes. Ita demum quum mihi talis tantuſque theologus optandus magis, quam ſperandus videretur, interdum non ſine moerore aliquo theologica ſtudia proſequebar. Sed ecce tibi, quum Baronium lectitare coepiſſem, ſententiam facile depoſui, & cum meliore (ut ſpero) commutavi. Intelligebam enim theologum Baronii lectione eccleſiaſticis hiſtoriis ad miraculum excoli poſſe: ad profanas etiam ſi non uberius, mediocriter certe, & ad rerum divinarum ſtudia opportune admodum informari. Ad haec Apoſtolicis traditionibus, Eccleſiaeque ritibus & inſtitutis, adde etiam Conciliorum decretis, excellenter imbui: denique ad divinarum litterarum ſanctorumque Patrum ac totius Pontificii juris intelligentiam non vulgariter juvari, quum ex iis pro re nata explicet multa: in reliquis regiam nobis viam oſtendat & patefaciat. Quid igitur prohibeat ſolers ingenium & navum (neque enim homines ad theologiam facti ſunt omnes, ſed ſolertiſſimi quique & ſtrenui) linguarum Philoſophiaeque cognitione, florente aetate (id enim multis uſu venire cernimus) comparata, tum ſcholaſtico Theologo-

logorum pulvere accurato quinquennii labore protrito , reliqua prope omnia Baronio duce aggredi : atque ita demum omnes Chriſtianae ſapientiae partes (de Caeſareo namque jure Cano haud aſſentior , niſi tamen illius initia theologo explorata eſſe velit, ut ad jus Pontificium faciliorem ſibi aditum patefaciat) perdiſcere & comparare ? Id quod eo minorem habet difficultatem , quod iſtarum ſtudia doctrinarum , ut mutuo ſe juvant , & pleraque uno eodemque tempore in eamdem contemplationem cadunt , optime jungi poſſunt , atque altius ſemper in animo conſignari . Haec itaque ſunt, mea quidem ſententia, quibus Theologiam ditavit ornavitque Baronius , atque e ſummis anguſtiis & egeſtate ad magnam rerum omnium copiam ubertatemque traduxit . Neque enim magnopere eſt in praeſentia , cur quiſquam ingentem hiſtoriarum ſcriptionumque, ſive ſacras ſpectes , ſive profanas , molem varietatemque reformidet: aut etiam , quoniam pleraeque vix ac ne vix quidem niſi Romae & a viris a Baronio ſimilibus conſuli poterant & pervolutari, in mediis quaſi ſpatiis concidat animo . Haec enim omnia, licet disjecta interdum & lacera, aut etiam diſſidentia & ambigua, ſummo labore conquiſita, parique ſtudio perlecta & examinata, in unum veluti corpus nobis Baronius redegit & in oculis conſpectuque omnium poſuit . Ut proinde qui Baronium perlegat , huic numeroſi auctores illi obviam ſuo quique loco pulcherrimoque ordine procedant omnes : veriſſimeque dici poſſit , quos ille hactenus diurnis & nocturnis quadraginta ferme annorum vigiliis atque laboribus collegit fructus , hos non hebetem & indiligentem illius lectorem biennii ſtudio in ſuum uſum convertere poſſe : ac magna cum animi voluptate , honeſta etiam laude, incredibilique pietatis quaeſtu convertere . Id quod ii ſigillatim fateantur neceſſe eſt, qui quas habemus cum haereticis controverſias, libenter legunt ; ſeque adverſus illorum fallacias inſtruunt . Dum enim tot tantarumque rerum texit hiſtoriam , & Romani Pontificis, aliorumque omnium , quae jam ſaepe recenſui , tuetur auctoritatem , & (uno verbo) pro Catholica veritate pugnat , quid obſecro intactum relinquit , quod vel ad domeſticos fidei protegendos , vel ad perduelles expugnandos pertinere vi-

Digitized by Google

deatur? Ego ſane fateor multos in hoc ſcribendi genere ſubtiliter multa & accurate ſcripſiſſe, ac ſtrenue cum hoſtibus decertaſſe: ſat quoque ſcio non defuiſſe tandem qui controverſias vel omnes vel certe plurimas in unum quaſi corpus redegerit, atque ita redegerit, ut brevi tempore, nec magno labore, liceat illas perdiſcere. Verum illi quoniam alius aliud ſibi argumentum explicandum ſuſcepit, non aequis momentis ac viribus, interdum etiam (ut ſunt varia hominum ingenia) diffidentibus rationibus, rem peregerunt: ita ut lucubrationes ſingulas probare quidem poſſis, in omnibus vero illas conjungere, atque apte congruenterque progredi, minime interdum poſſis: hic vero, ſive quod noſtrorum temporum haereticos ſibi oppugnandos propoſuiſſet, ac lectiſſimam Germanorum Anglorumque juventutem adverſus domeſticos fidei hoſtes inſtruendos ſuſcepiſſet, ſive quod non tam expedire arbitraretur obſoletas jam haereſes in medium afferre atque ignem bene ſopitum excitare, quam ſerpentes comprimere, ardenteſque faces extinguere, ſive quod in recentioribus haereſibus veteres maxima ex parte deliteſcere, atque uno eodemque telo cum recentes, tum priſcas proſterni poſſe judicaret; univerſam fere diſputationem (id quod ipſemet non fatetur, ſed profitetur) in noſtrorum temporum haereticos convertit. Ita Calvinos ſtatim, Lutheros, Servetos, Brentios, Illyricos, Melanchthones, Kemnitios, Zuinglios, Bezas, Centuriatores denique & hujus farinae haereticos laceſſens, in privatis horum erroribus recenſendis, fraudibuſque detegendis & propulſandis, fere eſt totus. At vero Baronius partim oſtendit quo quaeque haereſis tempore ſerpere ac manare coeperit, idque ab ipſo Simone Mago (hic etenim quemadmodum Simoniacis, ita haereticis ſe ducem praebuit & anteſignanum) ducto initio: ſimulque aperit, quibus ſive invidiae, ſive contentionis, ſive pertinaciae facibus incenſi & abrepti miſeri illi, Catholicam veritatem deſeruerint: partim docet quantopere e veſtigio fideles deteſtati ſint illas, atque Eccleſia univerſa publicis execrationibus eas damnaverit: partim in eorundem haereticorum dogmata ſtylum convertit, & ad fibras radiceſque ipſas ſecurim conii-

cit.

cit. Ubi ſane ſacrarum litterarum momentis, rationum pondere, Patrum ſuffragiis, hiſtoricorum teſtificationibus, rerum geſtarum exemplis, ac venerandis totius antiquitatis monumentis, ſic urget hoſtes, ſaepe etiam illorummet telis & machinis de gradu illos ſic deijcit, vel potius obruit, ſic etiam orationis moderatione ac bene de illis merendi propenſione (mirum eſt enim quantopere haec eluceat in Baroniana hiſtoria) eos allicit, ut laudatiſſimos quoſque Controverſiarum ſcriptores facile aequarit, in multis etiam longiſſime ſuperarit. Ut minime mirum videri debeat Germanorum Polonorumque ſtudia excitaſſe: Gallos, Anglos, Tranſalpinos jam prope omnes in ſui admirationem rapuiſſe: denique externorum opera peregrinis linguis loquentem audiri, ut exterae nationes ac gentes vernaculo etiam ſermone, ac tanquam a ſuo quaeque Cive, de Eccleſiaſtica antiquitate & veritate doceantur.

II. III. & IV. Pars in quibus rurſum Eccleſiaſtici Annales, tum ex auctoris perſona, tum ex loco in quo conſcribuntur, tum ex tempore in quod incidunt, breviter aeſtimantur.

Sed jam orationem meam longius progreſſam video quam inſtitueram: compeſcam itaque illam, ac tamquam frenis injectis, cohibebo: niſi tamen tu, vir clariſſime, id mihi prohibueris, quod nihil fere aut de perſonae auctoritate dixerim, a qua conſcripta eſt auguſtiſſima haec hiſtoria: nihil de loci ſanctitate & majeſtate, in quo eſt exorta: pauca etiam de temporum in quae incidit, opportunitate: quum tamen jandiu monuiſſem haec omnia ad hanc hiſtoriam plurimum pertinere, atque in Eccleſiae commodum redundare. Et ſane iſthaec omnia a me fuiſſe praetermiſſa, & fateor, & doleo. Quin video me inde etiam hujus hiſtoriae ſplendorem ac dignitatem oſtendendam propoſuiſſe, quod exquiſita plane ratione conſcripta ſit: & cum veritate, quae hiſtoriae caput eſt ac vertex, perſpecuitatem, cum perſpecuitate diligentiam, pietatem, cetera denique omnia, quae in eccleſiaſtica hiſtoria deſiderantur, egregie plane conjunxerit. Sed longum eſſet ad omnia, ornatiſſime Pinelle. Nec tu a viro occupatiſſimo id poſtulas in praeſenti, quod longioris ſcriptionis ac temporis eſſet, vel (ut verius dicam) juſtum volumen deſideraret. Quanquam ne ſilentio penitus involviſſe videar quae admirabili ubertate & copia tractari poſſent, ad ea ſane lubet digitum ſaltem intendere: ita enim

enim fore ſpero, ut ſi non jejunitatis & ſiccitatis, indecorae certe ac ſubruſticae taciturnitatis crimen devitet oratio. Ergo qui animadvertere velit quantum momenti ac ponderis ex auctoris perſona acceſſerit ad hanc hiſtoriam, ſecum ipſe reputet, ſub quo magiſtro pietatis tyrocinia poſuerit Baronius, quem vitae moderatorem habuerit: in qua ſe exercuerit palaeſtra: aeſtimet quibus exinde ſtudiis, qua caritate, ad ſe pietatis cauſa confluentes amplecteretur, iiſdemque ſalutis iter oſtenderet, & quantum denique ſtudia doctrinarum cum pietate conjunxerit, vel potius ad Dei gloriam animorumque ſalutem ſemper retulerit. Hinc enim facile intelliget Baronium a Deo, tanquam ad aram Aaron, & ad ſceptrum Moſem, ad eccleſiaſticam hiſtoriam ſcribendam vocatum eſſe. Sed & quantam eidem hiſtoriae auctoritatem addat ſanctitas atque majeſtas urbis, in qua veluti concepta, nata, educata, denique ad maturam aetatem perducta eſt, vel ex eo intelligi poteſt, quod plura illi una ſuppeditavit urbs, quam reliquae ſubminiſtrarint omnes. Ut (ſi me audias) id quod Romae per Baronium conſequuti ſumus; aliunde ſine temeritate non modo non ſperari & expectari, ſed ne optari quidem poſſet. Veriſſime namque affirmari poteſt, perenne ac proprium eſſe hujus urbis ſanctiſſimae, ut thermae, arcus, theatra, templa, cryptae, ſepulchra, loca denique omnia, quin lapides ſolumque ipſum, ad eccleſiaſticam hiſtoriam clariſſima offerrent monumenta; & vel tacentia, ad nobiliſſimos Annales conſcribendos invitarent, allicerent, provocarent. Nam de doctiſſimorum hominum multitudine ac varietate qui in hac urbe florent, aut etiam ad eandem confluunt undique, deque pervetuſtis, atque infinita prope librorum copia inſtructis bibliothecis, quid attinet dicere, cum vel hoc uno urbs haec, theatrum orbis terrae, antiquitatis monumentum, arx omnium gentium jure ac merito appelletur?

Jam vero quam opportune atque adeo feliciter in haec tempora ceciderit haec hiſtoria, cum ex iis percipi poteſt, quae jam antea de Eccleſiae ſtatu atque haereticorum impoſturis diſputata ſunt, tum vero ex his quae ſubjiciam, facile intelligetur. Etenim quum auctor multum

tum operis ac laboris ad Romanum Martyrologium, hoc eſt ad praecipua ſanctiſſimorum Eccleſiae militum acta illuſtranda, contuliſſet, ac luculentis ea notationibus illuſtraſſet, quid aliud effecerat obſecro, quam quod fidelium pectora ad uberiorem Chriſtianae Reip. cognitionem praeparaverat, atque ad ſalutarem hanc hiſtoriam non modo excipiendam, ſed cupidiſsime perlegendam excitaverat? Ergo id plane reliquum erat, ut martyrologio pervulgato, optatiſsima haec hiſtoria prodierit in lucem, atque uberrimos laetiſſimoſque Eccleſiae fructus afferret. Huc accedit quod conſcelerati Diaboli ſatellites, divina oracula, Patrum lucubrationes, eccleſiſticaſque hiſtorias ac monumenta impenſiſsime pervolutarant: profana quoque non indiligenter perluſtraverant, & cum ſacris conjunxerant: omnem denique lapidem moverant, omnem litterarum angulum conquiſierant. Sed quorſum? Nimirum ut ea, ſuperiorum haereticorum exemplo, immo vero majore pervicacia & improbitate, ad ſua impura dogmata detorquerent: ut fideles per ſpeciem pietatis mendaciis facilius onerarent: ut pulcherrimam Catholicae Eccleſiae faciem ſi quo modo poſſent, deformarent. Quid igitur opportunius contingere poterat fidelibus hoc tempore, quam eam hoſtibus hiſtoriam opponi, quae ſacras antiquitates fideliter complecteretur, atque illis ſancte religioſeque inſiſtens, Romanae Eccleſiae integritatem Catholicaeque fidei candorem oſtenderet? Ita demum omnino in tempore fuit eccleſiaſtica Baronii hiſtoria in qua cum ſuperiorum ſeculorum fraudes, tum maxime nefaria Magdeburgenſium *a*, atque hujus ordinis haereticorum men-

a Impium horum Magdeburgenſium opus (quod omnium blaſphemiarum errorumque, quos haereticorum rabies ab Eccleſiae ferme incunabulis evomuit, inconditam congeriem optime dixeris) circa medium ſeculi Decimiſexti a quatuor novatoribus haereticis, quos *Miniſtros* vocant, duxit initium, ſub titulo *Centuriarum Magdeburgenſium*, nomine etiam Matthiae Flacci Illyrici totius inſtituti principalis conditoris notum. Univerſum opus in XIII. Centurias ſive ſecula diſtribuerunt illi conditores. Quatuor priores Centurias ediderunt anno 1559. ſuo auſpiciis Eliſabethae Anglorum Reginae: reliquae poſtea conſequutae ſunt ea foecunditate, ut mendaciſſimum opus ad ſex voluminum in folio magnitudinem creverit, typis Baſileanis anno 1634. Non omittam animadvertere Guillelmum Cave quamquam haereticum, in eodem opere fateri (hiſt. litt. Praef. pag 30.) *Ineſſe labes & naevos, multa omiſſa, peccata multa, ſe deprehendiſſe etiam quandoque in ipſis conditoribus nimiam affectuum indulgentiam*. Praeterea Centuriarum primi auctores ab ipſis Lutheranis exilio mulctati ſunt, quod eos pati nequirent; immo Schluſſel-

mendacia ac tenebrae Catholicae veritatis luce disjcerentur: quin ut hujus virtus magis ac magis appareret, ſimulque pii omnes intelligerent, quantopere lux tenebras, veritas mendacia, Chriſtus Diabolum ſuperaret, unus, unus, inquam, Centurias integras atque adeo hoſtium decem millia profligaret. Haec inquam (ut ſummatim & quam breviſſime illa indicem) ſecum ipſi reputent, ac per ocium diligenter expendant, qui perſonae auctoritatem (ut par eſt) ac dignitatem, majeſtatem quoque loci, & miram hanc temporis opportunitatem, pertinere fatentur ad hanc hiſtoriam.

Poſtrema pars in que ex ſcriptionis ratione ſtrictim omnino dijudicantur, vel certe capita indicantur, unde uberius dijudicari poſſint.

Porro autem ſcriptionis modus & ratio, de qua mihi poſtremo loco dicendum eſſet, tam late patet, vix ut exitum ullum ſperare liceat. Agnoſcendum enim eſſet primum quam ſolida ſive rerum ſive temporum veritate haec contineatur hiſtoria. Siquidem nemo eſt, qui neſciat eam maxime expeti: ceteraque omnia ſupervacanea, ubi hiſtorici fides requiratur, aut veritas ſuſpecta ſit. Deinde videndum eſſet qua perſpicuitate, & quo ordine diſpoſitae res ſint & collocatae. Quotus enim quiſque eſt, qui non intelligat, vix prodeſſe quicquam occultam rerum ac temporum veritatem introſpexiſſe (in occulto namque latere ſolet veritas) niſi ordo ex inordinato, perſpicuitas e tenebris illam eximat? Sed & obſervandum eſſet quam appoſite referatur atque omnibus abſoluta partibus proferatur. Ut enim inania & ocioſa vitanda ſunt, ita, quantum injuria temporum patiatur, nihil eſt praetermittendum, quod ad integram rerum geſtarum noti-

ſelborgius Lutheranorum celebris Scriptor ſuo haereticorum indici adſcribit Centuriatorum Principem Matthiam Flaccum Illyricum; utpote manifeſtum Manichaearum, & Arianorum blaſphemiarum reum. Lucas Oſiander Vvitembergenſis Centuries has in compendium redegit addita continuatione ad annum uſque MDCI. Hoc Oſiandri opus prodiit Tubingae ab anno MDCI. ad annum MDCIII. Hujuſmodi itaque opus ut refelleret, Ecclesiaſticos Annales confecit Ven. Card. Baronius, in quo opere auctores cumularent quaecumque adverſus ſanctitatem Eccleſiae Romanae, auctoritatem ſummorum Pontificum, omniaque religionis Catholicae dogmata adverſari ſibi videbantur. Animadvertendum tamen, praeſtantiſſimum Cardinalem, etſi cauſa ipſi Annales ſcribendi fuerint haereſum & fallaciarum Centuriatorum Magdeburgenſium confutatio, ab iis tamen aperto Marte impugnandis abſtinuiſſe, ſed pure & ſimpliciter hiſtoriam ſuam perteciſſe; quin eos non alio niſi communi haereticorum ac Novatorum nomine appellavit. Hac enim ratione ſe geſſit, quod putaverit melius fore vel minimum verbum quidem de illis reticere; ne periculi plene curioſitas ſuboriretur, pateretque deſiderium libros illos cognoſcendi, quorum lectio nonniſi exitioſa eſſe cuicumque poteſt.

notitiam pertinere videatur. Ad extremum, quoniam non de ſtillicidiis aut fundis agitur, ſed de ſacris antiquitatibus & monumentis, deque divinis doctrinis & inſtitutis ac totius Chriſtianae rei ſumma, animadvertendum eſſet qua ſive pietate, ſive prudentia, ſive eruditione, & rerum omnium cognitione, res pertexat & proſequatur. Haec inquam omnia tractanda eſſent & decernenda, quorum tamen diſceptatio & dijudicatio, tum bene longam ac variam diſputationem requireret, tum (ut ingenue fatear) meas vires quam longiſſime ſuperaret. Quamobrem dabis mihi hanc veniam, Vincenti optime, ut inter has anguſtias pictores mihi liceat imitari. Ii enim, quum ſibi inſtructiſſimus exercitus in tabula ſit effingendus, primam aciem quanta poſſunt referunt cura, & ſtrenuiſſimorum equitum peditumque abſolutiſſimas effigies objiciunt intuentibus: tum mediam poſtremamque ſic exprimunt & imitantur, ut in illa caput tantum aut galeas attollant aliqui: in hac vix confertiſſimae haſtarum acies militaribus diſtinctae inſignibus appareant. Hos itaque in praeſentia imitabor ipſe: quum etenim pro mea mediocritate expoſuerim, quae primo loco de *Baroniana* hiſtoria dicenda, ac veluti in prima acie collocanda fuerant: aliqua etiam ex parte proſequutus ſim quae medium ſibi locum depoſcerent; poſtrema equidem per capita leviter attigiſſe ac tanquam ſummis apicibus indicaſſe, contentus ſum. Denique quum in poſtrema hac diſputationis parte major ſeſe objiciat rerum varietas ac moles quam ut mihi ad eas digerendas tractandaſque, aut detur ocium, aut facultas ſuppetat & copia, malim equidem tamquam iners hiſtrio poſtremum actum taciturnitate tranſigere, quam quod hoc tempore praeſtare nequeam, imprudenter aggredi. Id quod eo etiam libentius faciam, quod in ipſo Eccleſiaſticorum Annalium curſu veritas acute cernentibus ſua ſe luce declarabit: ordo etiam, (ut ſpero) perſpicuitas, cetera demum omnia, quae ad extremum percenſebam, aequis rerum aeſtimatoribus non poterunt non probari. Illud tamen hac ego in re minime praeteribo, quod mihi quidem ad exitum properanti, ac veluti colophonem judicio huic noſtro, quale quale tandem illud ſit, imponere cupienti, non inopportunum videri ſolet.

F Ergo

Ergo cum multa ſaepe occurrebant mihi in hujus tractatione hiſtoriae quae probarem, tum vero illud quod nunquam ſatis demirari ac ſuſpicere, nullis unquam laudibus ſat celebrare valeo. At quid hoc tandem? Illud, illud inquam, quod (ut ſpero) tibi, Pinelle ornatiſſime, probabitur vehementer. Exiſtimaveram ipſe aliquando, & niſi vehementer fallor, jure optimo exiſtimaveram, auctorem ſatis ſuperque facturum fuiſſe muneri ſuo, ſi tum utriuſque foederis volumina, tum Patrum atque aliorum quos ſaepe recenſuimus, ſcripta diligenter evolviſſet, ac pro re nata ad Eccleſiaſticos Annales texendos, acri interim judicio adhibito, appoſite retuliſſet. Verum dum pergo legere, video illum obſceniſſimorum carmina poetarum, deteſtandas Deorum vel potius Daemonum imagines, ſuperſtitioſa oraculorum reſponſa, idolomaniaſque teterrimas, perditiſſimorum tyramnorum icones, lapides & monumenta Diis manibus, ſive (ut verius dicam) inferis monſtris dicata, hiſtoricos denique contaminatiſſimos atque acerrimos Chriſtianae fidei hoſtes, proferre. Ex quibus tamen, dum rem attentius adhuc conſidero, tam apte multa & ſcite eligit ac delibat ad Eccleſiaſticae hiſtoriae uſum, atque ad Chriſtianorum myſteriorum veritatem illuſtrandam, ut ad eorum lectionem incredibili admiratione perculſus, tantum non obſtupuerim. Et quidem, ut legeram aliquando nullum extare librum uſque adeo malum, ex quo boni aliquid colligere haud liceat, putaſſem quidem Ovidios, Catullos, Martiales, etſi pleniſſimos turpitudinis, (idem ferme de reliquis dixerim quae recenſebam) poſſe interdum prodeſſe ingenio, addo etiam aliquod commodum afferre vitae: at ad ſacroſancta religionis myſteria intelligenda aditum patefacere aliquando poſſe, ne juranti quidem unquam crediſiſſem, & tamen hoc ipſum *Baronii* induſtria perfectum, ac magna etiam cum illius laude & fidelium bono perfectum, video. Quae cum ita ſint, vel hinc licebit conjectare, immo vero tanquam ex perſpicua veritatis nota perdiſcere, quam excellenti traditione ac rerum omnium ſtudio & cognitione, *Baroniana* contineatur hiſtoria.

Jam ita clauditur diſputatio, ut non-

Haec habui quae inter aſſiduas occupationes ſubceſſivis quibuſdam horis de Eccleſiaſticis *Baronii* Cardinalis Annali-

nalibus generatim ad te perſcriberem. Alias fortaſſe ſi dabitur ocium nova diſputatione per ſecula ferme ſingula diſtinɛte ac ſigillatim perſequar alia multa. Neque enim is ſum ego, qui tanta in rerum varietate ac mole (id quod humanis in rebus evenire paſſim ſolet) non aliquando haeream ac dubitem: ſaepe etiam interfui doctiſſimorum virorum ſermonibus; qui in quibuſdam (ut fit) nonnihil diſſentirent: memini inſuper me varia legiſſe apud auctores graviſſimos, qui non raro, nec contemnendis rationibus, in contrariam ſententiam nos revocare videantur: nec deſunt multi qui, quaſi ſtylus parum preſſus, vel etiam nimis redundans ſit, Atticam in eo ſiccitatem requirant: denique ſunt non pauci, qui non a legendo deterrentur ſolum, verum etiam magnopere verentur, ne quod Trogo, Livio etiam fortaſſe, Dioni, aliiſque nobiliſſimis hiſtoricis quibuſdam accidit compendiorum injuria, id & Baronio eveniat decurſu temporis. Quum enim Juſtini, Flori, aliorumque epitomis editis, Trogi ferme integri, Livii maxima ex parte, aliorum multorum funditus jactura facta ſit, quid quaeſo de *Baronio* pertimeſcendum non eſt, qui unus jam jam plura Annalium monumentis conſignavit, quam Livius, Dio, totidemque hujus ordinis auctores mandarint hiſtoriae? Sed his omnibus opportune alias (ut ſpero) ſatisfaciam: idque auctore ipſo (quod non licuit hactenus) conſulto. Qui ſane, ſi brevi unius atque alterius inſequentis ſeculi Annales vulgaverit, profecto (ut Regum facta, Imperii ſeſe adjungent hiſtoriae) novum nobis campum aperiet in quem noſtra excurrat oratio.

nulla etiam dubitentur, quae fortaſſe novae diſputationi campum aperient.

Tu vero, *Baroni Cardinalis religioſiſſime*, ſi forte unquam ad tuas manus pervenerit noſtra haec diſputatio, ſic habeto. Me quidem, dum ad tua haec Annalium monumenta reſpicio, non poſſe induſtriam diligentiamque tuam non magnopere commendare, atque ingentes labores admirari, quos in illis tot annos vel potius tot luſtra fortiter pertuliſti. Cum enim certam aliquam ac definitam artem ſerio tractanti, graviſſimi labores ſint perferendi, ac deſudandum algendumque ſaepe; quid quaeſo tibi contigerit neceſſe eſt, cui omnia pene doctrinarum bonarumque artium ſtudia tam ſerio ac tanta circumſpe-

ctione attingenda fuerunt ac pertractanda ? Quod ſi Antiqui ſummos ac prope immenſos judicabant eorum labores, qui non diſco ſolum & lucta, ſed curſu etiam, caeſtu & ſaltu valerent, ac digni tandem eſſent qui πένταθλοι dicerentur, quid tandem ſatendum nobis de te erit, quem, ut muneri pro dignitate ſatisfieret, multiplici humanarum divinarumque doctrinarum cognitione, vel adverſariorum teſtimonio, imbutum eſſe oportuit ? Ego ſane, dum haec mecum ipſe attentius reputo, te non dicam πένταθλον noſtrorum temporum, ſed πένταθλον appellandum eſſe judicaverim. Sed tamen, dum ab hujuſmodi laboribus atque vigiliis avocare animum nitor, ac mentem attollo altius, facile in eam ſententiam venio, ut exiſtimem hoc opus (quod ne tu quidem inficiaris) non tam laborantis eſſe & currentis, quam miſerentis Dei: nec tam illius qui plantat ac rigat induſtria, quam ejus, qui incrementum dat, benignitate extitiſſe: denique (ut me ſemel explicem) nihil plane eſſe cur in eo glorietur omnis caro. Quum enim operoſiſſimae hujus molis fundamenta per te prius jacta eſſent, quam de illa conſtruenda cogitares; immo vero jam parietes attollerentur, nec tu de aedificatione omnino deliberares, quis non divini architecti conſilium agnoſcat ac ſapientiam, qui per te prope inſcium nova Eccleſiae praeſidia exaedificare conſtituerat ? Nec alio ſane ampliſſimorum quorundam Patrum, quorum auctoritas permagna erat in Dei Eccleſia, quin ipſiuſmet ſummi Pontificis (nam Gregorio XIII. hortatore martyrum hiſtorias aggreſſus, jeciſti fundamenta Eccleſiaſticorum Annalium) hortatus refero & ſuaſiones. Non alio graviſſima illius incitamenta, cujus auctoritati ac voluntati tantopere tribuebas, quemque tibi vitae moderatorem ac ducem delegeras: quandoquidem in his omnibus ejus mihi providentiam intueri videor atque conſilium, qui, ut attingit fortiter ſuaviterque diſponit omnia, per hos tanquam ſuae voluntatis interpretes & adminiſtros, tuos conatus ac ſtudia dirigebat. Quid multa ? *Clementis* cujus tibi pietas & ſapientia jamdiu perſpecta ac probata erat, acceſſit auctoritas. Is enim ſive tuorum Annalium pietate incenſus, ſive fidelium utilitate permotus, ſive Eccleſiae dignitate exci-

excitatus, quantopere ſemper hoc opus urgeret & flagitaret, ſupervacaneum eſt commemorare. Ut ego quidem ſi rerum noſtrarum eventus conjectura aliqua proſpicere, vel certe de illis optime ſperare liceat, magnopere confidam & ſperem, non antea *Clementem* a nobis demigraturum, quam tu *Baroni Illuſtriſſime*, tuos, vel potius noſtros atque adeo Eccleſiae Annales abſolveris. Ut nimirum abſolutis atque perfectis *Clemens* illis univerſis copioſe ac largiter benedicat : atque Eccleſiae quam unice diligit, quemadmodum ſacroſancta utriuſque foederis monumenta miro candore illuſtrata, ita Eccleſiaſticos Annales omnibus numeris abſolutos, perpetuum ſui amoris monumentum, firmiſſimum fidei propugnaculum, novum denique Urbi decus & ornamentum relinquat.

Digitized by Google

VENERABILIS CARDINALIS

CAESARIS BARONII

E T

CLARORUM VIRORUM AD EUM

EPISTOLAE SELECTAE.

TOMVS SECVNDVS.

EPISTOLA CXXIX.

CAESARI CARD. BARONIO

PHILIPPUS GEMINARA.

Egregium Diploma a Ferdinando II. Siciliae & Hieruſalem Rege, Baroniae genti conceſſum anno 1496. ad eum mittit.

EA innata vis eſt, (ampliſſime Princeps) ut quiſque mortalium ſuadente natura, ſuos prae ceteris conſanguineos diligat: nam, etſi maxime diſtent, cognati tamen perpetuo illi ſunt. Quare cum ipſe omnium minimus noſtrae familiae Baroniae ſaepiſsime a noſtris parentibus audiverim, egregios amploſque codicillos, ſeu diplomata a Ferdinando Rege Siciliae noſtrae familiae praeſtita; haec quidem, poſt multos labores, quos in eis inveniendis ſubiverim ab exemplari deſcribenda, eaque authentica, tuae Amplitudini mittenda cura-

curavi (*a*). Sic enim tu omnium prudentiſsimus, facile profecto intelliges, quantum noſtri majores, viribus ac nobilitate praeſtite-

(a) Hoc eſt autem hujus diplomatis ad Baronium miſſi exemplar ex autog. deſcriptum.
,, Ferdinandus II. Dei gratia Rex Siciliae,
,, Hieruſalem &c. Univerſis & ſingulis praeſen-
,, tium ſeriem inſpecturis, tam praeſentibus,
,, quam futuris. Optimi & gratiſſimi Prin-
,, cipis eſt ſervitia accepta a fidelibus ſub-
,, ditis non ſolum digna remuneratione per-
,, ſequi; verum etiam ad decus & honeſta-
,, tem eorum qui ea praeſtiterunt, recenſe-
,, re, & litterarum monumentis immortali-
,, tati ſere propagare: ut, & ipſi in quo-
,, rum laude conſcribantur, viventes ſua glo-
,, ria perfruantur, & eorum poſteri ſuorum
,, majorum exemplo, excitati, id aſſequi
,, omni ſtudio & labore conentur. Fuerunt
,, itaque pene infinita ſervitia nobis praeſti-
,, ta per magnificos Bernardinum Baronum
,, militem, & Jacobellum, Hieronymum &
,, Bartholomaeum Baronos fratres de terra
,, noſtra Miſiani Provinciarum Calabriae fa-
,, miliares noſtros fideles & dilectiſſimos;
,, Sed ne caetera alia omittamus, quae lon-
,, giſſima recitatione indigerent; illud certe
,, praetereundum eſſe minime videtur, quod
,, idem Hieronymus multis annis tam intra
,, quam extra hoc Regnum nobis militanti-
,, bus inter alios nobiles milites, quos circa
,, nos praeſidii cauſa habuimus, tanta fide,
,, tantoque ſtudio, & amore nobis inſervit,
,, ut die a nobis nunquam ipſum dimiſeri-
,, mus; noctu vero excubiis pro tentorio no-
,, ſtro faciendis ſemper praefecerimus: et
,, ultimo proficiſcentibus nobis a Regno.
,, Cum enim Hieronymus, poſtpoſitis bonis
,, ſuis omnibus, ac uxore & filiis, fidelita-
,, te, & amore nos proſequebatur, ultro ſe
,, nobis obtulit ſervitium noſtrum nolle de-
,, ſerere cujuſcumque fortunae nobis parti-
,, cipem ſe facturum libenter oſtendens.
,, Quod quidem apud nos tanti momenti
,, fuit, ut haec tantummodo amoris ſignifi-
,, catio ita nos detinuerit, ut perpetuo ſuum,
,, ac ſuorum animum, beneficia, commo-
,, da, & honores quam chariſſimos habea-
,, mus. Sed cum fuit nobis viſum, eumdem
,, Hieronymum, ſuoſque praedictos fratres
,, in dicta noſtra Terra Miſiani potius eſſe
,, debere, in qua plurimum & auctoritate
,, & opibus poterant, quam nos ſequi, ac-
,, ceptis a nobis nonnullis mandatis, Miſia-
,, num profecti ſunt. quae quidem Terra
,, cum ſola vel cum pauciſſimis in eadem
,, Provincia Calabriae in noſtra fidelitate
,, ſervaretur contra vim ingentiſſimam ho-
,, ſtium a quibus undique premebatur;
,, in qua poſito quadringentorum militum
,, praeſidio, & aliquando plurium, quos
,, iidem fratres ſuis propriis ſumptibus com-
,, paraverunt, & aluerunt, eamdem Ter-
,, ram ſub noſtris ſignis, & vexillis ſemper
,, obtinuerunt, quod ex longa & conti-
,, nua trium menſium obſidione, aqua pe-
,, nitus incluſis defuerit, quae minime a
,, principio in eadem terra ſatis abundans
,, fuerat, ob quam aquae carentiam cum
,, viderint omnino Terram ipſam in hoſtium
,, manu eſſe perventuram, fratres ipſi una
,, cum uxoribus & filiis relictis rebus & bo-
,, nis eorum omnibus, quibus locupletiſſimi
,, erant, utpote domibus, poſſeſſionibus,
,, molendinis, rapetis, & pecoribus ho-
,, ſtibus diripiendis & diſtimendis, ſicut jam
,, diruta, vaſtata & direpta omnia fuerunt,
,, neglectiſque multis pollicitationibus, ac
,, conditionibus ab hoſtibus ſibi oblatis, ſi
,, remanere & ipſorum partes ſequi voluiſ-
,, ſent, Meſſanam Regni Siciliae ulterioris
,, nobiliſſimam Civitatem, in qua eramus,
,, navigarunt, & ad nos profecti ſunt, for-
,, tunis tantum mutati. Sed eodem tempo-
,, re, quo ſemper fuerant animo & fide er-
,, ga nos optima & ſingulari; quorum ad-
,, ventus fuit nobis certe gratiſſimus, ab ip-
,, ſis enim totius Regni noſtri conditionem,
,, ac Provincialium devotionem & affectio-
,, nem erga nos, de qua prius quampluri-
,, mos nuncios proprios ad nos miſerant,
,, coram edocti ſumus, etiam ipſorum opera
,, in rebus multis ſtatum noſtrum concernen-
,, tibus libentiſſime uſi ſumus, & tandem
,, nobiſcum, divino favente auxilio, in Re-
,, gnum redeuntibus navigarunt, in quo no-
,, ſtro reditu, & ubi Neapolitanam Civita-
,, tem nobis fideliſſimam introivimus, in
,, expugnatione Arcium, quas Galli etiam
,, poſt noſtrum adventum retinebant, iidem
,, fratres eodem quo ſoliti ſunt ſtudio &
,, amore procedentes operam ſuam ſtrenue
,, dimicando & bellando, ac dictas arces
,, obſidendo & oppugnando nobis navarunt:
,, & ut unico verbo omnia complectamur,
,, ſic a dictis fratribus nobis inſervitum eſſe
,, confitemur, ut a quovis intimo fideliſſi-
,, moque noſtro melius inſervitum nobis ne-
,, quaquam fuerit. Quorum ſervitiorum ne-
,, que

ſtiterunt, quantumque in re militari ceteris praecelluerunt quantumque Reges ob eorum inſignem virtutem, ſummamque fortitudi-

„ atque aliorum, quae brevitatis ſilentio
„ praeterivimus, memoria in nobis haeredi-
„ buſque & ſucceſſoribus noſtris perpetua
„ gratiſſimaque ſemper erit. Et licet eadem
„ ipſa ſervitia ampliſſima remuneratione di-
„ gna eſſe judicemus; tamen cum res noſtri
„ Regni nondum quietae & pacatae ſint,
„ non eo pacto quo vellemus illa premiare
„ & remunerare poſſumus: ſed tamen ne
„ forte penitus ingrati judicemur, in aliquam
„ remunerationem ſervitiorum, ac acceptorum
„ ad inſignem ſingularis amoris & be-
„ nevolentiae noſtrae erga eoſdem fratres
„ tanquam nobis fideliſſimos, & de nobis
„ optime meritos tenore praeſentium, de cer-
„ ta noſtra ſcientia, deliberate & conſulto
„ noſtro quidem proprio motu & gratia ſpe-
„ ciali eoſdem Bernardinum, Jacobellum,
„ Hieronymum, & Bartholomeum Barones
„ fratres de dicta Terra Miſiani familia-
„ res noſtros creamus, facimus, & ordina-
„ mus, & in numero & conſortio aliorum
„ familiarium noſtrorum aſcribimus, & ag-
„ gregamus, potituros, & gaviſuros de
„ caetero omnibus illis praerogativis, gra-
„ tiis & privilegiis, libertatibus, ac immuni-
„ tatibus, quibus potiuntur, fruuntur &
„ gaudent caeteri noſtri familiares, ac po-
„ tiri frui & gaudere ſoliti ſunt. Nec non
„ praedictis Bernardino, & Hieronymo Ba-
„ ronibus, & eorum fratribus videlicet Ja-
„ cobello & Bartholomeo, necnon Nicolao
„ de Martino & Antonio Godano de dicta
„ terra Miſiani, quos dicti fratres antequam
„ ad nos venirent ſaepe ſaepius Hiſclam &
„ Meſſanam nobis miſerunt cum litteris ip-
„ ſos hoſtium progreſſus nobis ſignificanti-
„ bus; Earundem tenore praeſentium, de-
„ que eadem certa noſtra ſcientia damus,
„ donamus, & concedimus pro ipſis ac ſuo-
„ rum, & unius cujuſque ipſorum haeredi-
„ bus & ſucceſſoribus in perpetuum immu-
„ nitatem franchitiam & exemptionem om-
„ nium fiſcalium functionum, & ſalis ordi-
„ nariorum & extraordinariorum quocum-
„ que & quovis modo eas ſolvi contigerit,
„ eoſdemque ac ſuos haeredes & ſucceſſo-
„ res in perpetuum francos, immunes &
„ exemptos facimus a contributione & ſolu-
„ tione dictarum fiſcalium functionum & ſa-
„ lis ordinariorum & extraordinariorum quo-
„ cumque & quovis modo ſolvendorum.
„ Volumus quoque, quod dicti fratres prae-
„ dictique Nicolaus & Antonius ac ipſorum
„ haeredes, & ſucceſſores deinceps potian-
„ tur, fruantur, & gaudeant omnibus illis
„ immunitatibus, franchitiis, & exemptio-
„ nibus in toto hoc Regno noſtro, quibus
„ potiuntur, fruuntur, & gaudent Liparen-
„ ſes, Tropienſes, & Amanteani, & ubi in-
„ colatus fuerit ipſorum, ad nullam angariam
„ teneantur, nec etiam aliquem hoſpitari.
„ Mandantes propterea earundem tenore
„ praeſentium Capitaneis, Univerſitatibus &
„ hominibus dictarum Civitatum Liparis &
„ Tropiae ac dictae Terrae Amanteae qua-
„ tenus ad omnem ipſorum Fratrum & Ni-
„ colai & Antonini inſtantiam & requiſitio-
„ nem, ſeu cujuſvis ipſorum, vel alterius
„ cujuſcumque eorum nomine exempla au-
„ thentica dari, exhiberi & conſignari ſibi
„ faciant gratias exemptiones, immunitates
„ & franchitias dictarum Civitatum & Ter-
„ rae continentia. Volentes quoque & de-
„ cernentes expreſſe, quod exemplis praedi-
„ ctis in forma authentica producendis per
„ dictos fratres, ac Nicolaum & Anto-
„ nium ſupradictos, in quibus continentur
„ gratiae & immunitates & franchitiae di-
„ ctorum Liparenorum Tropienſium & Aman-
„ tinorum, & fides adhibeatur ab omnibus
„ officialibus & ſubditis noſtris, per quos
„ opus fuerit, quae adhibetur originalibus
„ privilegiis Civitatum ipſarum & Terrae prae-
„ dictae, & ſic praedictis fratribus ac dictis
„ Nicolao & Antonino & ipſorum haere-
„ dibus & ſucceſſoribus obſerventur & ob-
„ ſervari debeant, ac ſi in perſona ipſorum
„ eſſent expedita, & conceſſa, & quod pro
„ dictorum exemplorum praeſentatione nul-
„ la ſolutio exigatur a quibus praeſentabun-
„ tur ſimpliciter, vel ſolemniter aut aliter
„ quocumque modo. Et ut praemiſſa om-
„ nia & ſingula, illumque volumus, ſor-
„ tiantur effectum; mandamus Illuſtri Magno
„ hujus Regni Camerario & Seniſcalco, ac
„ magno Juſtitiario, ipſorumque locatenen-
„ tibus, Praeſidentibus, et Rationalibus Ca-
„ merae noſtrae ſummariae, necnon Vice-Re-
„ gi et Locumtenenti Generali in eadem di-
„ cta noſtra Provincia, et aliis quibuſ-
„ cumque officialibus majoribus et minori-
„ bus quocumque nomine nuncupatis, ſitu-
„ loque, auctoritate, juriſdictione, et poteſta-
„ te fungentibus in quavis hujus Regni no-
„ ſtri parte conſtitutis et conſtituendis, et
maxi-

tudinem eis tribuerunt. Gaude ergo in ſinu tuo, gaudeque nobiſcum; etenim non novum hominem propter ingentes admirabileſque tuas virtutes, optimoſque tuos mores quibus in tantum faſtigii merito provectus es: te appellare quiſque poteſt: quippe quia ſtemmata noſtrorum veterum, undique coruſcabant, & hodie te auctore, & duce clarius quidem. Quaeris ne unde ortum habet haec noſtra familia? Hoc paucis tibi complectar. Lugduno, ut a majoribus noſtris per manus ſuae poſteritati traditum eſt. Ibi enim cum haec proſapia diutius floreſceret, & divitiis, & claris natalibus: quidam ex Lugdunenſibus, quorùm nominibus brevitatis cauſa parcendum putavi invidia accenſi, atque iniquitate inflammati, noſtros omnes trucidarunt, exceptis quidem duobus infantulis una cum eorum progenitrice id temporis uterum geſtante, quae poſtea ſuo tempore puerum in lucem edens, eos omnes incolumes, ſummiſque lacrymis accurate eduxit: qui jam adulti aetate, memores tantae ſuorum ſtragis, contemptis, ſpretiſque divitiis omnibus, rebuſque familiaribus vindictam de cunctis interfectoribus ſumpſerunt, hinc tria ſanguinis flumina, quae noſtrae ſunt gentilitatis inſignia effluxerunt, ob quam rem erepta mox fuga alius in Hiſpaniam, alius hic Trinacria, alius tandem Parthenopem ſe recepit, a quo ipſe tanquam ex ejus liberis originem traho. Habes igitur breviter (Illuſtriſſime Princeps) noſtrae gentilitatis, familiaeque ori-

„ maxime in dicta Provincia Calabriae; ad „ quos, ſeu ad quem ſpectat, praeſenteſque pervenerint, et fuerint quomodolibet praeſentatae, et praeſertim Theſaorario noſtro „ ipſius Provinciae, & Capitaneis dictae „ Terrae Miſiani, & Terrae Montis leonis „ praeſentibus aliis ſucceſſive futuris. Quatenus forma praeſentium per eos & unumquemque ipſorum diligenter attenta & firmiter obſervata; illam dictis fratribus & „ praedictis Nicolao & Antonino, ſuiſque „ haeredibus & ſucceſſoribus in perpetuum „ obſervent, & obſervari faciant per quos „ decet, omni dubio & difficultate ceſſantibus, et contrarium non faciant, pro „ quanto gratiam noſtram charam habent, „ iramque et indignationem noſtram, ac „ poenam ducatorum mille cupiunt evitare. „ In quorum fidem praeſens privilegium „ exinde fieri et magno Majeſtatis noſtrae „ pendenti ſigillo juſſimus communiri. Datum in noſtris felicibus Caſtris Avellini „ per magnificum virum Conſiliarium noſtrum Antonium de Alexandro Locumtenentem Illuſtris Don Goffredi Borgias de „ Aragonia Principis Squillaci, Cariatique „ Comitis Regni hujus Logothetae et protonotarii collateralis et conſiliarii et fratris noſtri chariſſimi die octavo menſis „ Febr. Ann. Domini MCCCCLXXXXVI. „ Regnorum vero noſtrorum anno ſecundo.

REX FERDINANDUS.

„ Andreas de Capua. Caeſar P. Lás „ M. Dominus Rex mandavit mihi Chariezeo.

„ Praeſens copia extracta eſt a ſuo Regiſtro intitulato Privilegiorum r. fol. 158. „ quod conſervatur penes magnificum et circumſpectum Regium Secretarium in Regia Cancellaria, cum quo facta diligenti „ collatione concordat.

Loco Sigilli.

„ Dominicus de Magiſtris Regius „ Regiſtri ſcriba.

originem; habes ex ipſo diplomate quantum benemeriti ſunt noſtri majores de antiquis Regibus, quantumque excelluerunt, & praecipue in militari diſciplina. Supereſt modo, ut colaphonem addam, & me inter minimos conjunctione ſanguinis conjunctiſſimos, in tuique ampliſſimam clientelam recipias, meque tibi, cui Neſtoreos (ut ajunt) deprecor annos, ſummumque dignitatis apicem exopto, meque deditiſſimum eſſe exiſtimes. Vale Panormi Kal. April. MDC.

EPISTOLA CXXX.

CAESARI CARD. BARONIO

HIERONYMUS SANTANGELUS.

Officium ac hiſtoriam S. Amantii Epiſcopi in lucem a ſe edita ei offert.

CUM Seraphicos illos Patres Cardinalis ampliſſime zelo divino accenſos conſpicerem, qui noctu diuque pro Dei & Sanctorum gloria magnis laboribus perſungebantur in terris, perlucidis & ſalutaribus documentis Catholicam illuſtrarunt Eccleſiam, decorarunt virtutibus & moribus informarunt: per ipſos praeterea quaſi luminoſas ardenteſque lucernas ſuper candelabrum in domo Domini poſitas, errorum tenebris profugatis, totius corpus Eccleſiae tamquam ſydus irradiat matutinum. Horum in te vidi exemplar, qui tum pietate inſignis, tum bonitate celebris, tum mentis integritate admirabilis & admirandus, qui memoria vives in ſaeculum ſaeculi, & nomen tuum requiretur a generatione in generationem, totique orbi, dum ejus conſiſtet machina, tuarum clariſſimarum virtutum, Sanctorum Annales vere & prudenter atteſtantur, per ipſos (quaſi Sanctorum Regiſtrum) Apoſtolicam Eccleſiam infinitis confutatis apochryphis hiſtoriis illuſtraſti, quae ut gemmis vernantibus rutilat, earumque ſingulari ordine glorioſius ſublimata coruſcat. Neque ullus umquam tui ſimilis tam pie, tam luculenter, tam copioſe ad haec uſque tempora edidiſſe cernitur. Noverat enim haec omnia Optimus ille Paſtor Clemens VIII. Pont. Max., qui merito ad Annalium muneris laudem Galeri purpurei Principatum adjunxit, ut eſſes Sacri Collegii Illuſtriſſimorum DD. S. R. E. Cardinalium laus & corona. Tu munificentiſſimus etiam

 in

in ipſorum ſacris aedibus, hinc inde erigendis, reparandis crebris ruipis & ipſa vetuſtate collapſis. Et ne ſilentio ſaltem illud involvam. Quis rudera illa Sanctorum Martyrum Nerei & Achillei, quorum titulo ipſe decoraris, tam honorifice a te reparata, ornata, & ditata, contemplatus, & te propter pietatem imitari, & propter liberalitatem ſuſcipere non concupiſcat? Scribatur nomen tuum in tabulis aereis, & dicat tibi omnis Populus tibiis & citharis. Tu orbis terrarum decus, & ornamentum. Tu Latii gloria: Tu Regni Parthenopes laetitia, & inter Soranos non ſurrexit major. Quod cum probe noſſem gratiſſimum tibi futurum ſum arbitratus, ſi aliquid me effeciſſe verbis chartiſque cognoveris, quod tu & verbis, & re ipſa perfeciſti. Officium juxta ritum S. R. E. cum rebus geſtis, Cardinalis Illuſtriſſime, Sanctiſſimi Patris Amaſii Soranorum, ac Theanenſis Civitatis Patroni ampliſſimi, beneficentiſſimique libello complexus ſum, & in quamdam quaſi ſeriem ordinemque redegi: ratus, nihil tibi mortalibuſque omnibus accidere poſſe jucundius, quam id habere prae oculis, quo perſpecto cognitoque omnes & ſanctitatem cum dignitate, & dignitatem cum Religione conſequantur. Acceſſit ad haec, tanta cum Octaviano Baronio Patruele tuo, & prae oculis dilecto familiaritas, ac pene dicam, adeo mutuus, qui mihi cum ipſo interceſſit amor: a quo neque mors, ſi dicendi ratio fas eſſet, ſeparabit, cum ſuis praeconiis optima illa ſocietate dignisſimo; tantaque tecum conjunctione, ut ſi quid in luce poſſet hac felicius inveniri praeſtaret. Accipe ergo Cardinalis humanisſime ea benignitate, qua ſoles filiorum munuſcula & obſequia, virtutes & labores a Sanctisſimo Viro pro Chriſtiani nominis dignitate, in Civitate Sorana ſuſceptos, quos & maximos eſſe intelligis, a me ut potui diligentius ex Theanenſi ſelectos Eccleſia, & quamquam tuae tantae dignitati exile & tenue eſſe videatur; permagnum tamen quum ſatisfacere minime poſsim, meae praecipue in Sanctorum reverentiam tuique obſervantiam voluntatis & gratitudinis ſymbolum apparebit. Tuaque auctoritate, quae maxima eſt, Auctori eris praeſidio, majoremque apud omnes de Sanctisſimi Viri antiquitate opinionem conciliabis (& ecce Deus Opt. cunctorum bonorum fons & origo nova faciat ſecunda omnia) ipſum precans, ut te quam diutisſime ſervet & humanis, ac divinis donis quam maxime afficiat, & exornet, Deiparaeque Virginis precibus, ut qui ſuper Eccleſiae Chriſti pulcherrimum dignisſimum-

mumque candelabrum accenſam te poſuit lucernam & micantem, & fulgentem etiam ſtellam in perpetuas conſtituat aeternitates. Vale. Anno Domini MDC.

EPISTOLA CXXXI.

CAESARI CARD. BARONIO

MARTINUS ANTONIUS DEL RIO. (a)

S. Orientii carmina a ſe deſcripta, ac notis illuſtrata tranſmittit.

QUod ex divino illo Eccleſiaſticorum Annalium tuorum Baroni Card. theſauro deprehendi, deſiderium tuum Sancti Viri Orientii carminum, id me, ubi lateret pars non exigua, gnarum, impulit eam ipſam deſcribere, & notis brevibus

(a) Fuit hic natione Belga, patria Antuerpienſis. Ab ineunte fere adoleſcentia Graecis latiniſque litteris egregie imbutus, Hebraicis etiam & Chaldaicis operam dedit. Linguarum cognitionem adeptus, Philoſophiae primum Pariſiis, Joanne Maldonato praeceptore, mox Duaci juriſprudentiae animum adjecit. Hanc Lovanii proſequutus tantos in ea brevi tempore, quo erat ingenii acumine, fecit progreſſus, ut primam ibi lauream an. 1570. decerpſerit, quum annum aetatis ſuae circiter vigeſimum attigiſſet, ſupremamque paucis poſt annis acri concertatione obtinuerit. Poſtea in Belgium reverſus, in ſupremum primum Brabantiae ſenatum relatus, inde Palatinis militibuſque jus dicere, mox etiam Brabantiae pro Cancellario eſſe, regiumque Fiſcum curare juſſus eſt. At Martinus dum longius honoribus progrediebatur, eorum pertaeſus, in Hiſpaniam ſe contulit, ac Pinciae Cler. Regular. Soc. Jeſ. nomen dedit anno ſalutis 1580. aetatis ſuae XXIX. In eo vitae inſtituto poſtquam multos annos Philoſophiam ac Theologiam magna laude profeſſus eſſet, extremum clauſit diem XII. Kal. Novembris anno 1608. aetatis LVIII. Haec ſunt Martini opera, quae antequam edita Societate ad ſacrarum rerum ſtudia ſeſe converteret, evulgavit. *In C. Solini Polyhiſtorem, & in Claudianum poetam notae. In Senecae Tragoedias Adverſaria. Syntagma tragoediae latinae. Miſcellanea in totum jus civile. Repetitio* in L. Tranſigere C. de Tranſact. &c. *Commentarius multiplex in L. Contractus & Reg. Juris.* Poſt ſuſceptum autem regulare inſtitutum haec ab eo confecta opera circumferuntur. *Florida Mariana, ſive de laudibus SS. Virginis Deiparae, Panegyrici XIII. Opus Marianum, ſeu de laudibus & virtutibus Mariae Virginis Deiparae in quatuor partes diviſum. Speculum Marianum. Speculum caritatis & ſapientiae Jeſu & Mariae. Polemica Mariana. Diſquiſitionum Magicarum libri ſex. In Canticum Canticorum Salomonis commentarius litteralis, & catena myſtica. S. Orientii Epiſcopi Illiberitani Commonitorium emendatum & notulis illuſtratum. S. Aldhelmi Aenigmata cum notis. De difficilioribus & utilioribus Sacrae Scripturae locis. Vindiciae Areopagiticae* adverſus Joſephum Scaligerum. *Commentarius litteralis in Threnos Jeremiae. Pharus Sacrae Sapientiae; ſeu commentarii & Gloſſae litterales in Geneſim. Adagialia Sacra* (opus poſthumum) *Peniculus feriarum Elenchi Scaligeriani*; Prodiit ſub nomine Liberii Sanctae, & ſub anagrammatico Rolandi Mirtei Onatini. *Commentarius rerum in Belgio geſtarum a Comite Fontano Petro Henriquez; addito Tractatu de tumultibus Belgicis.* Martini Delrii vitam deſcripſit Hermannus Langovelitius, edidítque Antuerpiae typis Moreti Plantinianis. Plura etiam de eodem habes in Biblioth. Scrips. Soc. Jeſ. Sotuelli pag. 581. & ſeq.

bus caſtigatam explicatamque ſtrictim in lucem dare: mitto nunc quod habeo, forſan alii inventuri, quae addant. Confido hoc indicium amoris, & judicii mei, tibi, de tota Eccleſia, & Societatis noſtrae parenti tam benemerenti, quod humanitate & eruditione, & pietate tua dignum, non ingratum futurum. Vale Cardinalis Illuſtriſſime. Lovanii V. Kal. Septemb. MDC.

EPISTOLA CXXXII.

CAESARI CARD. BARONIO.

JUSTUS BARONIUS VETERACASTRENSIS. (a)

Gratias ei agit quod Clementem VIII. Pont. Max. de ſuo erga Eccleſiam Catholicam ſtudio certiorem fecerit. Cauſas profert, cur tamdiu in haereſi permanſerit, rogatque ut Pontificis gratiam ſibi conciliet.

INter Romanae Eccleſiae Praeſules, interque verae ac ſolidae Juſtitiae praecones, qui adventanti nunc Antichriſto divina ingenii ſui acie nervos incidunt, profugiſque ab Eccleſia tuba ſonanti receptui canunt, te facile principem eſſe, Caeſar Baroni Cardinalis Illuſtriſſime, & fama dictitat, & praeclariſſima Annalium tuorum monumenta conteſtantur. Quo circa aliquoties me has ſcribere ingreſſum, deterruit partim graviſſimorum negotiorum tuorum recordatio: partim juſta debitaque Illuſtriſſimi nominis tui reverentia. Sed haeſitantem confirmavit iterum ſpectatisſima ordinis veſtri humanitas, & in primis benignisſi-

(a) Hic diu Genevae imbutus Calvini ſui aſſiduis haereſibus, ex Annalium Eccleſiaſticorum aſſidua lectione ad Catholicam fidem excitatus eſt. Quare Romam quum veniſſet, auctore Baronio adeo large liberaliterque Clemens VIII. eruditum hominem in Eccleſiae Romanae ſinum ultro confugientem recepit ut in Baſilica Lateranenſi ab eodem Pontifice ſolemni ritu, ſacro Chriſmate fuerit confirmatus. In quo quidem Sacramento Baronium ſusceptorem habuit, quem Patrem fidei ſuae paulio ante habuerat, cujus et in familiam cooptatus, ex Calvino deinde Baronius dici voluit, et tanquam filius chariſſimus innumeris prope beneficijs auctus atque exornatus eſt; ut ex mutuis hisce ejus cum Card. Baronio literis videre licet. Quae idem Juſtus in obitum Venerab. noſtri Cardinalis ad Nic. Serarium Soc. Jeſu miſit Parentalia, ea habes Tomo I. pag. 148. In quibus tanti parentis optime de ſe meriti pietatem, collataque non minus ſibi, quam univerſo hominum generi beneficia extollit ad coelum. Scripſit de Praeſcriptionibus perpetuis adverſus haereticos tractatus VI. de Pſeudo-Jubilen VVittembergenſi adverſus Aegidium Hunnium, atque ejus Magiſtrum Lutherum; quae omnia in tomos II. diſtributa prodierunt Moguntiae apud Jo. Albinum anno MDCV.

Digitized by Google

gniſsimi mei ad ſcribendum a te facta invitatio. Qui quum conſultiſsimi Viri, Joſephi Windenii ſermonibus, nec non Patrum quorundam Spirenſium litteris de mea ad Catholicam Fidem converſione certior factus eſſes, ſummoque idem Pontifici retuliſſes: mirifice uterque pro veſtra pietate cum (1) beatis Dei ſpiritibus hujus animulae inventione vos oſtendiſtis recreatos. Atque ego ſi affectus iſtius veſtri erga me magnitudinem ullis verborum praeconiis ſatis celebrare, vel digna gratiarum actione proſequi, me poſſe ſperem, valde oblitus ſim & virium mearum, & longe maximae dignitatis veſtrae Apoſtolicae; verum ut tam benignis celebribuſque benefactoribus majorem erga me meritorum occaſionem praebeam, paucula de rebus meis, & diuturnis praeſertim erroribus hac epiſtola commemorare animum induxi.

Qua in re illud primo loco conſtituo nulla me voluntate tamdiu extra Chriſti caſtra profugum, adverſus Sacerdotes Dei maledicum, ab officina ſalutis alienum fuiſſe, ſed patriae partim corruptione infectum partim perverſa praeceptorum informatione inductum. Poſtquam enim perſolutis jam quatuor Apocalypſeos tubarum poenis, quinta tuba ſonante haec miſera Germania noſtra per illam funeſtam (2) coelo delapſam ſtellam inexpiabili crimine involuta, & fumo tartareo, locuſtiſque peſtilentibus, in tantam fidei vitaeque profanitatem adducta eſt. Ego quoque hujus Aegypti incola, communibus, proh dolor, tenebris involutus, & ab regia ſalutis via cum aliis abſtractus ſum. Ac ne multus ſim, vigentibus publice erroribus, illud mihi accidit, quod Marcus Cicero in Academia de ſtultis Philoſophis commemorat (3). Ceteri inquit, Primum ante tenentur aſtricti, quam quid eſſet optimum, judicare potuerunt, deinde infirmiſſimo tempore aetatis, aut obſecuti amico cuidam, aut una alicujus, quem primum audierunt, oratione capti, de rebus incognitis judicant, & ad quamcumque ſunt Diſciplinam quaſi tempeſtate delati, ad eam tanquam ad ſaxum adhaereſcunt. Viva profecto, viva deceptionis mei imago. Parentibus enim (quod miſericors Deus in melius vertat) haereticis natus, praeceptoribus haereticis uſus, patriae haereticae conſuetudine imbutus, ad fidem quoque haereticam me pertrahi paſſus ſum. Eam, inquam, fidem, ſi fides dicenda eſt, quae a conſenſu orbis Chriſtiani aliena, deliriorum Calvini ſerva, Donaſticam quandam puritatem jactitat, & Catho-

(1) Luc. 15. 10.
(2) 6. Apoc. 9. 12. et ſeq.
(3) C. 4. Acad. quaeſt.

& Catholicum nomen deteſtata fidam Chriſti ſponſam, Romanam Eccleſiam, miris verborum ludibriis ſubſannat, & ferro furenter perſequitur.

Sed quia benignus Deus ſimplicitatem meam & interitum miſerabatur, ſubinde optima jam annis aliquot continuis ſuppeditavit remedia, quibus ad erroris & periculi ſenſum, ſanaeque mentis poſſeſſionem adduci poſſem. Ac primum, quia me faſcinatum videbat, glorioſae Evangelicae profeſſionis titulo, ſaepiuſcule in mentem revocavit laceram ſciſſamque hujus Synagogae faciem, quae nullo unitatis vinculo copulata, in multas minutiſſimas partes ſecta, capitali inter ſe odio diſsidere, & tanquam (1) Babylon ſuis fruſtrata auſis, in dies ſuppululantibus novis foetibus emarceſceret, atque extingueretur.

Deinde, ut (quod pene puer animadverteram) fraudes & mendacia haereticorum, in detorquendis ac ſugillandis Catholicorum ſententiis, manifeſtius aperiret, lectionem ipſorum Catholicorum auctorum ſuaſit: primumque in manus dedit ſanctorum aliquot Patrum commentaria, Auguſtini in primis & Cypriani: qui tanquam duo fulmina belli, facile proſtraverunt pleraque novatorum mendacia, quantaque fide illi in tractanda antiquitate verſarentur, demonſtrarunt. Sed ut ad rem propius accederem, atque ipſam quaſi arcem cauſae invaderem, ad ipſos quoque recentiores Theologos conſulendum incitavit. Quos ubi inſpexi, tanquam (2) Bethſaidanus ille gradatim ſanatus primum a longe videre mihi viſus ſum homines tanquam arbores incedentes. Deinde continuata lectione & (3) repetita quaſi impoſitione manus dominicae plenariam ſanitatem recuperavi, ac dilucide tandem omnia pervidere coepi. Enim vero parentum liberorumque amor, praeceptorum admiratio &c. Aegre melioribus locum dedit. Sed quia (4) potiorem Dei, quam hominum rationem habendam noveram, & apertiſſima veritas urgebat, coactus ſum illi manus dare, nec amplius reluctari potui (5). Ut enim lancem in libra ponderibus impoſitis deprimi, ſic animum perſpicuis cedere neceſſe eſt. Et quum inconſtantiae fama inſidiaretur, ſuccurrebat Cyprianus (6), non, inquiens, quia ſemel erratum eſt, ideo ſemper errandum eſt cum magis ſapientibus & Deum timentibus congruat, pateſactae & perſpectae veritati libenter atque incunctanter obſequi, quam pertinaciter atque obſtinate contra fratres & Sacerdotes pro haereticis reluctari. Sic

(1) Gen. 11. 8.
(2) Marc. 8. 22. 23. 24.
(3) Marc. 8. 25.
(4) Act. 4. 19.
(5) Cicer. 4. Academ. et quaeſt.
(6) Epiſt. 73. ad Jubajanum.

Sic itaque divina ope ſanatus, fide & intellectu interioris hominis dudum rationes omnes quaeſivi, evadendi hanc lernam, & publice profitendi fidem meam, ſed quia Dominus ipſe monebat, (1) ne turrim aedificaturus, aut hoſtem caeſurus, temere ad opus proſilirem, ſed ſumptibus prius ſubductis viderem par ne operi perficiendo eſſe poſſem, ne ſpe dejectus riſum ludibriumque moverem vicinis. Ego juſta me ratione moveri credebam, ut lente agerem, & vada prius tentarem, littoraque explorarem quam me periculoſo cum meis mari committerem. Quumque hoc ſolicite mecum jam multos menſes faceret Religioſiſsimus in Chriſto Pater Andreas Vermadius, ecce θεὸς ἀπὸ μηχανῆς, nobis de oviculis aliquibus conciliandis ſolicitis tua imprimis opera, Cardinalis Illuſtriſsime, ipſum Paſtorem ſummum conciliavit, ejuſque voce humaniſsima quaeque pollicitus eſt. Quam tam optatam conſilii perficiendi occaſionem, ut ego è manibus dimitterem, nihil erat. Quin potius te auſpice ac duce humiles quaſdam, & fortaſſe non ſatis pro tanta dignitate compoſitas litterulas ad Sedem Apoſtolicam conſcripſi: certa ſpe fretus, fore ut explicatis Pontifici Maximo longorum errorum meorum deceptionibus, & periculorum, in quibus adhuc verſor anguſtiis, coadjuvante divina miſericordia, & ingenita Pontificis Maximi bonitate, hoc praeſertim anno Jubilaeo & veniam delictorum, & Catholicae unitatis vinculum, Apoſtolicaeque liberalitatis fructum facilius eſſem impetraturus. Quod votum meum, ut & tu, felix conſultor, voto tuo comprobare, ſummoque Pontifici cum aliquo inſigni tuae erga me benevolentiae indicio commendare velis, per ſanctam Domini Crucem, & vivifica ipſius vulnera ardentiſsime precor. Ego quam primum Apoſtolicae voluntatis nutum vel minima ſignificatione percepero, me illi abſque ulla cunctatione morigerum praeſtabo: & quidquid porro ad Catholici nominis dignitatem, ad humillimam pro acceptis beneficiis gratitudinem, ad commiſſam denique quamcumque Spartam meam pertinebit, tanta σὺν θεῷ fide curabo, ut nulla in parte meo muneri defuiſſe videar. Dominus Jeſus ſanctiſsimum Pontificem, teque magnum Eccleſiae Cardinem, meo & aliorum proſelytorum bono quam diutiſsime ſervet incolumes; Heidelb. Idib. Decemb. MDC.

(1) Luc. 14. 18. & ſeqq.

EPISTOLA CXXXIII.

HENRICO QUARTO
FRANCORUM ET NAVARRAE REGI CHRISTIANISSIMO

CAESAR CARD. BARONIUS.

Nonum Annalium Tomum ei offert.

ABſoluto poſt multos labores nono Annalium Tomo, ſincera mea erga Majeſtatem tuam obſervantia exigit Chriſtianiſſime Princeps, quod & ratio poſtulat, atque commonet argumentum, ut ipſum tibi offeram. Ad hanc enim uſque diem ejuſmodi mei officii exhibitio conſulto eſt dilata, ut opportuniore factam tempore, eam gratiorem acciperes. Namquod in ſacris proverbiis eſt: Sermo opportunus eſt optimus: & ut mala aurea in lectis argenteis, qui loquitur verbum in tempore ſuo. Equidem expectavimus, ut exoptato occurreremus in via hac glorioſiſsimis illis Francorum Principibus, Regibus, & Imperatoribus, quibus nobilitatus, atque locupletatus eſt mundus, Pipinis, Carolis, & Ludovicis, ut ex ipſorum rebus fortiter ſancte pieque geſtis, fieret convenientior Tomi hujus oblatio tibi Regi fortiſsimo ac Chriſtianiſsimo proprio ipſorum haeredi, ac legitimo Succeſſori.

Hi ſunt quos nobiliſſimae Francorum genti Sancta Romana Eccleſia magno gaudio peperit Reges & Imperatores filios primogenitos, per quos e barbarorum inſultibus vindicaretur in libertatem. Hi ſunt illi monſtrorum domitores, cultores juſtitiae, quietis publicae fundatores fidei Chriſtianae propagatores, atque religionis illibatae cuſtodes, praecipue vero Sanctae Romanae Eccleſiae potentiſſimi, ſicut & promptiſſimi defenſores, qui & hunc ipſum ſummae gloriae titulum poſteris ſuis publicis tabulis reliquere teſtatum, atque plurimo ſanguine conſignatum.

Hirevera ſunt, qui effuſa munificentia (quod admiratur Orbis)ditarunt Eccleſias, maxime vero Romanam: in quam veluti ſacrum Gazophilacium non ſolum immenſos contulere Theſauros oblationibus frequentatis, ſed amplas etiam intulere provincias, ſive ab hoſtibus vendicatas, ſive proprias ſummum lucrum, ſummamque gloriam aeſtimantes, quavis impenſa, quovis labore Sanctae Romanae Eccleſiae utilitati ſapienter proſpicere, fortiterque conſulere neceſſitati. Quod ingentis Fidei opus fae-

Digitized by Google

ſaepius iteratum Deus reſpiciens , & gratum habens , adeo cumulatis beneficiis compenſavit , ut omnibus innotuerit , idem eſſe de Sancta Petri Sede benemereri, quod a Deo ad bene diſponendum, conſervandum, propagandum, ſtabiliendumque Regnum beneficia ampliſsima promereri.

Nec vero minus grata habuit idem Deus humilia erga Romanos Pontifices eorumdem Regum obſequia , ſed multiplicato foenore compenſavit . Dum enim iidem quamvis praecelſa majeſtate ſublimes prae immenſo religionis amore humili quoque ſervitio Chriſti Vicarios, Petri Apoſtolorum Principis Succeſſores ſaepius publice coluerunt: Deus, qui ea cuncta, ut in ſe collata accipiebat in Pontificibus ipſis; quum ſit pollicitus , quod omnis qui ſe humiliat exaltabitur , ſublimiori faſtigio extulit Francorum potentiam, & altiori culmine ſublevavit , atque firmavit Thronum eorumdem Regiae Majeſtatis, adeout, deficientibus penitus caeteris externarum gentium Regnis , quae invaſerunt Romanum Imperium Hunnorum , Herulorum, Gothorum, Alanorum , Wandalorum , & Longobardorum , unum tantum Francorum Regnum fecerit eſſe amplum atque perpetuum . Eo quod iidem dilecti ſibi Reges : non terrena tantum potentia , qua reliquae gentes non fuere minores : ſed & ſpiritualibus uſi ſunt armis illis, non omnibus cognitis , de quibus Apoſtolus: Arma militiae noſtrae non ſunt carnalia ſed Deo potentia : ideoque vinci neſcia, & quae vincant omnia.

Iſta continet conſervatque inſtar armentarii volumen hoc antiquorum Regum Francorum duplicis generis arma victricia, ſigno Sanctae Crucis impreſſa, quae, ut ſuum robur & munimentum, velut propria ſibi vindicat Sancta Romana Eccleſia. Enim vero ſicut arma David aſſervabantur in Templo , eademque Summi Sacerdotis arbitrio, cauſa urgente maxima, ſumebantur (ut factum eſt per Jojadam ſummum Pontificem adverſus impiam Athaliam ad deſtructionem invaleſcentis tyrannidis & extinctionem excreſcentis impietatis) ita iſta in Eccleſia cuſtodita remanſerunt; Romani Pontificis monitu , hortatuque movenda adverſus ejuſdem Eccleſiae ſanctae perſecutores. Quos, quum multos , diverſoſque diverſis temporibus jugiter paſſa ſit , nullos procaciores ſenſit, ſentitque impiis praeſentis ſaeculi Novatoribus. Qui dum Catholicam Eccleſiam canino dente proſcindunt , eoſdem glorioſiſsimos Principes foedis maculis calumnioſe deturpare auſi ſunt.

His (pro nefas) male olent lilia optimo odore Chriſti fra-

grantia; nec mirum eo quod Chriſti bonus odor aliis, ſecundum Apoſtolum, ſit odor mortis ad mortem, aliis autem odor vitae ad vitam: Hi enim cum Juda unguenti in Chriſti caput effuſionem infamant, dum cuncta eorumdem Chriſtianiſsimorum Regum Francorum erga Romanam Eccleſiam obſequia, officia, & beneficia, ſimul cum ipſis omni laude digniſsimis reprehendunt, inſectanturque conviciis, atque blaſphemiis: ita muſcae morientes omni ex parte viliſsimae, conatae ſunt, ſed fruſtra perdere pretioſiſsimi odorem unguenti. At quomodo iſti tantis Principibus parcant, qui in Deum ipſum & Sanctos ejus inventi ſunt contumelioſi atque blaſphemi? Fuerunt iſti a nobis eadem ſcriptione, ut inſani redarguendi, & confutandi; quo nomine etiam fore Majeſtati tuae gratum eum ipſum Annalium Tomum exiſtimamus, quum non ſolum ab eorum calumniis veritate hiſtorica defendantur, ſed & demonſtrentur iidem Francorum Principes laudatiſsimi, & qui tum Chriſtiana religione, tum bellica fortitudine probentur nulli fuiſſe ſecundi; immo qui praeexcellenti virtute in multis fecerint, primos eſſe ſecundos.

Tu ergo ab his non degener, nec animi magnitudine impar vinci religione non ſinas, ſuperari virtute ne patiaris. Non deſunt duplicis generis hoſtes, de quorum victoria cumulatos gloriae titulos, & auguſtiores pares tibi triumphos. Siquidem altera ex parte doloſa arte haeretici irrepunt; altera vero gladio imperioſo Turcae graſſantur, ambo licet cultu diſsimiles, impietate pares, Chriſti Eccleſiae perduelles, & antiquae gloriae Francorum inſenſi. Hanc obſcurare penitus nituntur illi, dum felices olim Gallias ejuſmodi monſtrorum (ut S. Hieronymus ait) expertes, foetidas, voraceſq. modo pati cogunt Harpyas.

Triſtius haud illis monſtrum, nec ſaevior ulla
Peſtis, & ira Deum Stygiis ſeſe extulit undis.

Quae vultu virgineo, recti nempe ſpecie fallunt, cunctaque foedant atque peſſundant; iſti vero dira tyramnide occupant Loca ſancta, omneque premunt Orientale quondam acquiſitum a Francis imperium. In illos ut leges, Rex inclite, in iſtos ut arma convertas, clamat ad te magna fiducia mater Eccleſia bene conſcia, ſe bono Chriſtianae religionis peperiſſe leonem, cujus vel rugitum tantum (ſi velit) perterrefacti ſileant illi; iſti vero praeſcii, per Francos inſtare ſui occaſum Imperio, aut tibi cedant, aut caeſi deficiant. Quum

Digitized by Google

Quum autem in his praefando verſaremur, inopinato accidit, ut cum omnium laetitia vulgaretur, Mediceam virginem, Auſtriacum germen, Italiae ornamentum Mariam inter omnes a Deo dilectam, moribus Chriſtianiſsimam Chriſtianiſsimo tibi Regi ſancto matrimonio jungi. Quamobrem quod Regi pro dedicatione parabam, modo eidem jam ſponſo etiam exhibeo pro ſponſalibus ſertis. Sit ergo volumen iſtud veluti liliis contexta corona, qua tu, Rex invictiſsime, ſacrum verticem chriſmate ſancto perfuſum jam exornans, prae caeteris decorus appareas atque conſpicuus: nam quid iſtis floribus pulchrius, quorum ſpecie tua corona niteſcit, cum ſententia Domini, nec Salomon in omni gloria ſua veſtitus ſit, ut unum ex liliis agri? Flores dico majorum tuorum inſignes virtutes. Quibus jam tuam mentem exornans ſemper vernantibus nunquam marceſcentibus, ſuavemque odorem ubique ſpirantibus, ubi jam & tu, ut Majores tui, bene olere coepiſti ſanctiſsimo Patri tuo, ut illi benedictionem praecipuam ab eo es feliciter conſequutus, cujus merito tibi omnia proſpera cedant.

Sit etiam idem volumen non pro corona tantum, ſed loco Epithalamii nuptialis, eo quod argumento non diſpar, licet dicendi genere ſit diverſum, cum ut in eo, majorum egregia facta narrentur. Quo etiam, ut Epithalamio illo ſacro vocantur filiae Sion videre Regem pacificum die deſponſationis ſuae diademate coronatum; ita nos majores tuos, inclyta illa Francorum lumina, ne dicam numina, vocamus ſacris nuptiis iſtis adeſſe praeſentes, ſecumque a Deo obtenta largiter ad vos regalia dona ferre. Ac ne quid tam pio deſit officio: ſit nuptiis his (acclamando precamur coelites omnes) pro auſpice Chriſtus, loco pronubae Dei Genitrix, & Angeli, Sanctique omnes pro paranymphis, qui faveant bene coeptis, eaſdemque ſacras nuptias copioſa ſanctaque prole foecundent, ut quos, nos vobis exhibemus in chartis, vos, nobis mox reddatis in filiis Pipinos, Carolos, & Ludovicos. Vivite unanimes jugali ſocietate felices, prole feliciores & ſpe aeternae gloriae feliciſsimi, Amen.

EPI-

EPISTOLA CXXXIV.

ANTONIO TALPAE

CAESAR CARD. BARONIUS.

Ejus inſignis caritas in pauperes, praecipue erga virgines mirifice elucet.

MI rincrebbe grandemente che io gli ſcriveſsi di quel fatto in genere, rimordendomi la coſcienza turbata di aver voluto eſponere le opere di Dio per gloria propria, pur perche me ne fa grand' iſtanza, il fatto fu in queſto modo, che abitando io nella caſa dell' Illuſtriſsimo Card. di Firenze, ivi vicino dalla fineſtra, dove io ſtudiar ſoglio mi accorſi, che una povera Zitella era per capitar male per certi cenni, che vedevo con certi gentiluomini cortiggiani potenti, eſſendo queſto durato un pezzo, Dio m' inſpirò di mandar una perſona molto da bene a vedere che ſorte di gente abitaſſe in quella caſa, e vi trovò una povera Vedova di preſenza veneranda con nove figliuoli tre maſchi, e ſei femine la maggior delle quali paſſava li venticinque anni tutte belle, e mal in ordine con ſomma povertà, e profeſsò la povera madre, che non più poteva tenerle, e che non mancavano ogni giorno ſcavezzacolli di cercar di fare del male, ma che lei era riſoluta prima con le ſue mani ammazzarle, che vederle così offendere Dio, ma ſi doleva che la Gioventù non ſi poteva più tener in freno, mancando il pane da mangiare, ſolendo il più delle volte andar a letto ſenza pane, ne avendo veſte di poterle menar in Chieſa ad udir Meſſa, e confeſſarſi; volſi informarmi dell'iſteſſo da vicini, e trovai buon riſcontro della verità, volſi di più far venire la detta Vedova con buona compagnia in caſa, & inſieme con quell' uomo da bene le parlai, & eſaminai, le riſpoſte erano con dolore, e lacrime, teſtimoniando, che molt' anni aveva fatto orazione alla Madonna, che mandaſſe qualche ajuto, ma che non vedendo ſovvenzione alcuna, cominciava a mancar di fede, e vinta dalla diſperazione già rilaſſava la briglia alle figliuole, non avendone quella eſatta cura di prima, lamentandoſi loro non poter più durare di ſtar ſenza pane, io gli diedi buon animo, e gli feci dare un rubbio di grano, ed alcuni ſcudi, e

feci

feci che N. Signore gli prometteſſe per ciaſcuna di loro ducento ſcudi per maritarſi, avendone loro di dote di Compagnie quaſi ducento altri per ciaſcuna, li rendimenti delle grazie le benedizioni di Dio furono infinite, hora li hò dato ordine, che ſi cerchino mariti per dette Zitelle, ſaria ſtato il caſo ſimile a quello di S. Nicolò ſe io aveſsi poſſuto per ciaſcuna di loro del mio mandarli una borſa di ſcudi, ecco il fatto; ſe ci è di bene alcuno è di Dio ſolo. Di Roma 6. Decembre 1600.

EPISTOLA CXXXV.

CAESARI CARD. BARONIO

HENRICUS IV. REX GALLIARUM.

Grates agit de Eccleſiaſticis Annalibus ad eum tranſmiſſis, ac de aeſtimatione, quam in iis ſcribendis erga Reges & Regnum Galliarum oſtendit.

MON Couſin. Ie ay reçeu le beau livre de vôtre Hiſtoire Eccleſiaſtique, que m'avez envoyé, par le quel repreſentant, comme vous faites la pieté & la devotion des Roys de France mes predeceſſeurs, & comme ils ſe ſont employez courageuſement pour le ſervice de Dieu & de ſon Egliſe, vous temoignez aſſez la bonne volonté que vous portez à moy, & à mon Royaume; come vous l'avez monſtreé auſſy en pluſieurs occaſions qui m'ont eſté repreſenteés par le Comte de Sillary mon Ambaſſadeur. Donc j'ay bien volu vousremercier, & vous dire que vôtre affection m'eſt tres agreable come de perſonne que j'eſtime grandement pour vôtre vie exemplaire, & ſinguliere doctrine, qui porte tant d'edification à l'Egliſe de Dieu. Je vous prie auſſy croire que je faite compte de vos bonnes advis & m'en ſovviendrai pour de tant plus exciter & fortifier le deſir & l'intention que Dieu m'a donneé de me rendre imitateur du zele, & de la virtú de mes anteceſſeurs, & comme Roy tres Chriſtiens & premier fils de l'Egliſe recognoiſſant tant de graces que j'ay receü de ſa bonté, employer ma perſonne & toute ma puiſſance pour ſervir à la glorie, à la liberté & dignité du ſaint Siege de nôtre S. Pere le Pape, & de toute le ſacreé

Digitized by Google

creé College des Cardinaux, & s'il s'offre occaſions pour vous en particulier, en la quelle je vous puiſſe gratifier, ou ceux qui me viendront reccomandeés de vôtre part, vous recognoiſtreés par effet que j'en ay la volonté. Et .... Je prierai Dieu mon couſin qu'il vous ait en ſa tres ſainte & digne garde. Eſcript a Paris le XX. jour Janvier MDCI.

EPISTOLA CXXXVI.

CAESARI CARDINALI BARONIO

HENRICUS IV. REX GALLIARUM.

In benevolentiae ſignum ſuppellectilem argenteam dono mittit.

MON Couſin. J'ay commandé au S. de Bethune Conſelier en mon Conſeil d'eſtat, qui s'en va reſeder mon Ambaſſadeur a Rome de vous aller viſiter de ma part, & vous preſenter une Chapelle d'argent, que je vous envoye, & que deſire que vous gardies pour ſovvenance & teſmoignage de la bonne volonté, que je vous porte. Et vous prier auſſi me continuer la vôtre & vos bonnes offices aupres de notre tres ſaint Pere le Pape au benefice & advantage de cette Couronne, de la quelle vous aviés deſja bien meriteés, ainſi que le Seigneur de Bethune vous dirá plus amplement de ma part. Et priant Dieu, mon Couſin qu'il vous ayt en ſa ſainte garde. Eſcript a Paris le XXIII. jour d'Aouſt MDCI.

EPI-

EPISTOLA CXXXVII. (a)

CAESARI BARONIO CARDINALI.

JACOBUS DAUY DU PERRON. (b)

Se in quibuſdam haereticorum telis retundendis occupatum pauca haec illi ſcribere, ne officio deſit, teſtatur, ac ſuum erga eum ſtudium profitetur.

JE vous eſcry ce mot, parmy l'occupation d'une longue & faſcheuſe eſtude que je taſche de mettre à fin, pour reſpondre à quelques eſcrits de nos heretiques, ſeulement pour me ramentevoir en vos bonnes graces & m'acquiter, comme en paſſant, de ce devoir de mon obéiſance & de ma tres-humble ſervitude. Je vous ſupplie, Monſeigneur Illuſtriſsime, qu'je faſſe cet office auprés de vos, juſques à tant que la fin de ce labeur me donne loiſir d'y ſatisfaire plus amplement: vous aſſeurant qu'il n'y a que ce ſeul ſujet & la crainte que j'ay touſiours de vous divertir de vous ſerieuſes occupations, qui m'empeſchent de vos rendre plus ſouvent conte du ſoin & du deſir que j'ay de me conſerver & maintenir en l'honneur de vôtre amitié. J'eſpere que vous me ferez ceſte faveur que de m'y continuer, & de croire que jamais perſonne n'affectionna tant la meriter, que moy, qui ſeray eternellement vôtre &c.

(a) Extat haec Epiſtola in libro cui titulus *Les Ambaſſades & Negotiations de l'Illuſtriſſime & Reverendiſſime Cardinal du Perron, avec les plus belles & eloquentes Lettres &c. A Paris chez Henri les Grus* 1632. Vide pag. 80. hujus editionis: eamque cum hoc exemplari contulimus.

(b) Hic anno 1556. apud S. Landom in Normannia parentibus haereſi Calviniana infectis et Genevae incolis ortus, tantum ingenio valuit, ut jam inde a puero omnium diſciplinarum ſtudia praetergreſſus, grandior factus et ad miraculum doctus, ſanctorum Patrum lectione Catholicam fidem traditamque a Chriſto religionem ſuſceperit. Quum Ebroicenſis Epiſcopus jam ab anno MDXCV. dictus eſſet, Clemens VIII. anno MDCIII. die XVII. Septembris eumdem in ſacrum purpuratorum Patrum Senatum retulit. Hac nova dignitate auctus Perronius aliquot annos Romae ſumma cum laude verſatus eſt. Poſtea in Gallias reverſus, codicem exaravit de Euchariſtia; deindeque anno MDCVI. Archipraeſul Senonenſis primas Galliarum a Rege nominatus eſt. Multa ſcripſit patrio ſermone pro Catholicae religionis defenſione adverſus impias haereticorum opiniones, multaque etiam pro iiſdem haereticis convincendis praeſtitit. Inter eos autem qui ad Chriſti ovile eo impulſore reverſi ſunt, merito nominandus eſt Henricus Spondanus Apamiarum Praeſul, qui duodecim Card. Baronii Annalium Eccleſiaſticor. tomos in unum clara epitome contraxit, eamdemque hiſtoriam uſque ad ſua tempora eſt perſequutus. Obiit Perronius Card. Pariſ. die 5. Septembris an. MDCXVIII. Vide Ciac. tom. IV. col. 354.

EPISTOLA CXXXVIII.

CAESARI CARD. BARONIO

EMANUEL LUSITANUS
EREMITA REFORMATUS S. AUGUSTINI

Annales eccleſiaſticos ſummopere commendat, Epigramma in ejus laudem mittit: aliqua denique dubia proponit.

CUm primum, Cardinalis Illuſtriſſime, illuſtres Annales tui ad Hiſpanias pervenere, atque omnium eorum, qui dicenda, tacendaque ſe callere putant, oculis manibuſque, & legerentur, & tractarentur eorumdemque linguis & celebrarentur, & meritis encomiis commendarentur, optabam inter tot peritiſſimos lectores Annalium Baronii, etiam ego, quamquam imperitiſſimus lector, Auctorem tam excultum, tam exactum, tam rerum antiquiſſimarum quas aut tempus edax conſumpſerat, aut oblivio de hominum memoria deleverat, mirificum enucleatorem praeſens coram intueri, ut voluptas, quam ex lectione jucundiſſima percipiebam, praeſentis aſpectus imagine mihi adaugeretur. Voto ſatisfecit eventus. Commendantur mihi publica quaedam negotia in hac Romana Curia expedienda. Proficiſcor ex Hiſpania, Romam ſalvus, Deo auſpice, ingreſſus, te per compita curru vectum (in quo mihi de hiſtoricis omnibus triumphare videris) ſemel atque iterum aſpexi; ſed te alloquendi copiam mihi hactenus denegarunt gemina duorum ſummorum Pontificum funera, geminaeque creationes. Nunc ſcripto id ago quod verbo ſaxo, cum mihi indigniſſimo omnium hominum, & inter hujus Reformati Inſtituti S. Auguſtini Patris Noſtri alumnos minimo per benignitatem tuam licuerit. Interim Card. Illuſtriſſime patienter, ut ſoles, ac prudenter hanc balbutientem meam orationem, ſeriora qui agis, ne dedigneris perlegere.

Haec tua Sacra Chronologia perſimilis videtur Jacobi illius Niſibitis Vitis, cujus a te mentio fit tertio tuo Tomo. Quo circa naturam ſuam ſequuntur turpiſſima Galliae, Angliae, Germaniaeque Harpyarum monſtra, cum ſuaviſsimos hujus tuae ſacrae vitis racemos morſu ſibi ipſis amariſsimo impugnant; eos nihilominus non diripiunt, ſed augent, non pungendo corrumpere poſſunt, immo ſuaviores reddunt, & ſinceriores. Hac de re ſic

ſic ego, quamquam inter velut anſer olores, Epigramma ſcribebam.

Αἱρέσεως magnum, Caeſar Sorane flagellum
Ac venerande ſacrae conditor hiſtoriae.
Hinc tibi Galla phalanx, atque hinc Germanica pila
Non dubitant ſtulta bella ciere manu.
Pompejus tamquam, Caeſar, te in praelia poſcunt,
Tu Caeſar tanquam verus, & hoſtis ades.
Ut Caeſar vincis, tua ſed victoria diſpar,
Ille hoſtes gladio, tu perimis calamo.
Ille ſuae in patriae convertit viſcera ferrum,
Pro Chriſti ſponſa tu capis arma manu.

ALIUD

Caeſareas Aquilas inter velut inclitus olim
Caeſar major erat, juraque ſumma dabat,
Utque Aquila eſt inter reliquas Regina volucres,
Ut tenet in plebem fraena ſuprema Baro:
Sic Aquila, & Caeſar, Caeſar Sorane Baroni,
Scriptorum merito diceris, atque Baro.

Praeterea quid mihi occurrat circa vocem illam antiquiſsimam, *labarum*, eadem tua benevolentia auſculta, quod ſi minus aptam eruditioni tuae, quam maximae viſum fuerit, eadem pariter benignitate ignoſcito mihi.

Saepe cogitavi, terminationem hanc abrum, propriam latini idiomatis eſſe, ut patet in his, & ſimilibus latinae dialecti vocibus, ventilabrum. velabrum, &c. Et quamvis vox *labarum* adiectione unius litterae, *a*, a voce *labrum* diſtare videatur, examini tuo Card. Illuſtriſsime relinquo, tuaeque cenſurae, an forte ſicut ademptione litterarum aliquando tempus vocabula corrupit, adiectione etiam id egerit, & *labarum* pro *labro* communi loquendi uſu inoleverit? Jam vero *labrum*, flabrum vexillare forte aliquando dictum fuit, *labarum* vero breve velum etiam habet, cujus breves extremitates labrum dici poſſunt. Sic enim labia labra appellamus, quia extremitates quaedam ſunt ad oris cuſtodiam a natura nobis inſtitutae. Tunc vero forte per Synecdochen totum vexillum labrum dicebatur, & per corruptio-

nem unius, *a*, litterae adiectione *labarum* dictum. Labarum vero perpetuo dici deinde quia ſimilitudinem, ſeu anologiam habet cum voce graeca Λαβάρον. Vel quia apud Aegyptios eximia vexilla fiebant in oppido Cariae, quod *labarum* dicebatur, unde ea Romani Aegypti domini aſportantes, *labara* forte appellabant. Stultus ego ſic conjector. Circa Urbivicariae, & Suburbicarias civitates, ſic etiam mihi ſtulto non minus quam imperito. Quoad nomina occurrit, quia quoad rem amplitudo tua egregie Carolum Molinaeum convincit. Forte Urbivicenariae, & Suburvicenariae dicebantur illae Civitates, & per corruptionem, duarum litterarum *e*, *n*, ademptione, Urbivicariae dictae. Jam vero, Vicenarius, ad numerum, & menſuram animalium, aridorum, & liquidorum, (ut tu te melius noſti), referebatur: de qua re extat apud Plautum in Pſeudolo mentio quinavicenariae legis. Et Senatus Conſultus Macedonianus legem quinavicenariam ad aetatem puerilem, quoad annorum numerum applicaverat. Forte igitur Civitates Romano Imperio ſubditae per vices ſuas certum annonae, ceterarumque rerum numerum pendere tenebantur. Et quae praecipuae erant in iis ſtipendiis colligendis Urbivicenariae etiam forte dicebantur. Vox enim vice, officium, ſeu munus, magiſtratumque deſignat, tam in Eccleſiaſticis, quam profanis muneribus, ut de Zachariae, & Abdiae vicibus conſtat. Parce ignorantiae meae Card. Illuſtriſſime juxta, atque imperitiae, Vale.

EPISTOLA CXXXIX.

CAESARI CARD. BARONIO

PAPIRIUS MASSONUS. (a)

Gaudet ſuum opus a Baronio in notis ad Martyrologium laudari; queriturque primum dumtaxat Annalium Tomum ſe vidiſſe; atque ejus judicium ſuper ſex libris de Epiſcopis urbis a ſe confectis requirit.

PRobari tibi Annales meos didici ex doctiſſimis commentariis tuis ad Martyrologium Romanum: eos enim ſumma induſtria collectos praedicas, quam quidem vocem libentiſſime audio,

(a) Vide quae de eod. Maſſono dicta ſunt Tomo I. in notis ad Ep. LXXXII. pag. 241.

dio, & merito, quia pulchrum eſt laudari abs te laudato viro, ut Hector Naevianus apud Comicum olim dicebat. Quid poſtea ſcripſeris nondum ſcio: ſed veriſimile eſt complures libros abs te editos, numquam minus otioſo, quam cum es otioſus. Verum Galliae calamitas effecit, ut nullum videre, nullum legere potuerim praeter volumen primum Apparatus Hiſtorici, a quo adhuc ſitiens ſeceſſi. Ac ſi forte in manus tuas inciderunt libri ſex de Epiſcopis urbis a Divo Petro ad Sixtum Quintum, reſcribe obſecro, quid de illo opere ſentias (*a*). Nam judicium tuum plurimi faciam, eritque mihi inſtar omnium. Valetudinem tuam cura diligenter. Lugduni ad confluentes Araris & Rhodani ineunte Julio (*b*).

EPISTOLA CXL.

PAPIRIO MASSONO

CAESAR CARD. BARONIUS.

Suadet, ut juxta cenſuram ſuum opus de Epiſcopis Urbis corrigat; id ſi praeſtiterit ejuſdem libri lectionem, ab Apoſtolica Sede permiſſam fore pollicetur.

HAbes tandem, Vir clariſſime, quod optaſti, animadverſionem in libros tuos de Vita Pontificum, in qua vides ſtylum a cenſore altius impreſſum, multaque confixa vel levia & parum reprehendenda, vel non tam tua, quam aliorum quos laudas. Sed hoc ille nimirum ſpectavit, in hujus argumenti opere, hoc praeſertim ſeculo, cautionem nimiam eſſe vix poſſe, aliena autem convicia, quae auctorum ſuorum aperta malevolentia fidem non habeant, cum a catholicis probatiſque ſcriptoribus uſurpantur, ab adverſariis arripi, & illorum quaſi ſuffragio ac ſententia confirmari. Tibi vero difficile non erit ex his multis ea ſeligere & caſtigare, quibus bonorum aures offendi jure poſſe ſenties. Quod ubi feceris, ſpondere audeo, tametſi cenſura haec privata, non publica auctoritate perſcripta ſit, nihil

(*a*) Id non praeſtitit Baronius, niſi octo poſt menſes, quum Maſſoni epiſtolam accepit; hoc eſt Idibus Februarii anno MDCII. quam quidem Baronii reſponſionem ſequens epiſtola continet.

(*b*) Etſi heic annus, quo epiſtola ſcripta ſit, omnino deſideratur, colligitur tamen anno MDCI. conſcriptam fuiſſe, ex ſequenti Baronii ad eum reſponſione, quae etſi octo poſt menſes ſcripta fuerit, eam nihilominus poſt hanc locum obtinere maluimus.

hil morae futurum quominus libri tui a Sede Apoſtolica permittantur. In quo ſane ceteriſque quae tua cauſa potero fautorem ac benevolum habiturus es, tum ingenii & doctrinae tuae merito, tum Fabri noſtri, cui ſalutem dictam cupio, commendatione. Natalem Principis Delphini a te ſcriptum (*a*) lubens vidi, & pro munere gratias ago. Vale. Romae Pridie Id. Febr. MDCII.

EPISTOLA CXLI.

CAESARI CARDINALI BARONIO

JOAN. GABRIEL BISCIOLA S.J. (*b*)

Eccleſiaſticorum Annalium partem a ſe in compendium redactam ac in lucem editam, offert.

PArtem epitomes Annalium tuorum eccleſiaſticorum, jam tandem tibi offero (*c*) optime atque eruditiſſime Cardinalis, alteram paulo poſt daturus: non tam ad benevolentiam & gratiam tuam conciliandam, quae pro tua chriſtiana caritate patet omnibus, quam ad gratias agendas; nec meo unius tantum nomine, qui tamen, prae ceteris tibi debeo; ſed univerſorum fere, qui ſe tibi, ideſt ingenio, induſtria, multorum annorum vigiliis & laboribus, eruditioni, & pietati tuae plurimum debere, & agnoſcunt & profitentur. Perfeciſti enim opus, ut mole pene immenſum, ita ob rerum multitudinem, varietatem, ordinem, praeſtantiam, jucunditatem, immortalitate digniſſimum, quam, Deo hominibuſque probantibus conſequetur. Ego quidem de me affirmare poſſum, quum a pueritia uſque ad ſenectutem, omnem aetatem in litteris contriverim, nihil majori cum jucunditate, & fructu legiſſe, quam eccleſiaſticos Annales tuos: quos, ut pri-

(*a*) Innuit hoc opus a Maſſono conſcriptum: *Relatio Caeremoniarum Baptyſmi Ludovici Delphini primogeniti Henrici Magni.* Pariſ. MDCVI. in octavo; Niceton. tom. V. p. 192. At haec nota temporis non congruit cum nota epiſtolae Baronianae. Forte prodiit MDC.

(*b*) Joan. Gabriel Biſciola Mutinae honeſto loco natus, annum agens XVII. a S. Ignatio fundatore in Soc. Jeſ. admiſſus eſt an. MDLV. atque an. MDCXIII. Ferrariae vitam morte commutavit. Praeter hanc decem tomorum Annalium Eccleſiaſticorum Epitomen, eidem Martyrologii Romani Italica verſio accepta eſt referenda. Conſule Sotoelli Biblioth. pag. 451.

(*c*) Eſt haec epitome edita Venetiis apud Joannem Ant. Franzioum, et haered. Hieronymi Franzini an. MDCII. duobus in quarto voluminibus hoc titulo: „ Epitome Annalium Eccleſiaſticorum Caeſaris Baronii „ S. R. E. Card. Biblioth. Apoſt. ab Joan. „ Gabriele Biſciola Mutinen. Soc. Jeſ. con„ fecta ejoſdem auctoris conceſſione „ &c.

Digitized by Google

primum exierunt in lucem, avidiſſime legere quum coepiſſem, & experirer, tamen memoria me omnia continere non poſſe, quae ſingula memoria digniſſima eſſent; cogitare mecum coepi, ut aliqua ratione huic incommodo providerem. Ea vero excogitata a me fuit, fortaſſe non inepta, ut quae a te late & copioſe tractata fuiſſent; a me breviter & ſtrictim attingerentur; atque hoc meum primum conſilium fuit, quo nomine fortaſſe ab aliquibus gratiam inierim. Illud quoque amplius animo intendi, ut, qui nunquam fortaſſe ingentia illa volumina, magnitudine & multitudine deterriti attigiſſent, brevitate Epitomes allecti, ad ea univerſa perlegenda adducerentur, ne tanto, ac tam praetioſo bono fraudarentur: quaſi mercatores, qui parvo ſpecimine oblato praetioſarum mercium, ad eas univerſas coemendas adducuntur. Ac propterea ego ſtudioſe ſaepius epitome lectores ad ipſa Annalium volumina, quaſi ſitientes, tenui hauſtu, ad fontes provoco; haud ignarus, quantum inter rivum, & fontem, & inter hunc, quaſi nudum indiculum, & ipſam ampliſſimam & ditiſſimam Annalium copiam interſit, quae non ſimplicem hiſtoriam, & actorum continet feriem, ſed origines etiam eccleſiarum, rituum, traditionum, conciliorum, pontificalium decretorum, conſuetudinum, Catholicorum dogmatum confirmationes, alienorum everſiones, omnium denique rerum eccleſiaſticarum rationes complectitur, quae brevi Epitome leviter quidem indicari, ſed copioſe & pro dignitate explicari non poſſunt: ut nullum fere opus aeque ad omnes pertineat; nec modo ad Eccleſiaſticos, ſed ad politicos; nec ex quo majores utilitates, majore cum jucunditate percipi poſſint. Haec meorum conſiliorum ratio fuit, doctiſſime & humaniſſime Card. quam & tu pro tua prudentia probare viſus es, quum me ſaepius ad te adeuntem hilariter & perhumaniter accepiſti; & meum hoc ſtudium & conatum tecum conferentem, non modo permiſſione & conſenſione, ſed etiam hortatione foviſti & promoviſti. Vereor tamen (quod non negarim) ne pro ingenii & judicii mei tenuitate, & exili ad explicandum facultate, minus fuerim aſſequutus, quod volebam: dum pluribus fortaſſe aliquando, quae paucioribus dicenda fuiſſent, explicarim, alias, dum nimium fortaſſe ſtudeo brevitati, obſcuritatem (quod vix aliter fieri poteſt) rebus intulerim; alia nonnumquam minus inſignia, inſignioribus aliis praetermiſſis, ingeſſerim; plura denique alia peccarim, ob quae in eruditorum reprehenſiones incurrerim: quorum tamen ego judicia ſi tuo unius

unius ſatisfecero, non multum reformido. Quod ſi nec tua omnia probavero, veniam a te, quae tua eſt humanitas & facilitas, prolixius ſpero, qui voluntatem magis perficiendi, quam facultatem reſpicias. Deus tibi, optime Cardinalis, longaevam & firmam aetatem & facultatem praeſtet ad ea conſummanda, quae ad Catholicae fidei amplificationem & Romanae Eccleſiae gloriam, magna ex parte perficiſti, cum tui nominis perpetuitate. Venetiis, Kal. Octobr. anno Domini 1601.

EPISTOLA CXLII.

JUSTO BARONIO VETERACASTRENSI

CAESAR CARD. BARONIUS.

Gratulatur de ſuo regreſſu in gremium Eccleſiae Catholicae, eumque hortatur Scripturis, ac Patrum teſtimoniis, ut tantum aedeficium cuſtodiat, denique Clementem VIII. ſuas literas benigne recepiſſe eumdem certiorem facit.

UT perlegi litteras tuas, Deo Optimo Maximo (1), cujus ſunt miſerationes (ut cecinit David) ſuper omnia opera ejus, plurimas gratias egi, quod (2) e tenebris te vocaverit in admirabile lumen ſuum. Hoc beneficio nullum majus, gratia nulla potentior, vel utilior, ob idque cuſtodienda cautius, & ſolicitius conſervanda, aliudque non tam generoſo victori carmen ſit triumphale canendum, quam idem ipſe monendus verbis Apoſtoli: „ „ Videte quomodo caute ambuletis, non quaſi „ inſipientes, ſed ut ſapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali ſunt, „ & cohortandus verbis Dominicis (4). „ Ambulate dum lucem habetis, ut non vos tenebrae comprehen- „ dant: & dum lucem habetis, credite in lucem, ut filii lucis „ ſitis „ (5). Victus ſemel Diabolus, majori impetu ſolet aſſurgere, ac validioribus viribus victorem appetere, prout nos exemplo illo docuit Dominus de ſpiritu nequam (6), qui cum exit ab homine, non quieſcit, ſed auxiliares copias colligit aſſumens

(1) Pſ. 144. 9.
(2) 1. Pet. 2. 9.
(3) Epheſ. 5. 16. Coloſ. 4. 15.
(4) Joann. 1. 35.
(5) Cypr. de unit. Eccleſ. cap. 12.
(6) Matth. 12. 43. & ſeq.

ſumens ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, ut quam dereliquit ad tempus munitionem invadat, aut dolis expugnet. (1) „ Circuit namque ille (monet Petrus) tanquam leo rugiens quaerens quem devoret, cui reſiſtite fortes in fide „. Quaerit fugitivum ſuum militantem jam in caſtris Eccleſiae, repetit transfugam ſuu m, ne prodat artes ſuas, & conſilia ſua faciat manifeſta, valde timens ne rurſus (2) Saulus in Eccleſiae Catholicae conflatorio igne divini ſpiritus conſletur in Paulum, & fulmen prodeat veritatis, telum mendacii, quo ipſe ad debellandas gentes eſt uſus. Tu vero ſtrenue miles Chriſti, cave ne ſemel ſumptum ſcutum fidei abijcias indecore; magis autem te ipſo potentior in dies evadens, (3) te ipſum ſuperans, te ipſum aemulans, ut erubeſcas non longe majora praeſtare ſub Chriſto Duce miles adſcriptus, quam ſub principe tenebrarum, opera exhibueris tenebrarum.

Iſta ego ad te commilito tuus, cupidiſſimus gloriae tuae abſens corpore, clamo praeſens ſpiritu, auribus ingero (4). Spectaculum jam factus Deo, Angelis, & hominibus, inter duos tuos Agonothetas, Cyprianum, & Auguſtinum, in certaminis campum ingreſſus, favente Deo, miniſtrantibus Angelis, coadjuvantibus fratribus, ſanctis monentibus & opem ferentibus, nihil eſt tibi timendum, ſed gaudendum; magis vero (5) exultandum, ſi pro fide Catholica, ipſa veritate tuenda, aliquid pati dignus inventus fueris. Reddidi litteras tuas ſummo Pontifici, audit libenter jamdiu perditae balatus ovis, quam & judicavit dignam, vocem audire paſtoris, Apoſtolicis te literis alloquens, quibus; velut extentis brachiis, te complectitur, & quot characteribus, tot petit oſculis, (6) imponens ſuper humeros ſuos, &c. quem ſemper vere paſtorem, & patrem experieris. Vale. Romae. 20. Januar. Anno Domini MDCI.

(1) 1. Pet. 5. 8. 9.
(2) Act. 93. & ſeq.
(3) Hieron. Epiſt. 13. de Inſtitutione Monachi.
(4) 1. Corint. 49.
(5) Act. 5. 41.
(6) Lucae 15. 5. 6.

EPISTOLA CXLIII.

CAESARI CARDINALI BARONIO

JUSTUS BARONIUS VETERACASTRENSIS.

Ejus litteris reſpondet : egregium ſuum in Catholicam fidem animum oſtendit, ac oranticulam quamdam in haereticos a ſe conſcriptam, ad eum mittit.

AD diem XVI. Kalend. Martii, cum propere Spiram vocatus advolaſſem, redditae mihi ſunt litterae tuae, Ampliſſime Cardinalis: redditae item Pontificis Maximi, amoris, ſapientiae, & conſolationis utraeque pleniſſimae. Quibus quia coram reſpondere conſtitui, nihil nunc addo, niſi id quod maxime deſideratis (1). Juſtum & tenacem propoſiti virum haud ita parvi coeleſtis gratiae radios, aut ſacroſanctae communionis Eccleſiaſticae foedus facere, ut vel precum lenociniis, vel minarum terroribus aliorſum, vel latum pilum ſe patiatur dimoveri. Eſt mihi alia veritatis, alia conſcientiae religio. Nec diſſiteor hoſtes undequaque inſtare acres. Sed cui ſemper in ore ac vultu terribilis illa (2) D. Hieronymi tuba; ſive comedam, inquit, ſive bibam, ſive aliquid aliud faciam, ſemper vox illa videtur ſonare in auribus meis: ſurgite mortui, venite ad judicium, facile omnes hoſtes contemnit, facile in dentes illius etiam ferociſſimi (3) Leonis irruit, quem tu recte dies noctesque praedas agere, ac fugitivos ſuos quaerere ſcribis. Sed quis hac de re ſenſus meus ſit, cognoſces plenius in Urbe: cognoſces etiam aliquantulum ex ſubnexa oratiuncula (*a*), quam hiſce

(1) Horat. lib. 3. carm. ode 3.

(2) D. Hiero. ſuper Matth.

(3) 1. Pet. 5. 8. 9.

(*a*) Haec eſt autem oratiuncula a Juſto ad Baronium miſſa & ex Apographo a nobis deſcripta, cui titulos: *De increbibili damne Germaniae per hodiernas haereſes illate Oratio ſimilitudine priſcarum gladiaturarum illuſtrata.*

ORATIO

Inter priſcae crudelitatis exempla, inerque ſanguinaria caetrimi humani generis hoſtis ſtratagemmata, non poſtremum ſibi locum vindicant *Saturnalitiae gladiatorum pugnae, ac ludus matutinus Beſtiariorum*. Quorum quemadmodum illi, vel ad defunctorum manium propitiationem, vel ad conviviorum delectationem, vel ad luxum et magnificentiae oſtentationem, denis, tricenis, aut etiam millenis ſaepe paribus in foro ſeptis circiſve, acutiſſimo inter ſeſe ferro concurrentes, de vita decertabant; ita hi non beniguiori fato, homines vel liberi in praelio capti, vel ſervi ad hanc lanienam educati, vel Chriſtiani denique ob fidem morti dedi-

ce diebus lectione Saturnaliorum Lipſii calens in recentes Mirmillones noſtros & Andabatas haereticos effudi . Leges obiter

Tom. II. • K 2 pranſus

diditi , ad oblectandos impiorum hominum animos , oculoſque crudelium tyrannorum , vel populi ſanguinem ſitientis obſaturandos crudeliſſimis valentiſſimiſque beſtiis objecti , adverſo cum illis Marte congredi , atque ab iis vel mortem , vel victoriam deportare cogebantur .

Acerbum ſane ac triſte ſpectaculum (*Juſtus Lipſius lib. 1. Saturnal. c. 12.*) quod tantam cladem vaſtitiemque generi humano attulit , *ut nullus menſis abierit , qui non vicenis aut tricenis capitum millibus Europae conſtiterit* . Quo nomine non ſapientioribus tantum Ethnicis horrori , ſed Chriſtianis in primis Imperatoribus tantae abominationi fuit , ut nihil toto ſuo imperio exacrabilius ſibi a majoribus traditum , nihil majori cura prohibendum abrogandumque cenſuerint , quam dira illa & funeſta ſpectacula (*Cypr. Ep. I. ad Donat.*) *ubi homo hominis voluptate occidebatur* . Ac laudis quidem hujus potiſſima pars Conſtantino Magno adſcribenda venit , cujus adhuc in Codice lib. XI. tit. XLIII. ſancta haec lex extat . *Cruenta ſpectacula in otio civili & domeſtica quiete non placent . Quapropter omnino gladiatores eſſe prohibemus .*

Sed vide maligniſſimi hoſtis noſtri fraudes & aſtutias . Pro ſua inſatiabili ad humanum ſanguinem hauriendum cupiditate , praereptam ſibi gladiaturae lanienam dolens , redintegrata acie , perniciosioribuſque excogitatis armis , nova mundo munera , nova ſpectacula edere coepit : & tum Patrum , tum noſtra in primis memoria Amphitheatris haereſeon extructis , talem gladiaturam inſtituit , qua & corpora & animi hominum perpetuo dolore confecti macerarentur . Perruptis enim Eccleſiae repagulis ſenſibuſque hominum a fide & unitate priſtina dejectis , circos ſeptaque cinxit , quibus omnis illa priſcae gladiaturae facies , mentis errore , & haereſeos furore depugnaret . Atque olim quidem quos hujus farinae homines in arenam produxerit , quam bellie illi ſuum latrocinando munus exornaverint , dicere hic nihil attinet . Nunc hac noſtra aetate triplici potiſſimum manu orbem Chriſtianum depopulatur . Atque alios quidem dedit , ut ita loquar Boreales Lutheri ſigna ſequentes , ſine ulla armatura coeleſtibus tantum pugnantes , atque ut ille ait (*Virgil. VII. Aeneid.*) *ſtipitibus duris , ſudibuſque praeuſtis* : alios luſtrales & occiduos Zuinglio & Calvino Sacramento obſtrictos , politiſſimiſque & acutiſſimis inſtructos telis , ad integram quaſi militiam ſufficientibus . Alios denique intermedios Mennone duce in aquis pyratarum inſtar praedas agentes , & ut variorum ſignorum , ita vario quoque ferro pugnantes , praecipue autem ſalutari fonte ſubmergentes , quos e Chriſti navicula in ſuas cymbas pellexerunt .

Triplex haec gladiatoria manus , ita ſtrenue paſſim ſuum munus exercet , ut totam illam priſcam familiam revixiſſe putes . Alii enim veluti novi *Secutores* tanto ſpiritu cum (*Pet. V. VIII. IX.*) *rugiente illo leone* gregem Domini inſequuntur , ac cuſpide linguae mendacis maſſaque plumbea calumniarum innoxios Eccleſiae praeſules ita infeſtant , ut nemo quiſquam eorum effugere furorem poſſit . Alii tanquam Retiarii & Laquearii tam blanda apertaque facie ſophiſmata ſua incautis injiciunt , ut priuſquam hoſtem obſervarint damnabili jam errore conſtricti , irretitique teneantur . Alii inhumanorum inſtar *Threcum* ita ad ſeditiones & fundendum ſanguinem aſſueti ſunt , ut cum Catholicorum copia non datur , ipſis fratribus ſuis virulentum mucronem imprimant . Alii tanquam *Eſſedarii & Andabatae* vel calumniarum plauſtris inſidentes , vel furoris & inſaniae equis vecti , imperita ac caeca temeritate in medium veritatis Clypeum feruntur laxiſque habenis ſe & alios in aeternam perniciem praecipitant . Tandem his omnibus accedunt quidam veluti *Mirmillones Hoplomachi & Samnites* : quorum illis contra veritatem continuum impudentiae tegimen , id eſt Apocalypſi interprete (*Apoc. IX. 9.*) *loricae ferreae* : his vero acies novis doctrinarum inſignibus clara , & ſcuta magnificae praedicationis auro celata , & galeae criſtatae , ut reſpondeant ſimilitudini *locuſtarum* , quas (*Apoc. IX. 7.*) Joannes vidit ſimiles equis paratis in praelium & ſuper capita habentes coronas aureas , facieſque ut facies hominum .

Horum omnium caedes , vulnera , cadavera , rapinas , quas in omnibus mundi provinciis quotidie agunt , & hactenus egerunt ; ſi quis dextro oculo intueatur , nae ille demum triſte ac luctuoſum ſpectaculum videre ſe fatebitur , omnium quotquot ſub ſole vivunt oculi , deplorandum & conatu maximo prohibendum . Nam quod olim corporibus hominum

minum in ſpectaculo Meridiano accidit : id demum hic animis eorundem & ſpiritibus majori feritate contingit , ut rectiſſime cum Seneca Epiſt. VII. exclames : quidquid ante pugnatum eſt , miſericordia fuit , nunc omiſſis nugis mera homicidia ſunt . Nihil habent , quo tegantur , ad ictum totis corporibus expoſiti , nunquam fruſtra mittunt manum : non galea , non ſcuto repellitur ferrum , quo munimenta ? quo artes ? omnia iſta mortes merae ſunt . Mane leonibus & urſis homines : meridie ſpectatoribus ſuis objiciuntur , & victorem in aliam detinent caedem . Exitus pugnantium mors eſt . Haec fiunt dum vacat arena : o veram vivamque ſpectaculorum noſtrorum iconographiam ! Quid enim . Haereticus panoplia Diaboli inſtructus , fraude , mendaciis , technis ac blaſphemiis undique obſitus ac tectus , cujus oculi nil niſi infernales ſpirant ignes , lingua praeſentiſſimum virus fundit , manus (*Virgil. 2. Aeneid.*) *Harpyarum* inſtar nefario *contactu omnia foedant* , quas putas ſtrages edit ? quanta vulnera animabus infligit ? Tanto ſcilicet graviora (*Cypri. de unit. Eccleſ. c. 2.*) quanto fraudolentius omnia hic geruntur , Oſtendebant amphitheatra ſuum cuique hoſtem : qui cordatiores ac robuſtiores erant , propoſitum ſibi Antagoniſtam ſubigebant , ac ſuam tutabantur vitam , Aſt hic non hoſtis , non interfector , non bellum aut pugna , ſed pax & ſtratae induciae , omniaque blandiſſima & ſecuriſſima : quibus hominum mentes inſeſcatae , non tantum non galea , aut ſcuto repellunt ferrum , ſed obvio etiam pectore accipiunt , ipſique ſibi firmius imprimunt : o fatalem calamitatem ! Quis ſine lachrymis tantam ſtragem intueatur ? Quocumque oculos convertis

Sanguine rorat humus , reboat clamoribus aether
Sydera caeſorum ſanguine clara rubent .
O Luthere cave , Calvine quieſce : recende
Sicam , qui binis corpora tingis aquis .
Saevitum ſatis eſt . Exhorret vulnera Phoebus ,
Mergitur inferna cymba Charontis aqua .
Nec tantum inſano peregrinet perditis enſe ,
Veſtra perit propria vita ſaluſque manu .

Sed jam operae pretium puto , ludos quoque praecipuos horum laniſtarum commemorare . Quemadmodum enim olim gladiatores in familia primum habiti aliti que , poſtea creſcente numero & crebritate editionum in ludis quibuſdam publicis uſum armorum condocefacti , & ad pugnam inſtituti ſunt : ita etiam haec nova monſtra intra privatos nata parietes , paulo poſt publica facta ſua κάτηχησιν & μονόμαχε τροφὰ nacta eſt , in quibus diſcit docetque quomodo Catholicam veritatem oppugnet , quo pede ſeſe recipiat , & quomodo obverſa adverſariis in quantulo ſpatio reſiſtat .

Primumque intermedii Anabaptiſtae nulla ſcholaſtica diſciplina aut theatrali ſplendore clari , in lacunis , cavernis , agris , aut mediis etiam ſaepe ſylvis diſcunt , docent , jugulant , quotquot ſimplicitatis ſuae caſſibus induerunt . At Lutherus tanquam Sicarius Arcticus Saxonia occupata , quatuor ſibi ludos illuſtres conſtituit , quibus diſcunt omnes , qui in vicinis poſtea Haſſiae , Boruſſiae , Sveviae &c. finibus nomine ejus verbi Dei rudibus batuunt , hominesque ad mortis iter inſtituunt . Ii ſunt VVittembergenſis , Lipſenſis , Jenenſis , & tandem Tubingenſis Academiae , virtutibus ſuis ita clarae , ut orationem noſtram ipſa multitudine ſua abſterreant .

Jam Zuvinglius & Calvinus facto ſyncretiſmo familias ſuas conjunxerunt , & ut latioribus graſſari finibus poſſent , varios hinc inde per Galliam , Germaniam , Angliam , Belgium , ludos aperuerunt , e quibus quanta damna communi patriae provenerint , publice ſatis conſtat . Praecipuam in Germania ſedem ac veluti arcem imperatoriam in *montibus Himeris* fixerunt , ubi leges praeſcribentes & dictata dantes tantum diſcipulorum numerum colligunt , ut colonias poſtea alio quoque mittant , nec ullus Germaniae angulus ſuperſit , ubi non aliquis hujus ſectae tenebrio lateat , qui ſe data occaſione tanquam ex inſidiis prodat ſuorumque magiſtrorum ſpicula in obvios quoſque contorqueat . Hanc tantorum malorum officinam , quis eſt , qui ignorare poſſit ? Tu minuta *Babylon* , *Apollineis* inſignibus clara (*Apoc. 17. 5.*) *ſcriptum habens in fronte nomen Myſterium* : orga

ſateor. At pietatis aliquantum, cujus tibi a me teſtem eſſe volo.

nega ſi potes, nega te matrem eſſe abominationum *Dipuoſophiſticarum* in omnibus terris: nega te myſteriis tuis *Sacramentariis* erroribus tuis, quot quot uſquam familiae hujus ſunt, vel naſcendo peperiſſe, vel obſtetricando formaſſe, vel nutricando aluiſſe. Tu *Hyrcana Tygris* ubera admoves Gallis, ut ſpurii potius Calvini, & Bezae, quam ſoboles Chriſti eſſe malint. Tu Britannos, Helvetios, Belgas inſtituis, ut domum reverſi patria incendia alere, quam pacificae veritati locum dare pulchrius ducant. Inprimiſque hoc deteſtabili ſcelere foecundus eſt ludus ille magnus in urbe, excalidus in inſtitutione, denſus tyrrociniis, ſtultus perverſa ſapientia: inde tanquam ex *equo Trojano* innumerabiles patriae incendiarii prodierunt. Hic ſementis vicinarum ditionum, hic meſſis, hic trituratio: o fatales cellulae, pingui ſagina ſordidae, *quibus cibis corpora impletis in ſuccum, ut carius pereant in poenam*, ſuoque ſanguine faecundent areoam! Quam metuo *Babylon* (*Matth.* 22. 35.) *ne veniat ſuper te ſanguis omnium*, qui a praedicato Evangelio aures praebuerunt ſeductoribus, malueruntque paucos ſequi coecus ad perniciem, quam multos oculatos ad ſalutem. Reſipiſce, reſipiſce (*Apoc.* 2. 5.) *priora opera facito, ne moveatur candelabrum tuum de loco ſuo*. Ablacta infantulos tuos, nec quaere premium obſtetricationis tuae, ne flagella, & tormenta invenias. Ad perniciem inſtituis, ciboſque propinas venenatiſſima errorum toxica. Nec te falle ſapientiae tuae perſuaſione, vano veritatis Eccleſiaeque titulo, ne tibi impone. Plures ſunt ſapientiores te, oculatiores, ſpiritu ditiores, qui te ſtultam eſſe dicunt, & convincunt. Audi mundum audientem Chriſtum: Crede mundo credenti Chriſto, (*Aug. lib.* 22. *de civit. Dei c.* 8.) *Magnum ipſe prodigium eſt, qui mundo credente non credit*. Neque hic Eccleſiae Dei mos aut genius eſt, ut rupto quo coepit filo, ad aliam tranſeat lineam, diuque latitans inter anguſta tandem & motibus inteſtinis referta ſpelaea concludatur. (*Symb. conſtant.*) *Una eſt, ſancta eſt, Catholica & Apoſtolica eſt*: regia eſt *in ſole collocata* (*Pſal.* 18. 6.) mons magnus ab Oriente in Occidentem protenſus, ardentiſſimis luminibus lucidus. Tu autem qualis ſis cognoſce, parentes tuos intuere, facta tua contemplare. Ramus es ab arbore exciſus humore jam caſſus, vitaque vacuus, ac niſi redieris ad arborem & inſeraris, ſuccumque ab radice tractum in flores & fructus convertas, brevi incendio ignis depaſcendus. Scripturam jactitas, vana eſt gloriatio: extra Eccleſiam Scripturae tractatus nullus eſt, nec poteſt habere ſenſum Chriſti, qui a Corpore Chriſti avulſus adulterae jungitur, promiſſionumque ſacramentis contradicit. Auguſtinum epiſt. 222. audi, conſentio ſuo ſuadentem: *intellectum valde ama, quia & ipſae ſcripturae ſanctae, quae magnarum rerum ante intelligentiam ſuadent fidem, niſi eas recte intelligas, utiles tibi eſſe non poſſunt. Omnes enim haeretici, qui eas in auctoritate recipiunt, ipſas ſibi videntur ſectari, quum ſuos potius ſectentur errores, ac per hoc non quod eas contemnant, ſed quod eas non intelligant, haeretici ſunt*. Agnoſce igitur culpam tuam, cerne ulcera tua. Si quid habes, quo te muniri poſſe putas, ſcito totum *Donatiſticum*, ac *Novatianum* eſſe, jamdudum voce ſcriptiſque antiquitatis convictum atque damnatum. Non credis ſcio, veni ergo & vide: lege antiquitatem, lege praeter multa praeclariſſimos duos (*extant ſeparatim. in praeſcript. noſtris tract.* 2. & 3.) *Cypriani & Auguſtini de unitate Eccleſiae* libellos: ſed ſequutura lege, non praeſcriptura, abunde dubitationi tuae ſatisfiet. Sed certo ſcio, me *ſurdo fabulam*: ita perplacent ſibi homines iſti in erroribus ſuis, pulchrumque ducunt contradicere orbi terrarum, ut videantur magiſtri orbis terrarum, nec ſicam e manibus deponent, donec *Conſtantius* aliquis pro tribunali jubeat, ſtatiſque threcidici pacem orbi reſtituat.

Quod utinam brevi a vobis experiri liceat, Sanctiſſimi, atque Illuſtriſſimi Eccleſiarum Praeſules, fortiſſimi patriae defenſores, ac Principes, ne pereant ita homines in aeternum conſulto. Quanquam ſtulti ſunt ipſi coeci, non intelligentes magna ex parte, quid vel agant, vel patiantur. Illecti a ſicariis ſpectatum adeunt ludos, & priuſquam animadvertunt, auribus oculiſque truncati, deinceps nec audire monentes, nec cernere ferientes poſſunt. Quare veſtrae hae partes ſunt, qui ſanis ſenſibus ſupereſtis, ut ſuccurratis neſcientibus, ut excitetis dormientes; prohibeatis coecos a praecipitio, ſtultos ab incendio, male ſanos a laqueo, omnes a fraude & aeterno exitio. Inprimiſque tu *aeterne Deus* (*Jacob* 1. 17.) *pater luminum* & intelligentiae concute hominum

iſto-

lo. Vale, ac perpetuum clientem tuum precibus praeſidiiſque undequaque fulciri cura. Heidelb. Calend. Martii MDCI.

EPISTOLA CXLIV.

CAESARI CARD. BARONIO

JUSTUS BARONIUS VETERACASTRENSIS.

Certiorem eum facit, ſe febri aegrotantem, ſuſceptum iter Romanum in aliud tempus diſtuliſſe.

LUſi primum meum ad vos iter, febris malignitate abruptum. Quam utrum equorum jactationes, vel curruum quaſſationes, vel diverſoriorum pultarii conciliarint, anceps ſum. Id certum, vitae hactenus ſedentariae inſuetas commotiones haud parum infeſtas fuiſſe. Tempus & modum a magno illo Auguſtino mutuatus ſum, qui & ipſe quondam a Manichaeorum ſcholis ad Catholicos tranſitum meditans (1) „ Placuit (inquit) mihi in conſpectu tuo Domine, non tumultuoſe abripere, ſed leniter „ ſubtrahere miniſterium linguae meae nundinis loquacitatis: ne „ ulterius pueri meditantes, non legem tuam, non pacem tuam, „ ſed inſanias mendaces, & bella forenſia, mercarentur ex ore „ meo arma furori ſuo. Et opportune jam pauciſſimi dies ſuperant ad vindemiales ferias, & ſtatui tolerare illos, ut ſolemniter abſcederem & redemptus a te jam non redirem venalis. Conſilium ergo noſtrum erat coram te, coram hominibus „ autem niſi noſtris non erat: & convenerat inter nos, ne paſſim „ cuiquam effunderetur „. Et non nullis interpoſitis: (2) „ Peccaſſe me (inquit) in hoc quiſquam ſervorum tuorum fratrum „ meorum dixerit, quod jam pleno corde militia tua, paſſus „ me fuerim vel una hora ſedere in cathedra mendacii. At ego „ non contendo. Veruntamen quia propter nomen tuum, quod „ ſanctificaſti per terras, etiam laudatores utique haberet votum „ & propoſitum noſtrum, jactantiae ſimile videbatur, non operiri tam proximum feriarum tempus, ſed de publica profeſ- „ ſione

illorum corda, ut videant quam longe peregrinentur a te, quamque furiose dicuant ovile tuum. Fac, quaerant cauſas ſeceſſionis ſuae, an ſatis juſte inſectentur domum tuam, & dum quaerunt inveniant veritatem in ſanctis tuis, & ſequantur: fac, videant errorem & emendent impietatem, ament, quos oderunt, laudent quos condemnarunt, ſequantur, quos exhorruerunt, & ſalvi fiant, qui perierant.

(1) Auguſ. lib. IX. Conf. cap. I.

(2) Ibidem.

„ ſione atque ante oculos omnium ſita ante diſcedere, ut con„ verſa in factum meum ora cunctorum intuentium quam vici„ num vindemialium diem praevenire voluerim, multa dice„ rent, quod quaſi appetiſſem magnus videri. Et quo mihi erat „ iſtud, ut putaretur, & diſputaretur de animo meo, & blaſ„ phemaretur bonum noſtrum „? Haec S. Auguſtinus magnum illud orbis Chriſtiani, lumen, quae ego totidem verbis (ut parva magnis comparem) de me dicta velim. Nam nec ego ante ſtatas paſchatos ferias, ne cum tumultu deſiderarer, nec non niſi cum amicis communicato conſilio, ne circulum turbarent οἱ ἐν ἀυλαῖς κράτιστοι, iter meum capeſſere volui. Nihilominus ut (1) Paulum olim ac Silam e Miſia in Bithiniam ire properantes, prohibuit ſpiritus Dei, ſciens articulos & opportunitates temporum, (2) diſponenſque omnia ſuaviter: ita mihi, cum juſtam videndae urbis horam nondum affulſiſſe videret, remoram (3) aegritudinis corporalis injecit, ut (4) per tempus, vel tempora, vel dimidium temporis, Moguntiae (quo potiſſimum mens aſpirat) tyrociniis fidei completis inſtructiorem poſtea atque aſſuetiorem Romae ſanctis Apoſtolis cultum exhiberem. Succeſſum ſpero tu magnum decus & praeſidium meum apud Deum, Pontificem, Archipraeſulem Moguntinum votis tuis exorabis. Ita me totum tuae commendo & committo fidei. Plura febris ingraveſcens non ſinit. Vale Auguſtae Vindelicorum XI. Kalend. Junii MDCI.

EPISTOLA CXLV.

JUSTO BARONIO VETERACASTRENSI

CAESAR CARD. BARONIUS.

Primum de incommoda ejus valetudine dolet, tum ſe de ſuis rebus cum Pontifice egiſſe, eumque optima, in ope eidem ferendo, voluntate ſe inveniſſe profitetur.

ACcepi litteras tuas, ex quibus ſummum dolorem hauſi, quod te, quem hoc tempore, quo itineri te commiſeras, recte valere optaveram, nunc in morbum incidiſſe intelligam. Equidem

(1) Archimedes apud Plutarchum in Marcel.
(2) Act. 16. 7.
(3) Auguſt. 5. Confeſſ. cap. 9.
(4) Apoc. 12. 14.

dem ſummopere cuperem pluribus verbis te conſolari, niſi ſcirem ea te fortitudine eſſe, ut a nullo potius, quam a te allevationem ullam debeas expectare; cum omnino confidam (1) infirmitatem hanc non eſſe ad mortem, quod olim Dominus noſter Sororibus Lazari aegrotantis reſpondit, ſed pro gloria Dei. Porro cum S. D. N. egi de rebus tuis, qui ea propenſione in te eſt animatus, ut nihil aeque deſideret, quam ut omnia tibi cedant feliciſſime. Quapropter bono animo eſto. Etſi enim conſtitutus ſis [ut Paulus ait] (2) in labore, in aerumna, in vigiliis, in frigore, & nuditate, (3) confide tamen in Domino, ſicut mons Sion, nam ipſe (4) opem feret ſuper lectum doloris tui, & (5) auferet a te languores, & infirmitates peſſimas. Ego vero quamvis ſatis notum eſſe exiſtimem qua benevolentia te tuaque negotia ſim proſequutus, cupio intelligas nihil mihi tam grave unquam poſſe evenire, quod me ab hoc meo animo valeat avocare. Romae Pridie Id. Quintilis MDCI.

EPISTOLA CXLVI.

CAESARI CARD. BARONIO.

JUSTUS BARONIUS VETERACASTRENSIS.

Gratias agit, quod Pontifici cauſam retardati a ſe Romani itineris aperuerit. Annales laudat, in quorum diuturna lectione multum ſe profeciſſe teſtatur. Mittit quoddam opus in defenſionem unionis ſuae cum Romana Eccleſia. Conſilium petit, quibus ſtudiis incumbere debeat. Deſcribit tandem injurias contumeliaſque ſibi a Proteſtantibus illatas.

ETSI publica gratiarum actione tua incredibilia erga me merita celebrare conſtitueram, Cardinalis Illuſtriſſime, tamen quia multis ex cauſis longum fiebat, antevertendum putavi, ne immemor paterni tui in me affectus viderer. Primum igitur quod meam ab itinere Romano rejecti cauſam tam fideliter apud Pontificem Maximum egiſti, quod meum in Germania luctum moero-

(1) Joan. 11. 4.
(2) 2. Cor. 11. 27.
(3) Pſ. 1. 4. 1.
(4) Pſ. 40. 4.
(5) Deut. 7. 15.

moeroremque litteris quam humaniſſimis conſolatus es: quod conſtantem denique fidem & patrocinium tuum deinceps rebus meis clementiſſime addixiſti, ſcito id totum me eo loco habere, quo beneficia longe maxima atque omni laudatoris cothurno ſuperiora haberi debent. Sed quia multum inſuper beneficiorum iſtorum pondus auget quotidiana diviniſſimorum Annalium tuorum lectio (quos quotieſcumque inſpicio; inſpicio autem creberrime, praeceps in hymnum illum Severi Milevitani feror (1)
„ O vere artificioſa apis Dei, conſtruens favos divini nectaris ple-
„ nos manantes miſericordiam, & veritatem, per quos diſcurrens
„ deliciatur anima mea, & vitali paſtu quicquid in ſe minus in-
„ venit, aut imbecillum ſentit, reſarcire, & ſuffulcire molitur „)
ſcito eam eſſe viciſſim animi mei πρὸς χάριν ῥοπὴν, ut ſi aliquam tuorum meritorum partem videar aſſequuturus, non ſolum me totum, quantus quantus ſum, tuae unius voluntati libenter conſecraturus, ſed & ipſa vita tuae vitae litaturus ſim. Sed non vis ſanguinem ſcio: fidem, pietatem, conſtantiam vis. Quae ipſa ut tibi de me teſtatiora ſint, en accipe hunc primitiarum Catholicarum faſciſculum, vel primae potius meſſis manipulum, Apologeticam meae ad Romanam Eccleſiam tranſmigrationis defenſionem, nomini quidem tuo (ratio non ferebat) non dicatam, ſed ex voto tamen tuo (ſpero) ſcriptam. Quam ubi legeris, & calculo tuo comprobaris, magnum me laboris mei fructum percepiſſe putabo. Sin improbabis, meque ad hanc militiam ſacram judicabis imbecilliorem, quaeſo per Deum tempeſtive mone, revocaque a carceribus properantem, ne longius in campum progreſſus, ſiſtendi poſtea curſus, locum nullum inveniam. Nam de ſtudiis quidem meis ipſe certum adhuc capere conſilium non potui, aliis me cauſis ad Theologiam, aliis ad juriſprudentiam vocantibus. Qua ipſa in deliberatione me tuo vel maxime ductu gubernari obſecro. Theologiae paulo magis inſuevi: ſed Clericis potiſſimum ex hac profeſſione vitam pendere in Eccleſia ſentio. De jure jam aliquo uſque ultra humiliora etiam ſubſellia progreſſus ſum. Sed ſunt quae morentur, ſunt quae abſterreant, non ipſa ſolum tanti pelagi immenſitas, verum & tribunalibus ab imperitis aut cupidis injuſtitiae aſperſa macula, quam neſcio quomodo etiam contrahunt, qui ſe intimos juſtitiae alumnos profitentur.

De ceteris rebus meis heu quam varia mihi hactenus fortuna!

(1) Apud S. Auguſt. epiſt. 37.

na! Ex una parte vexavit turbo maligniſſimae famae, ac turpiſſimorum convitiorum, quibus nomen meum lacerare haud ceſſarunt etiam ii, qui vel maxime ejus patroni eſſe debuiſſent. Ex altera inſurrexit fluctus graviſſimarum offenſionum, irarum atque execrationum, parentum ſcilicet & amicorum, qui haud ſecus ac parricidii reum teterrimis hucuſque ſuppliciis me deſtinare pergunt. Ex altera denique perculit fulgur magiſtratus ac tonitrua tribunorum Praedicantium: quorum ille quae in uxorem, liberos, & ſuppellectilem librariam perpetrarit, alias ſcribam: hi vero ſingulis in me concionibus non mitius, quam in Verrem aliquem aut Catilinam, aut ut propius ſacris noſtris efferam, in Porphyrium aut Julianum debaccati ſunt. Sed hic a patientia praeſidium meum duxi deflexiſque oculis ad eum, qui graviora a ſuis contribulibus paſſus (1). *Dimitte* (inquit) *illis, pater: non enim ſciunt quid faciant*: eodem me clypeo tutatus ſum. Neque effecerunt tamen omni conatu ſuo, quin aliqui pietatis ardore correpti, inter ipſas adhuc perſtrepentium ſpumas Catholicam fidem meditari incoeperint: quorum anteambulonem ſe praebuit honeſtus Adoleſcens Jacobus Nigrinus, qui cum abjurata haereſi, ſacramentorumque ſaepius frequentata religione commodum hic locum non inveniret, noſtro in primis ſuaſu & hortatu Romam iter capeſſit, tuaque in primis humanitate Ampliſſime Cardinalis praeſens ſibi ſpopondit ſubſidium. Quae ne eum ſpes fallat, etiam atque etiam oro. Sunt haec praeludia majoris ubertatis, nec deerunt viri praeclariſſimi, qui ſi Theſeum aliquem nacti fuerint, brevi ſpero eandem viam ingrediantur. Quibus adeo ſtudia mea haud defutura ſunt, ut quicquid in me eſt opis, aut diligentiae, aut induſtriae, id totum libenter ſaluti eorum cum capitis etiam diſcrimine devoturus ſim. Patroni hic erga me partes cumulate exequitur Illuſtris D. Johannes Schvicandus a Cronberg, Cathedralis Eccleſiae Moguntinae Decanus: qui ad me undiquaque ornandum & tutandum promptus, unica Sedis Apoſtolicae commendatione videtur futurus longe promptior. Hanc igitur mihi gratiam ubi clementer impartiemini, & cumulum veſtrorum erga me beneficiorum pleniorem, & fructum meorum hic emolumentorum longe reddetis auctiorem. Vale Illuſtriſſime Domine. Mogunt. Calendis Octobris MDCI.

EPI-

(1) Luc. 23. 34.

Digitized by Google

EPISTOLA CXLVII.

CAESAR BARONIUS CARDINALIS
JUSTO BARONIO VETERACASTRENSI.

Ejus conſtantiam in injuriis ferendis, religioneque Catholica tuenda laudat, eumque in Theologiae ſtudiis egregie operam collocare poſſe ſentit.

SUaviſſimas litteras tuas accepi, quae mihi partim ſummam jucunditatem, partim ſummum dolorem attulerunt; tum quod perpetuam tuam conſtantiam, quam in rebus adverſis demonſtras, indicabant, tum quod ita te animatum eſſe ſignificent, cupere te omnes tuas exercitationes, & ſtudia ad meam ſententiam dirigere. Quod itaque ad primum attinet, bene facis, quod exiſtimes, nihil tam grave tamque moleſtum evenire poſſe, quod a bona mente te poſſit, aut debeat avocare. Quod vero ad ſtudiorum genus amplectendum ſpectat, credo in Theologia te poſſe optimam operam collocare; ut fidem Catholicam, quam vere ſuſcepiſti ſcriptis etiam, ut incoepiſti, comprobes. Litteras, quas ad Illuſtrem D. Decanum petis, una mitto teque ad proximum ver Romae videre deſidero. Vale ex Urbe XII. Calen. Nov. MDCI.

EPISTOLA CXLVIII.

ANTONIO TALPAE
CAESAR CARD. BARONIUS.

Renitentiam in acceptandis muneribus a Principibus ſibi oblatis oſtendit.

A Queſti giorni la Maeſtà Chriſtianiſſima per gratitudine del tomo dedicatoli mi ha mandato a donare una credenza d'argento per la cappella di valore di due mila ſcudi, e più, qual'io per ſtare nel mio proponimento di non pigliare da Principi, non l'ho voluto accettare in modo alcuno, dove che l' Ambaſciatore di Sua Maeſtà facendone inſtanza con ſua Santità, che me la faceſſe pigliare per forza; è parſo a Sua Santità che ſi pigli, ma che ſubito ſi mandi alla Vallicella, & così ſi è fatto. Ne ho voluto dar conto a V. R., acciò non ſi maravi-

gli, ſe alla Vallicella, & non alla Caſa di Napoli ſi è fatta queſta donatione, eſſendo ſtato parere di Sua Santità; oltre che il dividerſi in due luoghi ſaria ſtato guaſtare l'uno e l'altro, con altra occaſione ſe haverò, mi ricordarò della Caſa di Napoli. Di Roma li 16. Novembre 1601.

EPISTOLA CXLIX.

CAESAR CARD. BARONIUS

JUSTO BARONIO VETERACASTRENSI S. (a).

De Friderici Huſmanni Comitis Palatini praefecti ad Catholicam fidem converſione gaudet, eumque hortatur ut in eadem fide tuenda perſeveret.

PErgratum mihi fuit auditu, quod de recenti converſione D. Friderici Huſmanni, Palatini Comitis praefecti ſignificas, qui è Saulo effectus Paulus, e perſecutore confeſſor, Catholicus ex haeretico, è caſtris tenebrarum in campum proceſſerit lucis orthodoxae, atque eo quidem gratius accidit, quod jam quaſi oculis cernam, tanto illum virum, divina cooperante gratia, fortiorem in Apoſtolicae fidei palaeſtra futurum athletam, quanto acriorem olim ſcribis Catholicorum fuiſſe hoſtem. Ego quidem ni te ſponte ſatis alacriter intelligerem in arenam deſcendere contra infenſiſſimos Eccleſiae Dei perduelles, facerem ut mea cohortatio, quam plurimi apud te valere ſat ſcio, tui te officii admoneret: rogaremque, ut nihil tibi antiquius eſſe paterere, ac deſiderium converſionis animarum. Verum id ea de cauſa facere praetermitto, ne aut de tua voluntate dubitare videar; aut tu aliter, atque ego ſcriberem, intepretari poſſis. Scis mi Juſte, quae praemia ſint iis conſtituta, qui alios ad pietatem erudiunt: (1) fulgebunt enim ut ſtellae in firmamento, & ſi bene contemplabere, non dubito, quin id unum tibi ad aeternam nominis tui memoriam conciliandam faciendum exiſtimabis, ut quam maximam Jeſu Chriſto animarum multitudinem lucrere. Valetudinem tuam diligenter cura. Romae IV. Non. Aug. MDCII.

EPI-

(a) Vide quae de Juſto Baronio diximus paullo ſuperius pag. 54.

(1) Dan. 12. 3.

EPISTOLA CL.

CAESARI CARD. BARONIO

NICOLAUS FABER. (a)

Epiſtolas Gerberti, poſtea Silveſtri II. a ſe repertas, una cum aliis veteribus monumentis ei mittere ſpondet.

TAndem neſcio quo tuo bono genio, Cardinalis ampliſſime, atque doctiſſime, vel potius favente ſanctiſſimis tuis laboribus divina benignitate, Gerberti (*b*) qui poſtea Silveſter ſecundus Cathedram Apoſtolicam rexit, Epiſtolas (*c*) praeter ſpem omnem ſum conſequutus: non ex eo Codice, quem olim Lutetiae videram (*d*), ſed ex alio quodam, qui mihi Montepeſſulo Septimaniae, ſive Gotthiae Urbe plus trecentis milliaribus Italicis a nobis diſſita, allatus eſt. Vereor tamen, ne plures in iſtis

(*a*) Ad ea, quae de Nicolao Fabro in adnotationibus Epiſtolae XXVIII. pag. 222. prioris tomi diximus; haec addenda cenſemus. Adoleſcens quum in Italiam ſe ſe contuliſſet, Carulo Sigonio, M. Antonio Mureto, aliiſque magnis in ea viris uſus eſt familiariter. Annos natus duodetriginta in patriam ſe recepit, totumque ſe pietatis philoſophiae ac juriſprudentiae ſtudiis dedit. Quibus, ut liberius & expeditiore animo vacaret, coelibem vitam, qua nihil melius, agere inſtituit: & ad extremum uſque vitae ſpiritum in illo animi propoſito perſtitit. Arctiſſimam deinde cum Petro Pithaeo vitae ſocietatem iniit, & quaſi frater ſub eodem tecto complures annos cum eo amiciſſime tranſegit. Hoc in otio bibliothecam, incredibili diligentia ac labore contulit, notavit, recenſuit. Hujus quidem bibliothecae uſu (quum Aubertus Miraeus Lutetiae anno MDCX. ageret, & ad illam illuſtrandam ſui ſtudioſiſſimo frequenter admitteretur) non mediocriter in ſtudiis adjutum ſe fuiſſe merito gloriabatur. Nicolai Fabri opuſcula Pariſiis anno MDCXIV. edidit Franciſcus Balbus in curia Monetarum Galliae generali, Regis Advocatus. Idem ſcripſit ejus vitam. Fabro morienti adſtitit Joannes Gulonius, Foliacenſis Monaſterii Praepoſitus, qui Dionyſii Areopagitae opera edidit Gallice, itemque Henricus Borbonius, Princeps Condaeus ejus diſcipulus.

(*b*) Hic antequam ad Romani Pontificatus faſtigium aſcenderet, primo quidem Remorum, ac deinde Ravennatum Archiepiſcopus fuit. Etenim ex alto Aureliacenſium jugo apud Arvernos, ubi lucem adſpexerat, deſcendens, Galliam, Germaniam, ac Italiam virtutibus illuſtravit ſuis, donec anno reparatae ſalutis nongenteſimo nonageſimo octavo Othone tertio Caeſare, ad ſummi ſacerdotii & Apoſtolatus culmen ex Gallis primus, ut videtur, aſcendit, ſeditque quatuor annis, menſibus ſex, diebus duodecim.

(*c*) Haſce Gerberti Epiſtolas ex Bibliotheca Papirii Maſſoni primum edidit Joan. Maſſonus S. Bajacenſis Eccleſiae Archidiaconus Papirii frater, Pariſiis apud Macaeum Ruette an. MDCX. in quarto: addito decreto electionis ejus, an. S. DCCCCXCVIII. adjectiſque epiſtolis Joannis Sareſberienſis Epiſcopi Carnotenſis ab anno MCLIV. ad an. MCLXXX. nec non Stephani primo Beati Evurtii Aureliae ad Ligerim Praefecti; poſtea S. Genovefae Pariſiis Abbatis, ac tandem Tornacenſis Epiſcopi ab anno MCLIX. ad an. MCXCVI.

(*d*) Codex Gerberti Epiſtolas complectens, quem ſe olim Lutetiae vidiſſe heic Faber profitetur; ille fortaſſe fuit, ex quo editionem Pariſienſem earumdem epiſtolarum an. MDCXI. paullo ſuperius laudatam, a Maſſono vidimus fuiſſe confectam.

iſtis deſint epiſtolae; cum quod Codex ille, quem aliquando legi, ſi bene memini, amplior, & craſſior videbatur, tum etiam quia Viguerius quidam inter recentes hiſtoriographos, qui noſtrate lingua ſcripſerunt non contemnendus, niſi ſe Catholicae veritatis odio tranſverſum agi ſiviſſet in hiſtoria Eccleſiaſtica, (ita enim eum librum inſcribit) quam ejus liberi proximis nundinis Lugduni Battavorum editam vulgarunt, quaedam ex Epiſtolis Gerberti habeat, quae in iſtis fruſtra quaeſivi, ut & illa, quae apud centurias ex Gerberto leguntur.

Iſtas tamen quales in manus meas pervenerunt, quandoquidem melioribus deficior, nec ingratas tibi fore, nec celandas putavi, quibus etiam illa fragmenta, quae apud Viguerium extare dixi, ideo adjungere viſum eſt, quod ne Liber lingua Gallica ſcriptus tarde ad nos perveniret, ſi unquam perventurus eſt, ſim veritus. Vellem pro eo ſtudio atque obſequio, quod tibi proprium devovi, idem mihi de Abbonis Epiſtolis contingeret, quo etiam huic tuo deſiderio ſatisfacere poſſem. Earum tantum perpauca fragmenta, quod unum potui, ex Pithaeano Codice a doctiſſimo, & hiſtoriae amantiſsimo Senatore quodam Pariſienſi collecta: mitto integrum Codicem Pitheanum, unquam me legiſſe non memini. Is autem nunc eſt in poteſtate Franciſci defuncti fratris Viri ceteroqui probi, & docti, ſed ejuſmodi reliquiarum antiquitatis ſupra modum tenacis, a quo ne gratiae quidem ipſae id genus quidquam impetrarent. Verum ex his excerptis, atque etiam ex Viguerii hiſtoria, qui quum illas Abbonis Epiſtolas habuerit, unicum tamen ipſarum locum, quem cum fragmentis Gerberti invenies, adducit, quo probat ipſius Abbonis opera Gregorium V. R. P. in reſtituendo Arnulpho Sedi Remenſi praecipue uſum, quam facile ipſis integris carere poſsimus, coniicere licet. Porro ut nono Annali tibi res fuit cum Teonomachis, ita etiam decimo cum iis qui veritatem Corporis Chriſti in tremendis Myſteriis negantes velut in putidis antiquorum fabulis nubem pro fulgore, ideſt umbram pro veritate nobis obtrudere tentant, certamen eſſe tibi, non eſt mihi dubium. Joannes enim Scotus & Ratrannus Corbejenſis Monachus, quomodo eum vocant veteres Codices, cujus etiam quatuor libros contra Graecos ad Michaelem, & Baſilium Imperatores aliquando legi, iſto ſeculo, quod in eo decimo Annali tractas, primum eam quaeſtionem in Eccleſia moverunt, quae nunc ita nos miſere exercet. Ea ratione ſuperioribus

ribus addendam cujuſdam auctoris incerti, qui de Euchariſtia illo ſeculo ſcripſit, praefationem cenſui, quod in ea Rabano Mauro (a) Moguntinenſi viro, alioqui tunc temporis in Eccle-

(a) Hic *Rabani* nomen a patria, *Mauri* vero a praeceptore ſuo Alcuino accepit, ut ipſemet teſtatur in praefatione Comment. in lib. Reg. Moguntiae natus circa an. Chriſti DCCLXXXV. ac in Fuldenſi monaſterio primis litterarum rudimentis, quibus imperiri puerilis debet aetas inſtitutus; humanis ſacriſque diſciplinis Alcuino praeceptore uſus, egregiam operam navavit. Inde Fuldenſibus ſcholis praefectus eſt, Ratgario Abbate; a quo diu multumque vexatus. (Ratgarius enim ipſi aliiſque Monachis, omnem ſtudendi facultatem adimens, eos ad laborem pluſquam ſervilem cogebat,) loco cedere compulſus eſt. Ratgario Abbate depoſito Ludovici Pii Imperatoris juſſu, ac Egile ſancto Abbate favente, ſtudia Fuldae Rabanus inſtauravit. Mortuo Egile Rabanus Abbas creatus, quum munus interpretandi ſacras Scripturas in Fuldenſi ſchola ſibi reſervaſſet, & pietate ac litteris unus omnium maxime floreret; Otgario Moguntino Archiepiſcopo defuncto ejus in locum Archiepiſcopus eſt ordinatus VI. Kalendas Julii anno DCCCXLVII. juxta Trithemium. Eodem ordinationis ſuae anno Moguntiae Synodum celebravit Ludovico Pio jubente. Anno ſequenti aliam Synodum cogit, in qua damnavit Goteſchalchum, veterum Praedeſtinarianorum errores ſuſcitantem. Alteram Synodum an. DCCCLIII. habuit ex omnibus Epiſcopis atque Abbatibus Orientalis Franciae, Bajoariae, & Saxoniae, ut Annales Fuldenſes teſtantur. De Eccleſia optime meritus, ſcriptis eximiae eruditionis, vita tum in Coenobio, tum in Epiſcopatu ſanctiſſime traducta obiit anno DCCCLVI. juxta praef. Annales & Hermannum; ac Moguntiae in Monaſterio S. Albani ſepultus eſt; epitaphio, quod ipſe ſibi vivens confecerat ejus tumulo adpoſito. Rabani opera a Rodulpho Monacho Fuldenſi, in ejus vita recenſentur, ſed non omnia. De iis Sigebertus lib. de viris illuſtribus Cap. LXXXIX. Honorius Auguſtodenſiis lib. IV. de Luminaribus Eccleſiae Cap. IV. Trithemius lib. de Scriptoribus Eccleſiaſticis & in catalogo illuſtrium Germaniae Scriptorum. Omnia tamen eadem Rabani opera collegit vir eruditus Jacobus Pamelius (edidit Georgius Colvenerius) ac temporis ordinem, quo ſingula ſcripta ſunt accurate diſtinxit. Multa vero de iiſdem operibus ſcitu digna obſervavit doctiſſimus Mabillonius in elogio hiſtorico Rabani part. II. Saeculi IV. Benedictini cap. X. quorum nonnulla heic in medium proferre, haud injucundum lectoribus fore confidimus. Libros igitur duos de laudibus Sanctae Crucis, quos rogante Alcuino praeceptore inchoavit anno aetatis ſuae XXX. anno DCCCXIX. jam Praesbyterum libros de Inſtitutione Clericorum obtuliſſe Haiſtulpho Archiepiſcopo Moguntino, anno quo facta eſt Eccleſiae Fuldenſis dedicatio, ut conſtat ex carmine dictis libris praefixo. Abbatem factum an. DCCCXXII. Commentarios in Matthaeum & homilias quaſdam eidem Haiſtulpho nuncupaſſe, qui obiit anno DCCCXXVI. Anno circiter DCCCXXX. Explanationem in Octateucum, ideſt in quinque libros Moyſi, Joſue, Judicum, & Ruth miſiſſe Freculfo Lexovienſi Epiſcopo anno DCCCXXXIV. ſcripſiſſe Ludovico Auguſto conſolatoriam epiſtolam poſt calamitatem, quae ei accidit ex parte filiorum: poſtea collectarium ex ſententiis divinorum librorum de reverentia filiorum erga patres, & ſubditorum erga Reges. Quod a Stephano Baluzio editum eſt in 1. editione librorum Petri de Marca Archiepiſcopi Pariſienſis de concordia Sacerdotii & Imperii. Paullo poſt libros Regum, petente Hilduino Abbate, expoſuiſſe, eamque expoſitionem Ludovico Auguſto Fuldae exhibuiſſe. Circa annum DCCCXXXVI. Judithae Imperatrici dedicaſſe commentarium in libros Judith & Eſther, poſtea explanationem in libros Machabaeorum Geroldo Archidiacono Palatii Ludovici Imperatoris conſecraſſe ante annum DCCCXL. tum expoſitionem in Sapientiam & Eccleſiaſticum Otgario Moguntino Archiepiſcopo: & Epiſtolam ad Notingum Veronenſem Epiſcopum ante mortem Ludovici Pii ſcripſiſſe. Mortuo Ludovico Auguſto libros in Hieremiam obtuliſſe Lothario Imperatori. Anno DCCCXLII. ineunte collectarium in epiſtolas ſancti Pauli tranſmiſiſſe Lupo poſtea Abbati Ferrarienſi. Quo fere tempore commentaria in Ezechielem, Lotario Auguſto dedit, & Otgario Archiepiſcopo librum poenitentialem, in cujus cap. V. meminit pugnae Fontaneticae inter filios Ludovici Auguſti commiſſae anno DCCCXLI. Ad idem tempus revocandam cenſet Mabillonius Epiſtolam de Cho-

ſia, & doctrina, & auctoritate celebri, & Heribaldo Antiſſiodorrenſi Epiſcopis opinionem foedam, & impiam affixerit, quam ali-

Chorepiſcopis ad Dragonem Metenſem, epiſtolam ad Reginboldum Chorepiſcopum Moguntinum, de quibuſdam quaeſtiunculis Poenitentiae: & expoſitionem Danielis prophetae Ludovico Germaniae Regi inſcriptam; cui etiam nuncupavit expoſitionem in Cantica, quae ad matutinas per ſeptimanam leguntur. Conſtat praeterea ſcripſiſſe Rabanum libros XXII. de univerſo in gratiam Hemmonis Halbeſtratenſis Epiſcopi anno circiter DCCCXLIV. tempore ſcilicet vacationis a regimine Abbatiali, ut idem Mabillonius obſervat. Epiſtolam ad Heberardum Comitem contra Goteſcalchum an. DCCCXLVII. Item Epiſtolam ad Egilium Abbatem Prumenſem: cujus epiſtolae mentionem facit in litteris poſtea datis ad Heribaldum Antiſiodorenſem Epiſcop., quas cum Reginone edidit Baluzius laudatus. Rabani Martyrologium ab Henrico Caniſio tomo VI. antiquarum lectionum vulgatum eſt. Inter edita Rabani opera falſo ipſi adſcribuntur libri tres de quaeſtionibus Canonum Poenitentialium ad Heribaldum, & ſequentes libri tres de virtutibus & vitiis: utrumque enim opus eſt Halitgarii Cameracenſis Epiſcopi, ut obſervatum viri eruditi: quibus tamen viſum eſt, foedum errorem Stercoraniſtarum, qui Euchariſtiam ſeceſſui obnoxiam aſſerebant, contineri in epiſtola ad Heribaldum cap. XXXIII. de Euchariſtia, cum ſcripſit, *Quod autem interrogaſtis, utrum Eucharistia poſtquam conſumitur, & in ſeceſſum emittitur more aliorum ciborum, iterum redeat in naturam priſtinam, quam habuerat, antequam in altari conſecraretur? Superfluum eſt hujuſmodi quaeſtio, quum ipſe Salvator dixerit in Evangelio: OMNE QUOD INTRAT IN OS, IN VENTREM VADIT, ET IN SECESSUM EMITTITUR. Sacramentum Corporis & ſanguinis, id eſt ex rebus viſibilibus & corporalibus conficitur, ſed inviſibilem tam corporis, quam animae efficit ſanctificationem, & ſalutem. Quae eſt enim ratio, ut hoc, quod ſtomacho digeritur, & in ſeceſſum emittitur, iterum in ſtatum priſtinum redeat, quum nullus hoc umquam fieri aſſeruerit?* Herigerus Laubienſis Abbas hujus erroris accuſat, eum in libro de Corpore & Sanguine Domini hiſce verbis refellit. *Et his quidem qui dixerunt ſeceſſui obnoxium (quod nunquam antea auditum eſt) id eſt Heribaldo Antiſiodorenſi Epiſcopo, qui turpiter propoſuit; & Rabano Moguntino qui turpius aſſumpſit, turpiſſime vero concluſit, ſuus ad reſpondendum locus ſervetur.* In conſequentibus vero non aliam ob cauſam ſe Rabanum impugnaſſe innuit, quam quod Corpus Domini ſeceſſui obnoxium eſſe ſentiret. *Quapropter* (inquit) *cujus potenti virtute panis iſte communis, quem quotidie ſumimus, quum ſit candidus, mutatur intra nos in colorem ſanguineum, vel alium humorem fluidum: ipſius potentia caro & ſanguis ejus ſumpta, non in noxium & ſuperfluum humorem: ſed in carnem vere reſuſcitandam debet reſervari conformata.* Herigerum ſecuti ſunt VVillelmus Malmesburienſis in epiſtola ad Robertum fratrem, Thomas Valdenſis tom. I. Doctrinalis in praefatione, & tom. II. cap. XIX. LII. & LXI. & alii plerique Rabano eundem errorem tribuerunt. Sed clariſſimus Mabillonius in praefatione Partis ſecundae ſeculi quarti Benedictini ab hujuſmodi labe Rabanum purgat, graviſſimiſque argumentis oſtendit, eum neutiquam Chriſti Domini Corpus, ſed ad ſummum ſymbola ſola communi aliorum ciborum legi ſubjeciſſe. Probat id primum ex ejus verbis in epiſtola ad Heribaldum, ubi negat Euchariſtiam, ſecundum id, quod ſeceſſui obnoxium eſſe praemiſit, *redire in naturam priſtinam, quam habuerat, antequam in altari conſecraretur.* At de Domini Corpore id intelligi non poſſe evidens eſt; quum ante conſecrationem in altari non exiſtat: eſt itaque intelligendum de re illa, cujus natura conſecratione mutatur, de pane nimirum ac vino, de quorum ſymbolis interrogarat Heribaldus, in priſtinam naturam, quam ante conſecrationem habuerant, naturam redirent: quod negat Rabanus. Secundum igitur ſola ſymbola, ſeu externam partem, quae ſenſibus objicitur, ſenſit ſeceſſui obnoxiam; praeſertim quum in eadem epiſtola Rabanus innuat, diſcrimen magnum eſſe Euchariſtiam inter ciboſque communes, quod hi omnino ad corporis incolumitatem ſumantur, Euchariſtia vero inviſibilem tam corporis, quam animae ſantificationem efficiat. Quamvis ex rebus viſibilibus & corporalibus ſit confecta, ſymboliſque corporeis conſtet, de quibus fruſtra quaeritur, quod quaeſierat Heribaldus, quum Chriſtus Dominus dixerit: *Omne quod intrat in os*

in

Digitized by Google

alibi me legiſſe non credo, nempe Auguſtiſſimum illud Sacramentum ſeceſſui obnoxium eſſe. Quod ſi de Rabano verum eſt, mirum quomodo liber, qui de Euchariſtia ejus nomine editus eſt, ejus eſſe poſſit. Quamvis tamen & Thomas Valdenſis ipſum Rabanum inter eos poſuerit, qui de Corpore Chriſti male ſenſerunt; & ipſe Rabanus in libris de inſtitutione Clericorum, cum ſcribit Sacramentum ſumptum digeri, non multum ab illa opinione diſcedat. Sed haec inde, qua vales ingenii dexteritate, earumque rerum peritia, facile explicabis. Subjunxi etiam quaedam ad hiſtoriam Formoſi P. M. ſpectantia, quae hiſtoriae parum diſcuſſae, & a paucis tractatae aliquam lucem adferre poterunt. Haec omnia Cardinalis Illuſtriſſime, atque eruditiſſime, quum per ſe ſint levia, nec ullius fere ponderis, vereor ne adſecto jam, & edito libro tibi reddita, etiam illud minimum gratiae, quod habitura fortaſſe erant ſi tempori veniſſent, veluti poſt bellum machinae merito amittant. Verum non es neſcius quam non ex voto, ſed potius aliud agentibus ejuſmodi antiquitatis monimenta nobis ſe ſe offerant. Quanti autem fieri debeant, malui ex tuo acerrimo judicio pendere quam

in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur: nec ulla conſequutio ſit, ut id, quod in ſeceſſum vadit, redeat denuo in naturam priſtinam. Ex cujuſdam Sapientis verbis (cujus opus extat tomo XII. Spicilegii) contra Rabanum adductis ab Herigero aliam ejus defenſionem Mabillonius ſuſcipit. *Abſit* (inquit) *ut tantum Myſterium ſeceſſui fiat obnoxium, in quo ſi forte ordo naturae ſervetur, Myſterium, quod ſola fide conſpicitur, humilietur. Si corpus in corpore ordinem ſervat; non violatur Myſterium, quod divinitatis firmavit Sacramentum, nec ſpiritus amittit; quod fide integra in re corporali ſpiritualiter ſumpſit.* Sapiens & cum eo Herigerus, in Myſterio Corporis Chriſti rem corpoream ſeu ſenſibilem & ſpiritualem, id eſt inviſibilem diſtinguit. Aſſerit, ſi ordo naturae in re corporea ſervetur, ita ut ſeceſſui obnoxia ſit, inde conſequi, *ut Myſterium, quod fide conſpicitur:* ideſt res ſpiritualis & inviſibilis, ſeu ipſum Chriſti Corpus pariter *humilietur*. Etſi res tamen ſenſibilis communem ſervaret ordinem, non violatum iri Myſterium, quod ſpiritaliter ſumitur. Non itaque ſenſit Rabanus, quem ſapientis illius verbis Herigerus refellit, ſeceſſui obnoxium Domini Corpus eſſe, ſed ſymbola dumtaxat, cum quibus Chriſti Corpus eſt conjunctum. Quo poſito, conſequi putabant eum Herigerus, tum Anonymus ille ſapiens ab ipſo laudatus, *humiliari* quoque Chriſti Corpus. Denique ex libro I. Rabani de inſtitutione Clericorum cap. XXXI. argumentum ſumens laudatus Mabillonius, ubi a virtute ſeu a re ſacramenti, ſacramentum diſtinguit, & in ſubſtantiam ſumentium ſacramentum quidem converti cenſet; non ſic autem rem Sacramenti, ſed nos potius in eam transformari. Secundum itaque Rabani ſententiam res ſenſibilis, in ſeceſſum abiit; non vero virtus, ſeu res Sacramenti ſub eo latens, ideſt Corpus & Sanguis Chriſti. *Aliud eſt,* (inquit) *Sacramentum aliud virtus Sacramenti. Sacramentum enim ore percipitur: virtute Sacramenti interior homo ſatiatur. Sacramentum in alimentum corporis redigitur, virtute Sacramenti aeterna vita adipiſcitur. In Sacramento Fideles quique Communicantes pactum ſocietatis, & pacis ineunt: in virtute autem Sacramenti omnia membra Capiti ſuo conjuncta & coadunata, in aeterna claritate gaudebunt. Sicut ergo in nos id convertitur, cum id manducamus, & bibimus: ſic & nos in corpus Chriſti convertimur, dum obedienter, & pie vivimus.*

iis ſuppreſsis, deſerti officii conſcientia torqueri. Hoc enim a te ſummis precibus contendo, ut neminem eſſe tui nominis atque gloriae cultorem me ipſo magis addictum, nullum clientem obſequentiorem tibi perſuadeas. Hoc a me exigunt eximiae illae tuae dotes, ac virtutes cum ſumma humanitate conjunctae, hoc primaria dignitas, & majora in Eccleſiam merita, hoc denique affectus in me infimum propenſior cum quo ullis officiis, vel obſequiis paria facere non meae ſortis eſſe, vel facultatis agnoſco. Vale. Ex Foſſatenſi Caſtro VI. Kal. Septembris. Ann. ſalut. MDCII.

Ne haec pagina vacaret, viſum eſt hymnum ſequentem ex graeco, ut apparet, verſum ex V. Codice poſt quaedam Ildefonſi Toletani Epiſcopi opuſcula huc tranſcribere (ſcriptus autem ille Codex, notatur Anno Chriſti milleſimo centeſimo undecimo) pertinet enim ad ea, quae tractantur Annalium t. IX. pag. 15. & 17. Quantum vero fidei adhibendum ſit, praeſtantiſsimi tui eſt judicii.

Victoriferus atque ſalutatorius Hymnus de Sancto Germano Patriarcha Conſtantinopolitanorum rithmice compoſitus, per ſingulas Alphabeti litteras incohans ſingulos verſus.

IN diebus Theodoſii praedeceſſoris Leonis, Patris ſcilicet Conſtantini qui cognominatus eſt Calvus, tempore illo, quo Childericus principabatur apud francos audiens Muſsillimin Rex Saracenorum gloriam, ac divitias Conſtantinopoleos Civitatis, infinitam multitudinem exercitus terreni, ac Claſsici congregavit, atque conduxit, tandemque Urbem circumvallavit, & validiſsimo eam quotidiano oppugnans impetu.... ita mane initio admonitionis exercitus una cum omnibus ſuae partis adſcitis conſpiciebat quandam inaeſtimabilis claritatis foeminam purpureis indutam veſtibus cum multitudine maxima candidatorum virorum de coelo deſcendentem, & muros Civitatis circumeuntem, palliumque quoddam ante muros hoſtibus protendentem, cujus protectione divino nutu, & illa Civitas conſervabatur, & hoſtium vires enervabantur. Unde factum eſt, ut divinum confeſſus miraculum idem Muſſilimin pedibus cum mille viris tantum Civitatem ingrediendi ſibi permiſsionem obtinuerit, necnon multis oblatis muneribus, adorato quoque Domino, & Sancta Genitrice ejus foederis dextras dederit. Idem vero Theodoſius in brevi quoniam invi-

inviriliter principatum miniſtravit, attonſus in Clericum Leonem nuper in ſucceſſorem accepit, qui praefatum ſanctum virum Germanum, quem annis 40. in diſciplina diſcendi, & quinquaginta in Epiſcopali doctrina meritus, & vita agonizantem majorem jam nonagenario quia illi ad reverendarum imaginum confractionem conſenſum non praebuit contra fas de ſede ſua expulſum in quandam Diaconiam, quae graecè nomine proprio *Iſtuburri* appellatur, crudeliter pepulit, ibique eum (proh dolor!) interfecit. Qui ſepultus eſt in Monaſterio Iſtaromens vocabulo, in quo religionis cultu gloriae Martyrum adaequatus, & in honorem Domini Noſtri Jeſu Chriſti ibi devotiſſime veneratur. Qua de re praefata tam ab ipſo inſigni viro, quamque a ſucceſſoribus ejus eſt conſtitutum, moſque laudabilis, & imitandus inolevit in Annunciatione ſanctae, & glorioſae, ac ſemper Virginis ejuſdem genitricis Dei, & Domini noſtri Jeſu Chriſti, per annos ſingulos triumphus hic decantari, quaſi ex voce Civitatis ipſius ſibi commendatae, Anno CCCXVIII. Patribus Nicaeni Concilii ſub magno Conſtantino, & in publica ſtatione praeſcriptae diei, qua appellatur ad Blachernas, & per omnes Catholicas Graeciae Eccleſias.

Reſponſum Canceœri à populo per ſingulos verſus reddendum.

Propugnatori Magiſtratui Eccleſiae ſum redimita adeſis (*ſic*) gratiarum actiones reſcribo tibi, Civitas tua, Dei Genitrix. Sed ſicut habes Imperium inexpugnabile de omnibus periculis me libera ut clamo tibi. Ave ſponſa inſponſata &c.

Ex eodem Codice antiquo confirmatum mihi eſt, quod ante aliquot annos, ex alio didiceram, quae de Idelphonſo ex Vaticano Codice, octavo Annali pag. 499. inſeruiſti eſſe Juliani Epiſcopi etiam Toletani ſucceſſoris Quirici, qui Idelphonſo ſucceſſit, legique debere aetatis noſtrae nobiliſſimum Toletanae &c. Et paulo infra, *& propriis opibus ditavit expletoque XVIII. praedicti Principis anno ſequenti die X. Kal. Febr. domicilio carnis exutus:* ita ut XVIII. annus Receceſuinthi expletus fuerit XI. Kal. Febr. Ildefonſus vero ſequenti ideſt X. deceſſerit, quemadmodum ipſe Illuſtriſſime Cardinalis nos doces in laborioſiſſimo, eruditiſſimoque tuo Martyrologio. Vita autem Ildephonſi, quae apud Surium extat, ex hac Juliani, & alia cujuſdam Elladii, quem veteres Codices ajunt fuiſſe Epiſcopum Toletanum, quonam tempore adhuc quaero conflata eſt. Incipit illa Elladii. *Ecce dapes melliflui illius Domni Ildephonſi &c.*

Digitized by Google

EPISTOLA CLI.

JOANNI ADAMO
ARCHIEPISCOPO ET ELECTORI MOGUNTINO

CAESAR CARD. BARONIUS.

Loquitur de Juſto Baronio ab haereſi calviniana ad fidem Catholicam converſo, & tali occaſione in ſuam familiam ſuſcepto, illumque etiam atque etiam ei commendat.

QUI Moguntia Romam venit Juſtus Calvinus, idem modo revertitur Roma Moguntiam Juſtus Baronius. Quem enim Eccleſia Catholica accepit in ſinum, ego in familiam meam libenter ſuſcepi, cum etiam jure ſpiritualis cognationis, virtute Sacramenti Confirmationis, quod conſecutus eſt a Sanctiſſimo Domino Noſtro Clemente Papa VIII. eundem genui mihi filium, & ut ſpero, non degenerem Leonis catulum, qui jam exeruit ungues in eos, qui ipſum, in cavea impietatis detinuere captivum. Hunc igitur his decoratum a nobis inſignibus, jam antea filium tuum, ovemque paſcui tui, rogo iterum atque iterum uti pater benignus amplectere, & vigilantiſſimus Paſtor enutri, uti patronus fove, protectorque defende: ſuſcepturus ego in me cuncta in ipſum collata officia & beneficia, quo nomine Reverendiſſimae Dominationi tuae devinctus perpetuo permanebo. Qui & pro Epiſcopali munificentia erga ejus familiam ipſo abſente abunde ſatis exhibita, plurimas gratias ago. Vale. Romae XV. Kalend. Octob. Anno Domini MDCII.

EPI-

Digitized by Google

EPISTOLA CLII.

CAESARI CARDINALI BARONIO

JUSTUS BARONIUS VETERACASTRENSIS.

De ejus itinere, deque laurea in Peruſina ac Senenſi Academia accepta eum certiorem facit, poſtea ingentia Card. Baronii dum ipſe Romae fuit in ſe collata beneficia commemorat.

SOlicitum te eſſe itineris noſtri, Illuſtriſsime & Reverendiſſime Domine, tam non dubito, quam me eſſe tibi chariſsimum. Itaque ne ingrati hoſpitis crimen incurram, id eſt, (1) quod natura lynces inſitum habere dicuntur, ne poſt tergum reſpicientes meminerint priorum, & mens perdat, quod oculi videre deſierint; ex proxima etiam Hetruria reſcribendum tibi duxi, ut quanto minori ad te intervallo reſcriberem tanto conſtantiorem tui memoriam habere viderer. Scito igitur regreſſos ex Urbe ſeptimo poſt die Lauretanis ambagibus Peruſiam veniſſe, undecimo Senas. Quo utroque loco quid mihi, quid comitibus meis Germanis, Bernitio & Zollero cum Illuſtriſsimis Academicis negotii interceſſerit, quid laureae a nobis affectatum, feliciterque reportatum fuerit, malo te ipſorummet publicis teſtimoniis (quae mitto) quam litteris meis cognoſcere. Sane Romae nihil mihi hujuſmodi in mente. At primum exemplum comitum candidatorum, deinde ſingularia Academicorum privilegia atque invitationes, tertio fructus in Germania ſeſe tum privatis fortunis meis, tum publicis vel in Eccleſia, vel in Republica edendis lucubrationibus adpromittens, facile me in hoc conſilium pertraxit, quod nec tibi, nec ceteris Illuſtriſsimis Patronis Cardinalibus, Bellarmino, Aldobrandino, Paravicino, improbatum iri confido. Succeſſus utrobique fuit Dei munere perquam oppido feliciſsimus: honoris tuo nomine etiam prae ceteris mihi tantum habitum quantum verbis conſequi vix poſſum. Viſerunt, duxerunt, reduxerunt, magna ſolemnitate, maximo numero, ut praeter frequentiſsimam ſtudioſorum catervam, Senenſium Academicorum conſeſſus LXXII. Doctorum corona clauderetur. Orationes in te, in Pontificem, in ceteros Maecenates meos, quos ordine me narrante, comitibus aſtipulantibus,

(1) Hieron. Ep. 44. ad Chriſoſt. Monac. Aquil.

bus, litteriſque etiam aliquot veſtris, quas opportune mecum habebam, conteſtantibus cognoverant, habitae a Promotoribus, quam honorificentiſsime. Plura hujus generis pudore, non oblivione, praetereo. Sunt enim talia, quae etſi veſtro potius quam meo merito in me collata profiteor, arrogantius tamen forte quam utilius praedicari a me videbuntur, qui totius rei pars maxima fui. Quanquam hanc ipſam me laudis & gloriae mercedem Illuſtriſsimis Accademicis omnino debere agnoſco, quibus ut perpetuum amoris venerationiſque affectum libentiſsime, quoad vivam, praeſtabo: ita ut vos ampliſsimi Maecenates mei veſtrae quoque benevolentiae auram data illis opportunitate afflare dignemini, ut vehementer cupio, ita maximopere oro.

De tuis vero in me praeclariſsimis nuper Romae meritis, quid Illuſtriſsime Baroni: de quadrimeſtri hoſpitalitate, de amiciſsimis ſermonibus, de religioſiſsimis pietatis exemplis, de creberrimis commendationibus, de ſacramentali mecum inita cognatione, de glorioſiſsima denique nominis conteſſeratione, an mutus lethaeuſque ego? Abſit: quin ſtentore clamoſius ubique effero, ſumoque hanc mihi non vulgaris, ut ita dicam, oſtentationis materiam, quod non tuae tantum clientelae, ſed & tuae familiae homo ſum. Hoc laetor, hoc exulto magis,

Quam ſi me liquidus fortunae rivus inauret (1)

Atque hoc huic ipſi Epiſtolae inſerui, ne, (ut ad ſuperiora redeam) (2) Λύγκειος a te exiſtimarer, quae fera, ut Hieronymi verbis concludam, ſub frondente captans arboris ramo fugaces capreas, aut timidum cervos animal comprehendit currentemque fruſtra praedam dum hoſtem ſuum ſecum vehit, rabido deſuper ore dilaniat, & tamdiu meminit praedandi, quamdiu venter vacuus ſiccum fame guttur exaſperat: ubi vero ſanguine paſta feritas viſcera diſtenta compleverit, cum ſaturitate ſuccedit oblivio, tandiu neſcitura quid capiat, donec memoriam revocaverit eſuries: non ego talis, non: ſed quemadmodum, (3) Ciconiae ſempiternam paternae fidei & amoris memoriam ineſſe ferunt; ita & mihi tuorum beneficiorum crede: nec mihi ſolum, ſed & filiis, & poſteris, & quotquot Baroniani ex me

(1) Horat. 1. Epiſt. 12.
(2) Hieron. Epiſt. 44. ad Chriſogon. Monac. Aquil.
(3) Plutarch. de ſolert. Animal. Et lib. 8. Sympos quaeſt. 7.

me nominis haeredes unquam ſuperfuturi ſunt. Vale. Senis IV. Non. Octob. MDCII.

EPISTOLA CLIII.

JUSTO BARONIO VETERACASTRENSI

CAESAR CARD. BARONIUS.

De ſuo felici itinere, ac regreſſu in Germaniam habito, laureaque doctorali ab eo acquiſita laetatur.

TUas, Juſte Baroni, litteras diu deſideratas tandem magna animi mei voluptate accepi, & libenter legi. Praeter enim manifeſtiſſima amoris erga nos tui & obſervantiae indicia, id quod ſummopere de te audire volebam, ſignificabant. Et primum quidem, quod earum me cupiditate incendebat, id erat, quod itineris veſtri ſucceſſus oppido me ſollicitum habebat, cum non ignorarem multa ſolere proficiſcentes incommoda comitari, laſſitudines, aeſtus, frigora, inſidias, & mille pericula, quae quo quis aliquando diligentius vitare cogitat, eo citius incurrit. Sed, ut ſpero, eum viae ducem conſequutus es, qui juniorem (1) Tobiam ſuae fidei concreditum incolumem a patre & adduxit, & iiſdem auſpiciis reduxit. Cui te, ceteriſque Sanctis omnibus ut ſemper quam ſtudioſiſſime commendes, & gratiſſimum exhibeas cenſeo, tamquam iis, quorum apud Deum ſuffragiis & authoritate preces noſtras promoveri & poſſe & ſolere certo ſcimus. Haec enim ſola eſt via, qua nos erga ſanctos pro eorum in nobis cuſtodiendis vigilantia gratos demonſtramus. Alterum quod me in iiſdem delectabat; illud erat, quod feliciter Doctoratus gradum nactus es: quem honorem tibi cum Eccleſia Dei communem eſſe & opto, & futurum ſpero: imo ipſine an tibi magis ea de cauſa gratuler, non ſatis conſtituo, quod illam per te aliquando ornatum, tuiſque laboribus illuſtratum iri confido. In quo ne meam de te opinionem fallas, quantum verbis conſequi poſſum, & obſecro, & oro: magnum tibi, mi Juſte, cum hac dignitate onus impoſitum eſt, magna ſollicitudo accrevit, praemiorum vero ſpes, & expectatio maxima manet, ſi illam ea fide & conſtantia tuebere, qua & te velle credo, & poſſe

(1) Tobia 55.

poſſe confido. Incumbe igitur, incumbe obſecro, & in id omnes nervos, omnem induſtriam confer, ut quae te ex inimico, & lumini rebelli gratiae ſuae reſtituit, illa ex ſua in te humanitate, & amicitia mercedem reportet, ut tuis ſcilicet ſtudiis & ſudoribus iſtis in partibus (1) tentorii ſui funiculos dilatet, hoc eſt, quem deviis omnibus miſericordiae ſinum cupidiſſime pandit, per te gaudens & laeta impleat. Quae cohortatio nec longior eſſe debet, cum te tua ſponte ſatis propenſum ad quid vis pro ea laboris & diſcriminis ſubeundum, perſuaſum habeam, nec omittenda tamen fuit, cum hoc apud te vellem, relinquere, nil mihi magis curae eſſe, niſi ut collatam tibi recenter honoris lauream omnium virtutum phaleris quam maxime cohoneſtes. Vale Romae XVIII. Calend. Decem. MDCII.

EPISTOLA CLIV.

CAESARI CARD. BARONIO

JUSTUS BARONIUS VETERACASTRENSIS.

Moguntiam ſe ſalvum ſoſpitemque perveniſſe narrat; inde Romanum hoſpitium, ejuſque pium contubernium ſummis laudibus extollit.

AD XVIII. Calend. Decemb. cum variae variis ex cauſis mihi hinc inde nectendae fuiſſent morae, tandem Deo duce, Angelis comitibus precibus votiſque veſtris ſuffragantibus, Moguntiam ſalvus & incolumis redii, familiamque de manu Dei Protectoris optime cuſtoditam recepi, gratulantibus amicis, applaudentibus vicinis, tripudiantibus liberis. Quo nomine, ut debui, divinae Majeſtati, ac coelitibus omnibus, maxime glorioſiſſimae Virgini Matri, ac S. Angelo duci ad S. Crucem noſtram ſacro inſtituto gratias cum meis ardentiſſimas habui, habeboque deinceps tanto ardentiores, quanto majus & inſuetius beneficium agnoſco, tam longam tamque difficilem viam ultro citroque inoffenſo pede conficere: Romam Orbis Dominam, tantis omnium virtutum luminibus claram plenis oculis intueri, tantorum Principum amore, hoſpitio ac liberalitate frui, viviſque ad pietatem exemplis inſtrui, quod ego in omni re potiſſimum judico. O quam ſaepe mihi in animo illa ſacra, cultuſque Romani:

(1) Iſai. 54. 2.

mani: Patrum ſanctiſsima Concilia, fumans millenorum Martyrum ſanguis, Baronianae Domus matutinae veſpertinaeque religiones, Oratorii preces, flagra, concentus, aliaque ſexcenta hujuſmodi pietatis fomenta alia, quae ego ſic pectori meo inſculpſi, ut quandiu Roma abſum, dulciſsima patria carere videar, alienoque ſolo peregrinari. Sed Moguntiam redeo, tutum hactenus aſylum noſtrum, & ut ſpero deinceps futurum tutius: ſi quidem (quod non ſine tripudio nuncio) veſtris tandem commendationibus Spartam diu expectatam hic ab Illuſtriſſimo Archiepiſcopo noſtro, nanciſci licuit. Quae ſi minus ſpes reſpondiſſet, Illuſtriſsimus Dominus Julius Herbipolenſis Epiſcopus & Franconiae Dux [quem tua atque Aldobrandini Paravicinique cauſa nihil non velle intelligo: ita crebro veſtri meminit, ita libenter largiterque veſtro mihi nomine honorem habuit] locum in Academia ſua deſtinarat. Neque ego multum ab hoc conſilio abhorruiſſem, niſi multis hactenus beneficiis Moguntinis noſtris me aliquanto ſenſiſſem obſtrictiorem.

De Peruſinae ac Senenſis laureae gratulatione, gratiam tibi ingentem habeo. Nec opus fuiſſet huc uſque officii deſcendere, cum mihi hoc unum in votis eſſet, meum tibi ceteriſque patronis conſilium probare. De ſtudio in Eccleſiam & ſide, jubeo te quam eſſe ſecuriſsimum. Nec quod dubites ſcribis, ſcio ſed quia mos eſt ita monendi, mones, monendoque laudas, Ovidio auctore, quem ego hic animi tui interpretem ſequor

(1) *Qui monet ut faciat, quod jam facis, ille monendo,*
Laudat, & hortatu comprobat acta ſuo.

Vale & mihi vultum moreſque tuos perpetuo ob oculos verſari ſcito, quibus aſſequendis etſi me numquam parem fore novi, inſequar tamen ut potero, & hanc mihi laudem maximam, tibi gratitudinem ſummam ducam, ſi ut Parvus ille Julus dextrae ſe patris Aeneae

(2) *Implicuit, ſequiturque patrem non paſſibus aequis;*

Ita & ego veſtigiis tuis minori licet pede inſiſtere, nomenque Baronianum, Baroniano ſtudio & diligentia, probitate etiam & candore (nam cetera altioris cujuſdam aemulationis ſunt) coho-

(1) Ovid. 5. Triſt. 15. (2) Virg. 2. Aeneid.

cohoneſtare pro viribus annitar. Vale iterum & cum Illuſtriſſimis Collegis tuis, Paravicino atque Aldobrandino, quibus ſimili prope exemplo ſcripſi aeternum ſalve. Mogunt. Prid. Idus Decemb. MDCII.

EPISTOLA CLV.

NICOLAO SERARIO (a)

CAESAR CARD. BARONIUS.

Gratulatur ſibi de reliquiis S. Camerini nuper inventis, deque confutatione Pſeudo-Jubilaei Lutherani a Juſto Baronio confecta.

DElectarunt me mirum in modum litterae tuae, quibus ſignificas, Sancti Camerini ſacras reliquias nuper apud vos poſt tot annorum intervalla inventas, & ad excitandam piorum devotionem in lucem revocatas eſſe. Ego certe pro mea in Sanctorum pignora religione, cum praeſens non poſſim quod licet, abſens ipſis vota ſupplex defero, & ore cordis oſculum figo: Sanctumque Camerinum, ut pro me apud divinam majeſtatem intercedat, etiam atque etiam oro. Quod ad libellum D. Ebroicenſis (b) attinet, illum accepi; agnoſcoque in eo tuam erga me humanitatem, de rebus Moguntiacis a te, ut ſcribis, ſtylo expreſſis, plurimum tibi gratulor. Juſti Baronii noſtri confutationem Pſeudo Jubilaei Lutherani, nondum vidi, deſidero autem quam maxime. Verum cur ſuppreſſo nomine? Et quodnam illud quod commemoras, Romanae Inquiſitionis praeceptum? Ego certe non ſatis quid eo velis, capio. Mallem autem nomen appoſuiſſet. Vale & nos ama. Romae Idibus Septembris MDCII.

(a) Conſule, ſi placet, quae de Serario habentur tom. I. in notis ad Epiſt. XV. pag. 198.

(b) Nimirum Jacobi Perronii, qui poſtea Cardinalis eſt renunciatus. Vide adnotationes noſtras paullo ſuperius ad Epiſt. CXXXVII. pag. 65.

EPISTOLA CLVI.

CAESARI CARDINALI BARONIO.

NICOLAUS FABER. (a)

De Triſtani Guillemerii morte certiorem facit, eique illius haeredes commendat; deindeque in ejus laudibus immoratur.

VEreor, Cardinalis Ampliſſime atque eruditiſsime, ne verecundiae fines tranſgredi videar, qui iis beneficiis amplitudini tuae devinctus, atque obſtrictus, quibus nunquam pro merito reſpondere valeam, alieno praeterea nomine debitor tibi conſtitui non erubeſcam. Nam cum mihi cum Triſtano Guillemerio cujus memoria in benedictione eſt, propter inſignem ejus doctrinam, probos mores ac modeſtos, fidem, conſtantiam, atque pietatem, quibus ornatus tibique charus ad extremum uſque ſpiritum perſeveravit, ſumma interceſſerit amicitia atque neceſsitudo, jam inde ab anno 1568. Romae inter adoleſcentes contracta, aetatis paritate, ſtudiorumque ſimilitudine, & inter abſentes (bis enim tantum ab eo tempore alter alterum vidimus) mutuis ejus meiſque litteris, ac officiis adeo ſtudioſe culta, & confirmata, ut contra proverbium, ab abſentia, diſsitiſque locorum ſpatiis vires accepiſſe videatur; iſque vir optimus magno meo dolore aliquot ab hinc menſibus in meliorem vitam adſumptus, pauculos quoſdam nummos, quos foenori dederat in ejus conditionis Montibus (quos vocant) in quibus defunctis creditoribus ſors haeredibus reſtitui ſoleat, morte reliquerit; haeredes tamen ejus in earum pecuniarum perceptione negotium ſibi a fiſco fieri, queruntur. Perſpectum autem habentes, quantum auctoritate, atque gratia valeas, quantumque ſuo juri acceſſurum ſit, ſi illud tuendum ſuſceperis, ſibique perſuadentes me aliquid apud te poſſe, hoc, ut tuae liberalitati commendarem, a me poſtularunt. Cur autem id illis denegare non potuerim, multae ſunt, nec leves cauſae, ſed eae praecipue; quod pro inſita tibi beneficentia, innatoque cunctos juvandi deſiderio non ingratum fore tibi putaverim, ſi in quo viri praeclari & tui, dum vixit nominis dignitatiſque ſtudioſiſſimi culto-

(a) De Nicolao Fabro nonnulla diximus in notis tom. I, ad Epiſt. XXVIII. pag. 212. & ſuperius in Epiſtol. CL. p. 85. lit. a.

ris ornare queas, memoriam indicarem. Deinde etiam quod id ſuo quodam jure a me vendicare poſſunt. Nam quemadmodum male mea bona noverim niſi inter praecipua, quae mihi divina benignitas indigniſſimo, & infra omne meritum alte jacenti largita eſt, munera computem quod infimae ſortis homini in notitiam, atque etiam gratiam(tantum enim in maxima fortuna eximia tua humanitas mihi fiduciae tribuit) viri dignitate, omnique ornamentorum genere principis venire conceſſerit; quo nihil honorificentius mihi contingere potuit: ita etiam peſſimus mei judex ſim, niſi praeſtantiſſimi hujus boni originem amiciſſimo Guillemerio qui primus ſua commendatione hoc mihi conciliavit, conſummationem vero tuae facilitati acceptam feram, atque adeo caritati chriſtianae quae omnia credit, & quae ſua ſunt, non tantum non quaerit, ſed etiam aliis libentiſſime benigna impertit. Quare, Cardinalis Ampliſſime, etiam atque etiam te rogo, ut quod pro tua humanitate, atque beneficentia ſine cujuſquam commendatione faceres, peregrinorum, & chariſſimi propinqui ſui morte calamitoſorum hominum, quos nobis immenſa Dei benignitas commendavit, cauſam tua auctoritate atque ſtudio adjuves, nec communis juris denegatione rerumque ſuarum amiſſione inſuper affligi ſinas. Hoc enim unum poſtulant, ut jure communi, ac lege contractus dicta ſibi uti liceat; de tua in me voluntate dubitare videar, ſi pluribus te rogare praeſumam, ut & de humanitate, ſi dignitatis ſplendore deterritus ignorantiam quandam meam craſſumque errorem reticeam. Ex ea gratiarum actione, quam ad ſanctiſſimae recordationis virum Philippum Nerium Octavo tuo Annali praefixiſti, etſi de illo eam concepiſſem opinionem, quam de viro magno & ſolide pio habere par eſt, noſtri tamen aevi hominem (parcet quaeſo illa divina mens) mihi finxeram, magnificas vero illas laudes, quas ei tribuis ex amoris abundantia in majus auctas in eo quem parentis loco habueras (quod etiam cum laude fit a gratis in doctores ſuos animis) credideram. Verum acceptam ejus ex proximis Nundinis vitam non ſolum innumeris omnis generis exercitiis pietatis plenam, ſed etiam ſignorum, prodigiorumque exhibitionibus refertam, legenti idem ex parte evenit: (nam cur non omnino, vae miſero, cor durum, ac impoenitens impedimento fuit) quod Divus Auguſtinus ſibi Potitianum vitam Beati Antonii narrantem auſcultanti accidiſſe ſcriptum reliquit. Obſtupui, inquam, audiens tam recenti memoria & noſtris temporibus teſtatiſſima mirabilia

Dei

Dei in recta ſide & Catholica Eccleſia. O te felicem, & favens Dei Numen nactum, cui hoc corruptiſsimo ſeculo viri vel apoſtolicis temporibus magni praeceptis, atque exemplis efformari, aſsiduis, quotidianiſque colloquiis & exhortationibus contineri, & tot virtutum, quas per eum operatus eſt Dominus teſtis atque etiam pars eſſe contigit. A quo quid niſi excellens, & cum cura dicendum proficiſci potuit? Me vero miſerum, qui annum fere integrum Romae eo tempore verſatus, quo ſydus illud ſuo ſplendore Urbem jam illuſtrabat, tunc enim ut ex ejus vitae narratione didici, 56. annum agebat, veteris luxus, atque idolomaniae reliquiis addictus ipſis marmoribus durior, ac ſtupidior ad tantum lumen oculos attollere nequivi. Sed longius progredior, nec ſatis quantum occupationibus tuis publicis detraham attendo. Quare finem facio, ſi huic Epiſtolae Symbolam addidero, exiguam quidem, ſed tamen probi aeris, atque optimae notae. Ea autem eſt quoddam reſcriptum Theodoſii, & Valentiniani, cujus partem Annali 4. ad annum Chriſti 425. inſeruiſti ex Codice Theodoſiano, quod integrum mitto ex veteri Codice. Hoc autem ſive amplitudini tuae gratum fuerit (quod ſpero) ſive non ab optimo tamen animo, tibique addictiſsimo, & plane tuo proficiſci cenſeas ſummis praecibus opto.

Vale. Lutetiae Kal. Decembribus Anno Domini MDCII.

EPISTOLA CLVII.

CAESARI CARDINALI BARONIO

J. EBROICENS. EPISCOPUS. (1)

Dicit ſe ad eum tranſmittere acta collationis Fontis Bellaquei cum confutatione cujuſdam libelli ab haereticis in lucem editi.

Mitto ad te Cardinalis Ampliſsime, Acta collationis Fontis Bellaquei, ſub auſpiciis Regis Chriſtianiſsimi in lucem prodeuntia: aucta tanquam corollario aliquo, confutatione falſi cujuſdam libelli, quem haeretici noſtri, ad ſuum dedecus, legendum ſparſerant, & velut nubeculam oculis obtexuerant. Hujus muneris jam partem primam, quae ſeriem hiſtoriae continet, acceperas, ac tuo calculo comprobaras: meque ideo immeri-

(1) Vide quae de hoc habentur paullo ſuperius pag. LXV.

meritis laudum cumulis, pro tua benignitate potius oneraveras quam ornaveras. Nunc & illud auctarium a me habebis, & ſi per gravia & ſeria negotia vacabit, oculis percurres. Interea tu tui operis molem coelo aequare, & monumentum aere perennius exigere pergis. Cujus noviſsimum laborem, Herculeum ſane, vidit nuper Hercules noſter Gallicus, ſibi & regno ſuo dicatum: ac quam maximo plauſu excepit. Reſpuebat omnem commendationem, opus omni commendatione majus, & excelſum: ipſi tamen ut flumina aquam in mare; ita laudes in omnium laudum pelagus, & Oceanum, quantas ingenii noſtri effundere potuit rivulus, mittere non diſtitimus. Regius Orator Dominus Marchio Bethunenſis, vir & ſanguinis nobilitate, & omni virtutum genere florentiſsimus, pignuſculum Regiae gratitudinis, ob eum animi tui foetum, ad te deferet; meaeque erga te obſervantiae tibi fidem plurimam faciet. In ipſius ſinu poteris tutiſſime deponere quicquid ad Religionis Catholicae augmentum, & dignitatem ſpectabit: flagrat enim ſtudio, & zelo domus Dei, & pietate apud nos nulli eſt ſecundus. Illum in me, & me in illo, ambos te ſummopere colentes, vehementer amatus redamabis. Vale decus noſtrum. Illuſtriſſimae Dominationis tuae &c.

EPISTOLA CLVIII.

RODULPHO II. ROMANORUM IMPERATORI ELECTO

CAESAR CARD. BARONIUS.

Decimum Annalium Tomum ei offert.

ADmirari quidem jure poterunt multi, Invictiſſime Caeſar, ſed damnare juſte nemo, cum facti perceperit rationem, quod ſalutatis a nobis noſtriſque donatis Annalibus, jam duobus Chriſtianae religionis primoribus Regibus, tuam Majeſtatem Principibus omnibus dignitate praeſtantem praeterierimus hactenus inſalutatam, ac reliquerimus indonatam. Haud enim id effecit iniqua diſcretio aut obliviosa ſocordia, contumaxve contemptus, ſed fuit tarditas iſta opportunioris temporis expectatio, ut eſſet ſelectionis oblatio, atque digniori dignior fieret exhibitio. Quemadmodum enim Samuel excepturus menſa electum a Deo, primum Hebraeorum Regem Saulem, armum illi ſcor-

ſeorſum ſervandum curavit, quem apponeret recumbenti (ſymbolicum fortitudinis ferculum, quo & apud Homerum Agamemnon Rex Ajacem prae ceteris honoravit) ita & nos tibi electo Imperatori non communia quaeque & manibus obvia duximus offerenda, ſed conſulto hunc ipſum decimum Annalium Tomum, idque multiplici ratione.

Etenim quum tomus iſte optatas contineat primitias Imperii Germanorum: tibi in primis debuit reſervari, qui ejuſdem Imperii moderaris habenas. Se namque habet triumphalis currus inſtar vehens primum Germanorum Imperatorem, victorem, triumphatorem ſemper Auguſtum Ottonem Magnum, quem ad tam ſublime faſtigium non violenta tyramnis, neque jura propinquitatis, ſed Apoſtolicae Sedis, ipſius Sanctae Romanae Eccleſiae ſublimavit auctoritas, quae ipſi propagavit, & ſucceſſores.

Hic pariter habet ex quo etiam tibi uni ſit dignus offerri quomodo ab ipſo Romano Pontifice, tanquam a ſapientiſſimo Architecto, poſt jacta tantae molis ſolida fundamenta, illud ipſum Imperium fuerit ſtabilitum, atque in perpetuum confirmatum, dum inſtar ſapientiae domus ſeptem ſuffultae columnis, totidem ad perennem Imperii firmitatem conſtituit perpetuos Electores. Quae tanta cum haud dubia luce, ſed toto coelo patentia idem Tomus inſpicienda cunctis exhibeat; plane qui iſta non viderint, penitus caeci, vel videre noluerint, rebelles lumini arguantur, ter miſeri Novatores. Quibus Germania ipſa ita a Matre ſua ſancta Romana Eccleſia per quam accepit & fidem infulis Imperatoriis redimita, laureis Auguſtalibus coronata, fibula perennitatis innexis, compta procedens, ſua dum glorioſa exhibet ſpectanda cunabula bene conſcia veritatis, haud ingrata ingratis filiis illud divinum canticum jugiter occinat: *Attendite ad Petram unde exciſi eſtis*.

Amplius vero cum idem Tomus Bohemorum & Hungarorum, quibus veſtrum dominatur imperium, converſionem ad Chriſtianum religionem contineat: cum indomiti hactenus populi Chriſti jugo ſuaviſſimo fera colla ſubdentes, redditi manſueti, tuo Imperio parere didicerint, ut tibi jure debitus, offerendum ſe offert. Effert autem ſe magis numeri praerogativa, dignumque veſtro conſpectui ſe judicat, quod quum ſit jure naturae diſpoſitum: ut decima quaeque maxima ſint, eademque ob ſui excellentiam Decumana conſueverint nuncupari; idem uti

Digitized by Google

uti Decimus, ita maximus, maximum omnium Chriſtianorum Principum te petat Imperatorem.

Qui praeter alia plurima a Divinitate tibi dona conceſſa, quibus univerſus Chriſtianus orbis te merito veneretur, ex eo potiſſimum nobis colendus es, quod inter tantas undique effuſas haereſum tenebras, claro fidei Catholicae nitore fulgens, vere filius Primogenitus ſanctae Romanae Eccleſiae cognoſcaris, cujus ab ubere pendeas ſicut ab aure. Quae ipſa pro te, tuique Imperii ſalute ſolicita, ſui prodiga lac benigna praebeat hauriendum & ſanguinem, dum ejus ſanctiſſimus Pontifex Clemens Octavus, non pro facultate tantum, ſed ultra vires ſupra modum annis ferme ſingulis non deſierit Veſtrae Majeſtati ſive auxiliariis copiis, ſive pecuniis ſubvenire, ut adverſus audaciſſimos, ac potentiſſimos Chriſtiani nominis hoſtes idem veſtrum defenderetis, atque propagaretis Imperium. Quibus bene uſa, veſtra Majeſtas, pluribus annis tantum belli pondus fortiter ſuſtinens, de ſuperatis ſaepe hoſtibus, eorumque munitiſsimis munitionibus expugnatis, innumeras eaſdemque immortales conciliavit ſibi coronas, perpetuoſque triumphos; proxime vero de expugnata Albaregali Hungarici Regni Urbe celeberrima tribuſque mox Turcharum exercitibus profligatis, eorumque tribus Ducibus caeſis, praeclariora tibi debeant omnes Chriſtiani trophaea. Quo nomine & a nobis Epiniciorum loco eumdem accipias tibi debitum Annalium Tomum.

At quod congruum, opportunum & dignum Majeſtati Tuae munus offertur, idem quoque haud inutile debet exiſtimari, ſed multiplici ratione proficuum ex cujus lectione haud mediocre ſit Imperator conſequturus emolumentum: rerum ſiquidem geſtarum vera notitia, gerendarum via ſecurior aperitur, ſecundum quod monet divinum oraculum dicens: *State ſuper vias, & videte & interrogate de ſemitis antiquis, quae ſit via bona, & ambulate in ea, & invenietis requiem animabus veſtris*; docens pariter in quam immenſa mala inciderint, iſta non audientes Principes una cum populo. Quod probe ſciens Baſilius Imperator, dum inſtruit filium ſuum Leonem, quem relicturus eſſet Imperii ſucceſſorem, inter alia ſaluberrima documenta, quae veluti teſtamentariis tabulis eidem tradidit obſervanda. *Evolvere* (inquit) *numquam ceſſes hiſtorias veterum*; plura his ſubnectens de ſumma quam ex ejuſmodi lectione Imperatore maxime digna eſſet conſequuturus, utilitate. Ille autem accuratiſsimus paternorum

rum cuſtos mandatorum adeo profecit ex eis, ut ſapientis adeptus cognomentum magno juſtitiae libramento diu habenas ſit moderatus Imperii.

Accipiat igitur Majeſtas veſtra grato animo, quem prompto exhibemus affectu praeſentem Annalium tomum, offerentes pariter & cum eo cuncta quae ſunt Caeſaris Caeſari, cupientes & quae ſunt Dei, a Deo ipſi largiter impertiri, ut victor hoſtes viſibiles, & inviſibiles ſuperans hic regnet felix in terra, inde vero beatus in coelo. Vale.

EPISTOLA CLIX.

CAESARI CARD. BARONIO.

MATTHAEUS RADERIUS S. J. (a)

De editione VIII. Concilii Oecumenici, quod eſt IV. Conſtantinopolitanum, loquitur, ad quam editionem ſibi plurimum profuiſſe X. Annalium tomum teſtatur.

EN Ampliſſime Baroni, prodit conſilio tuo, immo & auxilio ſacroſanctum & Oecumenicum Concilium VIII. quod inter Conſtantinopolitana obtinet quartum: cujus hactenus pauca quaedam, eaque diſſipata in magno Conciliorum opere extitere fragmentorum analecta. Quod niſi tu mihi in decimo Annali tuo dux quidam, & quaſi coeleſte quoddam ſidus paruiſſes, viamque aperuiſſes, multo mihi major fuiſſet labor in explicando hoc labyrintho ſubeundus. Quamquam enim me ſignis minime vel obſcuris, vel incertis ad penetrale veritatis, & rerum caput perventurum eſſe non diffiderem; tamen quia publica aucto-

(a) Hic natione Germanus patria Tirolenſis Societatem Jeſu ingreſſus aetatis ſuae annorum XX. In qua litteris, ac diſciplinis omnibus exquiſite excultus, permultos annos Rethoricam docuit. Vir fuit candidi ingenii, multae ac variae eruditionis, perfecte doctus, liberalibus diſciplinis apprime ornatus, ſacrarum Scripturarum ſcientia probe inſtructus; quibus Conciliorum, Sanctorum Patrum, humanae, atque divinae hiſtoriae cognitionem, poeticamque facultatem adjunxit: doctiſſimis id aetatis viris Juſto Lipſio, Martino Del Rio, Velſero, aliiſque etiam a vera Fide alienis propter eminentem eruditionem admirandus. Vitam morte commutavit Monachii die XXII. Decembris anno MDCXXXIV. Edidit Commentarios in Martialem a ſe emendatum auctos curis ſecondis & tertiis: Petri Siculi hiſtoriam de Manichaeis a ſe converſam e Graeco, & notis illuſtratam: extat ea etiam in Bibliotheca magna Patrum tom. VIIII. part. I. Acta Concilii VIII. OEcumenici Conſtantinopolitani IV. graece & latine cum notis, de quibus in hac epiſtola eſt ſermo: Viridarium Sanctorum ex Menaeis Graecorum collectum, adnotationibus, & ſimilibus hiſtoriis illuſtratum; aliaque multa ſcripſit, quae omnia recenſentur a P. Sotuello in bibliotheca Scriptorum Societatis Jeſu pag. 596.

Digitized by Google

ctoritate deſtituebar, Pontificumque authographa, litteraſque archetypas, quas tu ſummo Chriſtianae Reip. bono è Pontificum tabulariis, & chartophylaciis primus eruiſti, deſiderabam; affirmare quamvis certa, inteſtata tamen, non audebam. Etenim cum duo mihi eſſent ad manum Concilia, utrumque Graecum, utrumque manu exaratum, utrumque Oecumenici VIII. titulo inſignitum; quorum alterum contra Photium pro Ignatio; alterum pro Photio coactum erat, in utroque etiam Pontificis Romani legati interfuiſſe legerentur, in priore quidem Donatus, & Stephanus Epiſcopi, cum Marino Diacono Hadriani II. vicem agentes, in poſteriore Petrus Presbyter Cardinalis, cum Paulo & Eugenio Epiſcopis, qui Joannis VIII. partes obibant, coepi quaerere; utrumque ne, vel quodnam ex duobus eſſet illud ſacroſanctum Concilium Oecumenicum, quod Octavum crederetur? Animadvertebam enim Patrum ſive Epiſcoporum nomina, qui ſententias in Concilio dixerant, a pleriſque, iiſque graviſſimis aevi noſtri ſcriptoribus confundi, illoſque trecentos octoginta tres, qui in poſteriore Photiano fuerunt numerati, priori Ignatiano, in quo nonniſi duo ſupra centum ſunt reperti, fuiſſe tranſcriptos. Sed cum utrumque legendo percurrerem, in priore quidem quo S. Ignatius, ejecto Photio, fuit reſtitutus, omnia ſancta, & ſincera vidi, ſenſi, judicavi, praeter unum alterumve caput, cetera tamen acta, in fine, cujuſdam epiſtolae, & breviarii VIII. Synodi, quo de Romani Pontificis auctoritate, ſeu poteſtate, non a Concilio, ſed a Scholiaſte diſputatur, & meliore dumtaxat explanatione indiget, & illud de Honorio, cui falſo impactum fuit crimen haereſeos; in alterius vero mox ipſo limine offenſus notavi προκαθεσθέντα φώτιον τὸν ἁγιώτατον και οικυμενικὸν πατριάρχην: Photium inquam, ſubito ſanctiſſimum, & Oecumenicum Patriarcham Concilio preſidere: notavi eumdem prius a Joanne Pontifice coli, & adorari, quam coleret ipſe Joannem, & adoraret: ſic enim Petrus Cardinalis Joannis legatus, in prima actione, primoque congreſſu: προσκυνεῖ τὴν ἁγιωσύνην ὑμῶν, ὁ ἁγιώτατος καὶ οἰκυμενικὸς πάπας Ιωάννης: adorat ſanctitatem veſtram ſanctiſsimus & Oecumenicus Papa Joannes. Notavi in digreſſu ejuſdem actionis, & acclamatione Photium Joanni praelatum: Φωτίῳ καὶ Ιωάννῳ τῶν ἁγιωτάτων πατριαρχῶν πολλά τὰ ἔτη: Photio, & Joanni ſanctiſsimis Patriarchis multos annos. Ubi vero ad Joannis Epiſtolam Actione II. poſitam, & Baſilio F. F. Q. AAA. inſcriptam, perveni; plane

plane haeſi, miratus a Pontifice Romano priorem Synodum totam antiquari, qua Ignatius erat reſtitutus, omneſque Synodos a ſanctiſsimis Pontificibus Nicolao I. & Hadriano II. celebratas ἀδίκους ſive iniquas appellari, ac opere tanto Photium commendari; conjeci illico Photium ex Photio, quem ab ingenio non defeciſſe ſuo, ſacile intelligebam, literas Pontificias aut a Photio excogitatas & ſubjectas; aut certe id quod erat interpolatas, auctas, corruptas, & pro voluntate interpretis verſas, inverſas, & perverſas, eamque conjecturam ad quoſdam eruditiores, antequam decimus Annalis longe expectatiſſimus prodiret, perſcripſi; pronunciare tamen ſententiam ſine Teſtibus publice, reformidabam. Cum ecce mihi lux & ſol ex Urbe, quando decimum volumen Annalium tuorum aſpicio; quos volvi ſtatim, & primum Epiſtolam Joannis quaero, invenio, ſraudem deprehendo, & mox cum illo apud Vitruvium Archimede exclamo: εὕρηκα εὕρηκα, datus in admirationem ob novas perditiſſimi Photii Strophas, & corruptelas, quibus Orientem involvit, & prope etiam Occidentem circumſcripſit; cujus tamen artes fraudeſque mox Joannes Pont. Max. Romae deprehendit, Photiumque publice pro ambone, aeterno anathematis ſulmine perculit, damnavitque. Hinc ego non jam amplius rerum incertus, ſed tabulis, & teſtibus ampliſſimis Annalium tuorum, Illuſtriſſime Baroni, inſtructus & firmatus, cum aliis impellentibus, tum te ipſo me per ſocios noſtros, & M. Velſerum Virum ampliſſimum, adhortante, nobile ſane opus aggreſſus, e Graeco coepi transſerre, & translatum conſerre, ac in lucem tandem efferre, Illuſtriſſimoque nomini tuo jure meritoque devotum, conſecrare (*a*).

(*a*) Conſtantinopolitanum IV. Concilium, de quo heic ſermonem habet Raderius, quod eſt octavum generale, habitum eſt anno Chriſti DCCCLXIX. Hadriano II. Pontifice maximo & Baſilio Caeſare. Praefuit Synodo Hadrianus per legatos Donatum & Stephanum Epiſcopos, ac Marinum S. R. Eccleſiae Diaconum. Cogendi Concilii cauſſa fuit, tum abdicatio Photii, qui in Sedem Conſtantinopolitanam doloſe irrepſerat, tum S. Ignatii reſtitutio, qui ab ea injuſte fuerat detruſus. Photius autem Taraſii Patriarchae nepos fuit. Hic quum generis nobilitate & doctrina unus omnium maxime floreret, ad ſummas Reipublicae dignitates facile pervenit; Factus enim Protoſpatharius ſeu regiorum militum dux, ac Senatus C. P. Princeps: adeoque Michaelis Imperatoris nomine in Perſidem legatione functus, tum vero eidem primus a Secretis, eſt deſignatus. Quibus honoribus minime contentus, quum ſua authoritate, gratia, & largitionibus innixus, nullum cujuſque dignitatis faſtigium a ſe alienum putaret, omnia ſibi tentanda exiſtimavit, ut Conſtantinopolitanae ſedis Pontificatum obtineret. Quare ut ſanctum Ignatium ab ea removeret dignitate, Gregorio Epiſcopo Syracuſano, aliiſque nonnullis Clericis, qui Ignatii promotionem improbaverant ſeſe adjunxit: Syracuſanus ille paucis ante annis ſchiſmatis, ſeditionis aliorumque criminum convictus, congrega-

Merebatur enim hoc ampliſſima tua, & in alto locata cardine dignitas; merebantur aeterna Annalium tuorum monumenta, quibus

gregata Synodo ab Ignatio Patriarcha fuerat depoſitus. Gregorius vero, Barda patrocinante Imperatoris avunculo, Ignatium ejectum a Sede C.politana declaravit, Photiuſque ejus loco Patriarcha renunciatus, ad omnes Ordinum gradus ſex dierum ſpatio promotus eſt. Ob cenſuram aequiſſimam infenſo animo in S. Patriarcham erat Bardas: quod ſub excommunicationis poena ab Ignatio juſſus fuiſſet a propria nuru diſcedere, quam inceſtu publico foedarat: auctoris fuit, ut Michael Imper. Ignatio praeciperet Theodoram matrem ac Teclam ſororem tondere, quae ſimul cum eo imperii adminiſtrationem ſortitae fuerant. Renuit ſanctiſſimus vir, tum quod Imperatrices vitae religioſae profeſſionem non eligerent, tum quod juramento ſeſe obſtrinxiſſet, nihil unquam adverſus eas ſe moliturum. Photius autem quo facilius Clerum & populum cum eo communicare detrectantes ad ſuas partes adduceret, Michaele Imperatore favente, Bardae impulſu ac conſilio, faventium ſibi Epiſcoporum Concilium congregavit, in quo in Ignatium depoſitionis ſententia lata eſt, aſſertumque eſt Photio Eccleſiae Conſtantinopolitanae regimen. Nicolao I. Pontifici obrepere, atque ab eo Ordinationis ſuae confirmationem impetrare conatus eſt Photius, datis ad Pontificem litteris, in quibus conteſtabatur Ignatium ſenio confectum ac morbo ſe Patriarchatu abdicaſſe, ſibique tum ab Imperatore, tum a Clero, tum a populo vim illatam fuiſſe, ut Sedis Conſtantinopolitanae regimen ſuſciperet; iiſdemque litteris fidei ſuae profeſſionem inſeruit. Lectis Photii litteris prudentiſſimus Pontifex Nicolaus I. Legatos in Orientem miſit Rodoaldum Epiſcopum Portuenſem, & Zachariam Anagninum Epiſcopum, ut de Ignatii abdicatione, quam cauſabatur Photius, & de ejuſdem ordinatione cognoſcerent: Legatos minis ac poenarum formidine terret, & ſuas in partes trahit Photius, itaut coacta Synodo, ipſum Ignatium praeſentem exauctoraverint, Photiique ordinationem confirmaverint. Quod, ut primum ad Nicolai Summi Pontificis notitiam pervenit, convocatis omnibus, qui tunc Romae aderant Epiſcopis & Clero, cauſa matore diſcuſſa, legatos, ut praevaricatores damnat; Photianam Synodum in irritum mittit, Photium deponit, Ignatium in ſuam ſedem reſtituit. Interea iratus in Nicolaum Pontificem Photius, qui a ſuis legatis in Oriente adverſus Ignatium acta Romae ſolemni decreto reſciderat, Schiſmaticum collegit conciliabulum, ſub quorumdam, quos finxerat, acceſſuum obtentu, auſuque temerario exauctorationis atque anathematis iniquam ſententiam in Romanum Pontificem dedit. Verum Michaele Imperatore interfecto, cujus praecepto Bardas antea necatus fuerat, Baſilius ſucceſſit: is a Nicolao Pontifice Concilium petiit, quod jam Romae latam in Photium pro Ignatio ſententiam exequutioni demandaret. Hadriano II., qui Nicolao ſucceſſerat, Imperatoris litterae redditae ſunt; annuit Pontifex; ſed primum Romae coacta Synodo, ſententiam tulit quinque capita continentem. Primo omnia Photii & Michaelis acta contra Romanam Eccleſiam, & maxime latrocinalem Photii Synodum, nuper favente Michaele celebratam adverſus Nicolaum I. aboleri decernit, non ſecus ac acta Epheſini latrocinii flammiſque & diris omnibus devoveri. Secundo idem ſtatuit de his quae contra Ignatium Patriarcham ab eodem Imperatore & Photio ſcripta, actaque ſunt. Tertio Photium rurſus anathemate perculit. Verumtamen ſi viva voce ſuoque ſcripto & manu promittat ſe omnia a Nicolao I. & ipſo Hadriano Summis Pontificibus decreta ſervaturum vel ſubiturum, dictique Conciliabuli acta damnaturum, ipſi communio laica non negatur. IV. Lapſos, qui nimirum Photianae Pſeudo-Synodo conſenſere vel ſubſcripſere, ſi decretis Nicolai I. morem geſſerint, & ad communionem Ignatii Patriarchae redierint, actaque Conciliabuli flammis tradiderint in communionem recipit, ſin minus eos communione privat. Baſilium vero Imperatorem, cujus nomen hujuſmodi actis falſo inſertum erat, ab omni ſuſpicione mala prorſus alienum pronunciat, & in albo piorum Auguſtorum conſcribendum declarat. V. Omnes, qui acta Photiani Conciliabuli abſconderint, vel propugnaverint, & non potius igni devoverint, ſi ſint Clerici, e gradu ſuo deijcit; ſi laici, ſubijcit anathemati. Inſerta ſunt iſtius Concilii acta VII. Actioni Concilii VIII. OEcumenici. Deinde juſſu Hadriani Pontificis haec octava Synodus celebrata eſt, de qua in praeſentiarum inſtitutus erat ſermo, cui praefuit

bus omnem tibi poſteritatem aeterno laboris munere devinxiſti, debebatur idem ſingulari tuo in Societatis noſtrae totam gentem amori, quem multis ſaepe officiis & beneficiis declaraſti. Me quoque ſingulatim, praeter omnia alia, privata tua publicaque virtus ac pietas impellebat, quam dudum candida ad nos fama pertulit, quamque tuis ubique annis, & annorum voluminibus inſcripſiſti. Proinde Cardinalis Illuſtriſſime & Religioſiſſime, caliginoſae jubar tempeſtatis & ſol Eccleſiae;

Nam tu cum auſus es unus Italorum
Denis condere ſecla dena chartis.
Quas millena loquentur uſque ſecla
Nec claudet prius ulla nox, vel aetas
Quam Coelum ſimul omne claudat aevum.

Hanc noſtram Parrhaſin trans alpes caligantem, & gelantem, ſplendore nominis tui, quo dudum orbem omnem a Sole ex-

fuit ut ſupra dictum eſt per Legatos Donetum Epiſcopum Oſtienſem, Stephanum Epiſcopum Nepeſinum, & Marinum Diaconum. In hoc enim Concilio iterum confirmata eſt, lata in Photium depoſitionis, anathematiſque ſententia, ejuſque fautores hiſce verbis: *Photio Curiali, & invaſori, Anathema. Photio Saeculari & forenſi, Anathema. Photio Neophyto & tyranno, Anathema. Photio Schiſmatico & damnato, Anathema. Fabricatori mendaciorum, Anathema. Inventori perverſarum dogmatum, Anathema. Photio novo Maximo Cynico, novo Dioſcoro, novo Judae, Anathema. Omnibus ſequentibus & fautoribus ejus, Anathema. Gregorio dudum Epiſcopo Syracuſano, Anathema. Eulampalio depoſito, & Schiſmatico, Anathema.* Quae huc uſque dicta ſunt, conſtant ex praefatione Anaſtaſii Bibliothecarii ad ſextam Synodum, ex ejuſdem Synodi actis, ex Niceta in vita S. Ignatii, denique ex Cedreno in Compend. hiſtor. & Zonara lib. III. Annalium. Nec quievit depoſitus ab octava Synodo OEcumenica Photius; donec in Sedem Conſtantinopolitanam rurſus irrepſerit. Variis enim artibus & dolis a Joanne VIII. in Patriarchale ſolium ut reſtitueretur curavit: ubi primum remiſſus extitit, pſeudoſynodum adverſus octavam Synodum convocavit. Photianam Synodum ipſumque Photium conſtanter damnavit Joannes VIII., quod & ejus ſucceſſores, Marinus, Hadrianus III. Stephanus VI. egerunt. Cum Photio viſum fuit extinctum ſchiſma, verum majores vires reſumpſit ſeculo undecimo, opera praeſertim Michaelis Caerularii Conſtantinopolitani Patriarchae, ac favente Conſtantino Monomacho Imperatore; & quod magnopere dolendum, ad noſtra uſque tempora perdurat. Obſervandum tamen eſt OEcumenicam eſſe hanc Synodum, tum quia omnes orbis Patriarchales Eccleſiae ei ſubſcripſere, tum etiam quia ipſa ſaepe ſeipſam vocat *OEcumenicam: Conveniente* (verba ſunt actionis ſeptimae) *Sancta & univerſali Synodo.* Huic nomen & dignitatem OEcumenicae vindicant etiam primo profeſſio fidei in libro diurno Romanorum Pontificum tit. XIX. Secundo auctor libelli Synodici. Tertio Anaſtaſius Bibliothecarius in praefatione octavae Synodi; denique conſenſus Catholicorum omnium tum Graecorum, tum Latinorum. Soli Graeci Schiſmatici octavam Synodum reſpuunt, falſo ac temere exiſtimantes, illam a Photiano Conciliabulo ſub Joanne VIII. anno circiter DCCCLXXXIII. celebrato, fuiſſe abrogatam. Id videre eſt in ſeſſione ſexta Concilii Florentini, ubi Marcus Epheſiorum Epiſcopus Juliano Cardinali, qui Synodum hanc pro oecumenica laudaverat, reſpondet, rejectam fuiſſe ab altera, quae ſub Joanne habita eſt; ac proinde inter oecumenicas recenſeri non debere.

exoriente ſupra maeotidis paludes, omnibus in terris, quae ſunt a Gadibus uſque Auroram & Gangem longe lateque illuſtraſti, accende, uti noſter hic labor tuis auſpiciis dedicatus Graiis juxta ac barbaris errantibus, velut Helice, portum ſalutis, & veritatis oſtendat. Nulla enim vox umquam, poſt ſacrarum litterarum oracula, tantum in Eccleſia valuit aut valebit, quantum Patrum, ac Pontificum de re Chriſtiana in commune conſultantium decreta, & reſponſa, quae merito ſeptima Synodus Oecumenica Conſtitutiones divinitus inſpiratas appellat; merito Gregorius ille M. ut quatuor libros Evangeliorum veneratur, cum ea quae in omni ſacra hiſtoria continentur, ab ipſis Conciliis, & Eccleſia non quidem vim & fidem certam accipiant, ſed fidei certae certam auctoritatem, & explanationem. Tu te Reverendiſſime & Illuſtriſsime Baroni noſtrae Societatis pium, uti facis, patronum, & hujus Urbis quae ab Urbe veſtra quondam propagata eſt, ſautorem, & Germaniae totius apud ſupremum clementiae patrem, arbitrum exhibe, & conciliatorem. Auguſtae Vindelicorum. A. P. C. N. MDCIII.

EPI-

EPISTOLA CLX.

CAESARI CARD. BARONIO

CAROLUS EPISCOPUS NOVARIENSIS. (*a*)

Aliqua corrigenda innuit in decimo Annalium tomo.

PAX Chriſti. Mandai già a V. S. Illuſtriſsima una donatione fatta al Veſcovo di Novara da Ottone Terzo, che gli donò, e confermò la ſteſſa Città di Novara; facendo mentione, che tale donatione era prima ſtata fatta dal Padre, e dall'avolo ſuo Ottone Primo, & Secondo. Hora havendo trovato ancora quella prima donatione, cioè l'originale antichiſſimo, ne mando a V.S. Illuſtriſsima la copia; (*b*) acciocchè piacendole, la poſſa mettere nell'appendice dell'undecimo tomo da rimettere poi a ſuo luogo in un'altra editione.

Ho veduto la donatione di Ottone primo alla Chieſa & Canonici dell'Iſola di San Giulio di queſta Dioceſi, che V.S. Illuſtriſsima ha poſto nel decimo, di che la ringratio humilmente, ma in eſſa *pagina 767.* dove ella è poſta alla lettera E. ſono queſte parole: Berengarius abſtulit quae erant Sancti Julii:

(*a*) Hic parentes nobiliſſimos habuit Angelum ac Iſabellam Gluſiani. Papiae diſciplinis operam dedit; ibidemque lauream doctoralem accepit; inde Juriſconſultorum Mediolanenſium Collegio fuit nobilitatus. Per id tempus quum S. Carolus Borromaeus ſanctitate clareret, juris ſtudiis rejectis, inter ejus Aulicos adſcitus, SS. Patrum Eccleſiaſticaeque hiſtoriae lectioni totum ſe tradidit. Poſtea a ſancto Praeſule ſacris ordinibus initiatus, Canonicos Metropolis ordinarius renunciatus eſt. Aulae pertaeſus, Barnabitarum, ut vocant, novum Regulare Inſtitutum profiteri inſtituit, nomine Joannis Franciſci, cum Caroli a Baſilica Petri commutato. Votis nuncupatis eum S. Carolus in Hiſpaniam miſit, ut apud Regem Mediolanenſis Eccleſiae quaedam negotia tractaret. Mediolanum reverſus, S. Barnabae Collegii Praefectus eſt renunciatus, deinde Generalis, quam dignitatem tertio omni laude ſuſtinuit. Poſtea quum Romam veniſſet a Clemente VIII. ob ejus virtutes Novarienſis Epiſcopus eſt adlectus anno MDXCIII. Eccleſiam ſibi creditam ſumma fide ac religione adminiſtravit, tum praeſens tum abſens per idoneos homines, quum publicis Romanae Eccleſiae negotiis deteneretur, ejuſdem Pontificis juſſu, Dertbonae per aliquod tempus moratus eſt cum Regiis Miniſtris de illa Eccleſia tractaturus. Obiit anno MDCXV. Edidit Novarienſium Praeſulum ſeriem. Volumen alterum ſcripſit, quod Scriptorum titulo praenotavit, quo Epiſcopalis officii rationem, ac formam ad optimum animarum regimen ſervandum complexus eſt. Tertium pro immunitate eccleſiaſtica, quod allegationum juris titulo praeſcribitur, item commentariolum de Metropoli Mediolanenſi. De eo loquuntur Piccinellus in Athen. pag. 107. Ghillinus in theatro illuſtr. vir. vol. I. pag. 51. aliique.

(*b*) Extat hoc Ottonis III. diploma ad annum Chriſti CI. num. X.

lii; (*a*) & deve dire, quae erant Eccleſiae Novarienſis, overo Epiſcopi Novarienſis, overo Sancti Gaudentii; perchè quell'Iſola non era, ne è della Chieſa di San Giulio: ma del Veſcovato di Novara, o di San Gaudentio ſuo primo Veſcovo, del quale è ancora la ſteſſa Chieſa di San Giulio, & così dentro alla ſteſſa donatione alla lettera B. (*b*) ſi dice Inſulam Sancti Julii jam dudum per Berengarium Regem ab Epiſcopatu Novarienſi ſublatam.

Nella pagina antecedente ancora pure alla lettera E., dove ſi dice: Et Vuilla in lacu majori in quadam Inſula, quae dicitur ad S. Julium, ſe incluſit; ſarebbono da levare quelle parole, in lacu majori, perciochè l'Iſola di S. Giulio non è nel lago maggiore; ma nel proprio lago ſeparato, che ſi chiama di San Giulio: ſebene il Sigonio & altri hanno penſato, che fuſſe nel lago maggiore, & baſterebbe dire: in quadam lacus Inſula, quae dicitur ad Sanctum Julium. Queſte coſelle, come particolari di queſto Paeſe havrei ſcritto più volontieri a qualche Scrittore di V. S. Illuſtriſſima, che le poteſſe mettere inter errata Scriptorum, nel tomo ſeguente; ma la benignità di V.S. Illuſtriſſima me le ha fatte ſcrivere a lei iſteſſa; alla quale per fine faccio humiliſsima riverenza, pregole dal Signore lunga vita, & continue gratie.

Di Novara a 28. di Gennaro 1603.

(*a*) Vide ad an. DCCCCLXII. n. XIV. (*b*) Ibid. ad an. DCCCCLXII. n. XIV.

EPI-

EPISTOLA CLXI.

CAESARI CARD. BARONIO

FRANCISCUS LAMATA
DOCTOR THEOLOGUS IN UNIVERSITATE LOVANIENSI.

De praevenientis gratiae Dei efficacitate ex Auguſtino.

NUper a me quaeſiviſti, Cardinalis ampliſſime, quid de gratiae Dei praevenientis efficacitate, quae res nunc tantopere controvertitur, Aurelius ſentiret Auguſtinus, ſeu potius, quam ego ex illius ſcriptis inferrem de hac diſputatione ſententiam. Fecit id quidem humanitas Tua eum inſigni quadam animi modeſtia conjuncta, ut ea a me velle audire ſignificares, quorum ipſe apprime conſcius eſſes. Si quid igitur enunciavero immodeſtiae, ſi omnino tacuero, inobedientiae reprehendar. Sed dum haeret animus, obedire decrevi, ut obedientia excuſet quidquid accuſet immodeſtia. Accipe ergo animi Tibi obſequentiſſimi expreſſam ſignificationem, & quaecumque ſcripſero ita aequi bonique conſule, ut omnia orthodoxe ſentientis, Sanctae Matris Eccleſiae judicio, ſummiſſa eſſe plane intelligas. Quo quidem jacto firmiſſimo fundamento, opus aggrediar.

Ut immobilis ſit veritas praedeſtinationis, & gratiae, non praeſcientia meritorum noſtrorum fulcienda eſt, ſed praeſcientia factorum Dei futurorum, quorum ipſe praeſcius electos ſuos ea vocatione vocavit, qua id, quod praedeſtinavit, implevit (1). Quae quidem vocatio non eſt ea, qua vocati ſunt, qui ad nuptias venire noluerunt, ſed certiſſima, & efficaciſſima eorum, (2) *qui ſecundum propoſitum vocati ſunt, quos praeſcivit, & praedeſtinavit conformes fieri imagini Filii ſui*. Haec eſt antecedens voluntatem noſtram efficax gratia Dei, quam negare Pelagiani auſi ſunt liberum arbitrium extollentes, ſeu potius in Dei omnipotentiam inſolentes, quam parcendo, & miſerando ipſe manifeſtat. Nam ut Auguſtinus ad Vitalem (3), & Proſper ad Auguſtinum ſcribit, gratiam Dei comitem non praeviam humanorum meritorum voluerunt eſſe, ac propoſita lege, & praedicato Evangelio principium ſalutis in homine continuerunt, & humanam vo-

(1) Lucae 14.
(2) Rom. 8.
(3) Epiſt. 107. tom. 2.

voluntatem divinae praetulerunt, dicentes, non ideo nos velle, quia adjuti ſumus; ſed propterea adjuvari, quia volumus. Quo quidem perverſo dogmate miſericordiam Dei reſpuentes, ut bene Joannes Maxentius (1) contra epiſtolam ad Poſſeſſorem, quam ipſe falſo Hormiſdae adſcriptam cenſet, Chriſtum praedicatorem tantummodo confitentur, Salvatorem vero negant. Immo arbitrium noſtrum non in eam aſſerere libertatem conantur, qua nos Chriſtus donavit, ut liberati a peccato ſervi eſſemus juſtitiae, ſed qua liberi juſtitiae, ſervi fuimus peccati. Igitur hi pro ſui arbitrii libertate, infirmitatis ſervitute contendentes, gratiae Dei praevenientis vim eo ſemper praetextu expulerunt, ne liberum ſubmoveretur arbitrium. Sed tantum abeſt, ut propterea ſubmoveatur, quantum abeſt a veritate mendacium, quin potius (Auguſtino teſte (2),) illi oppugnant liberum arbitrium, qui oppugnant Dei gratiam, qua vere ad bona eligenda, & agenda fit liberum: id quod Proſper contra Collatorem liberi arbitrii periculum opponentem, ſi gratia Dei ipſum praeveniat, diſertiſſimis verbis, graviſſimiſque ſententiis demonſtravit. *Non eſt* (inquit) *periculum liberi arbitrii gratia Dei, nec voluntas auffertur, cum ipſa bene velle generatur. Nam ſi ideo non putanda eſt noſtra, quia formatur, regitur, ordinatur, imbuitur, ſpoliantur libertate filii Dei, quia qui aguntur ſpiritu Dei, perdunt vigorem rationalis animae, & omni voluntariae devotionis laude privantur, quibus datur Spiritus Sapientiae, & intellectus, conſilii, & fortitudinis, ſcientiae, & pietatis, ac timoris Domini; prorſus qui his reformationib us ſe non putant indigere, de veteris morbi conſuetudine in phreneſim tranſeunt, reſpuentes remedium, clamant, inſaniunt, reluctantur.* Haec Proſper. Ex quibus ſatis apparet, quam fuerit inanis cogitatio eorum, qui ob Dei gratiam periclitari arbitrium noſtrum putaverunt, cum potius e poteſtate tenebrarum erutum a ſervitute ad libertatem, a caecitate ad lumen, a morte ad vitam per ipſius divini muneris efficacitatem revocetur. Nec veritus eſt unquam Auguſtinus acerrimus divinae gratiae propugnator iſtorum inſaniam, qua in ipſum furentes, fatalis neceſſitatis praedicatorem jactabant: immo Scripturae Sacrae teſtimoniis, & fortiſſimis rationibus ex ipſis petitis, eamdem repreſſit, atque coercuit, & gratiae divinae mirabilem energiam, ſeu in operationem noſtras voluntates praevenientem, no-

(1) Bibliot. Sanctor. Patr. to. 4. col. 690. (2) Epiſt. prox. cit.

notam ſecit Eccleſiae. Quid enim aliud nos docent haec: *inclina cor meum Deus in Teſtimonia tua:* (1) *& a Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet: & ſpiritum meum ponam in medio veſtri,* (2) *& faciam, ut in praeceptis meis ambuletis, & judicia mea cuſtodiatis, & operemini: & cor regis in manu Domini, quocumque voluerit, vertet illud:* quid, inquam, aliud haec nos docent; & alia pleraque teſtimonia ex utroque teſtamento deſumpta, quam Deum per gratiam ſuam agere quod vult in cordibus hominum, & quo ſibi placuerit eorum perducere voluntates? Probat hoc urgentiſsima ratione Auguſtinus (3) ex promiſſione Abrahae (4) a Deo factae, & ex Paulo (5) his verbis. *Quando igitur promiſit Deus Abrahae fidei gentium, dicens, patrem multarum gentium poſui te, unde dicit Apoſtolus ideo ex fide, ut ſecundum gratiam firma ſit promiſſio omni ſemini; non de noſtrae voluntatis poteſtate, ſed de ſua praedeſtinatione promiſit. Promiſit enim, quod ipſe facturus fuerat: quia etſi faciunt homines bona, quae pertinent ad colendum Deum, ipſe facit, ut illi faciant quae praecipit; non illi faciunt, ut ipſe faciat, quod promiſit: alioquin, ut Dei promiſſa compleantur, non in Dei, ſed in hominum eſt poteſtate, & quod a Domino promiſſum eſt, ab ipſis redditur Abrahae. Non autem ſic credidit Abraham, ſed credidit dans gloriam Deo: quoniam quae promiſit potens eſt, & facere: non ait praedicere, non ait praeſcire, nam & aliena facta poteſt praedicere, atque praeſcire. Sed ait, potens eſt, & facere, ac per haec facta non aliena, ſed ſua.* Hactenus Auguſtinus; ex cujus verbis haec brevis colligitur ratio. Promiſsio Abrahae a Deo facta certiſsima eſt ex fide, igitur ſecundum gratiam: non ergo promiſit fidem, quam homines ex ſe ipſis erant habituri, ut crederent, ſed quam Deus daturus erat, & qua facturus erat, ut crederent. Gratia igitur Dei praeveniens effectrix eſt, ut ex non credentibus credentes ſimus, & ex nolentibus & reluctantibus in volentes, & non reluctantes omnipotentiſſima facilitate commutemur. Porro ex verbis Domini ſecundum Matthеum (6): *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed ſpiritus Patris veſtri qui loquitur in vobis*; & ex verbis Apoſtoli ad Romanos (7): *Spiritus interpellat pro nobis gemitibus inenarrabili-*

(1) Pſ. 118. Pſ. 36.
(2) Ezech. 36.
(3) De praedeſt. Sanct. cap. 10. tom. 7.
(4) Geneſ. 17.
(5) Rom. 4.
(6) Matth. 10.
(7) Rom. 8.

bilibus, praevenientis gratiae vigorem infert idem Auguſtinus (1) ad Sixtum ſcribens. Nam ſpiritus ita loquitur in Apoſtolis, & interpellat pro nobis, quia loqui Apoſtolos, & interpellare nos facit, illiſque loquelam, nobiſque interpellandi, & gemendi inſpirat affectum. Praecedens igitur efficax Spiritus Sancti auxilium, ſic expreſſum eſt, ut ipſe facere dicatur, quod ut faciamus facit, ne quis impie exiſtimare audeat, hoc ita de nobis fieri, tanquam nihil facientibus nobis. Denique ad id comprobandum validiſſima eſt ratio Auguſtini his verbis formata (2): *Prorſus in hac re non operoſas diſputationes expectet Eccleſia, ſed attendat quotidianas orationes ſuas Orat, ut increduli credant: Deus ergo convertit eos ad fidem*. Quo itidem argumento contra inimicos gratiae Dei, ejuſdem mirabilem, & occultam vim oſtendit ad Vitalem ſcribens, eique hoc de orando documentum ſic contra Pelagianos (3) amplectendum ſuadet, ne ulla menti ſuae ſubtrahat oblivionis irreptio, neve ulla caliditas argumentationis extorqueat. *Si enim* (ait ille) *quod ſcriptum eſt: a Domino greſſus hominis diriguntur, & viam ejus volet*. (4) *Et praeparatur voluntas a Domino*, (5): *& Deus eſt, qui operatur in nobis, & velle* (6); & multa hujuſmodi, quibus commendatur Dei gratia, hoc eſt, quae non ſecundum merita noſtra datur, ſed dat merita ipſa cum datur: quia praevenit hominis voluntatem bonam, nec eam cujuſque invenit in corde, ſed facit: ſi ergo ita praepararet, atque operaretur Deus hominis voluntatem, ut tantummodo legem ſuam, atque doctrinam libero ejus adhiberet arbitrio, nec vocatione illa alta, atque ſecreta ſic ejus ageret ſenſum, ut eidem Regi, atque doctrinae accomodaret aſſenſum; procul dubio eam legere, & intelligere legendo, vel etiam exponere, ac praedicare ſufficeret, nec opus eſſet orare, ut Deus ad fidem, infidelium corda converteret; quaſi ſic brevem conficeret ſyllogiſmum. Si propoſita lege, atque doctrina Evangelica, ſitum eſt in homine initium ſalutis, & non indiget alio, ut credat, & convertatur, fruſtra orat Eccleſia, & poſcit a Deo, ut nos fideles faciat, noſque convertat. Sed hoc non fruſtra facit; ergo indiget alio, illa videlicet alta, & ſecreta vocatione, quam gratiam efficacem dicimus omnia noſtra merita praevenientem. Hanc igitur doctrinam de efficacitate gratiae Dei praevenientis Sacrae litterae loquun-

(1) Epiſt. 105. tom. 2.
(2) De dono perſev. cap. 7. to. 7.
(3) Epiſt. 107. tom. 2.
(4) Pſ. 36.
(5) Prov. 20.
(6) Philip. 2.

loquuntur, hanc utique Auguſtinus profitetur, hanc Innocentius, Zoſimus, Bonifacius, Coeleſtinus, Leo Romani Pontifices probant, hanc Carthaginenſe Concilium unum, & alterum Milevitanum in Africa, & ſecundum Arauſicanum in Gallia confirmant, nihilque propterea noſtrum arbitrium laedi quiſquam Catholicorum unquam affirmavit, cum magis ad bona eligenda, & agenda per eam, de qua dictum eſt, gratiam, liberetur. Nam etſi veriſſimum ſit, quod ſacrum Concilium Tridentinum (1) definivit, poſſe liberum noſtrum arbitrium motum, & excitatum a Deo diſſentire, ſi velit, haec ejus potentia, ſive impotentia peccati languore contracta, ita ſanatur a gratia, ut voluntas noſtra roborata, & confortata etiam quod poſſit diſſentire, non diſſentiat, alta illa, ac ſecreta vocatione, quam ait Auguſtinus (2), ſic agente ſenſum, ut legi, atque doctrinae Dei accommodet aſſenſum. Sic reſpondet idem Auguſtinus opponentibus contra donum perſeverantiae, quod amitti contumaciter poſſet his verbis: *Quomodo poteſt amitti per quod fit, ut non amittatur etiam quod poſſet amitti?* (3) Id enim agit perſeverantiae donum in eo, cui datur, ut quamvis poſſit illam reſpuere, non tamen reſpuat. Ne ergo terreamur noſtrae amittendae poteſtatis metu propter efficacitatem praevenientis gratiae Dei, immo tutiores ea de cauſa ſimus, ſecurioreſque vivamus. (Ita legitur in authographo) Nam ob eam rem mirabatur Auguſtinus (4) Pelagianorum (5) amentiam, quod ſe mallent infirmitati ſuae, quam Dei gratiae firmitati committere: *qui potens eſt*, (ut ait) *ipſe & a malo in bonum convertere voluntates, & in lapſum pronas convertere, ac dirigere in ſibi placitum greſſum*.

Qua quidem de efficacitate praevenientis gratiae Dei ante mille ducentos, & eo amplius annos in Eccleſia Dei ſtabilita doctrina, & inter ipſam, & liberum arbitrium cum pace Eccleſiae inita concordia; ſpiritus diſcordiae malus Lutheri, atque Calvini exagitavit animos, qui ab Eccleſia deficientes in partem Schiſmatis abrupti, & in portentoſarum haereſum barathrum deturbati, ſacrilegis flatibus ſpirantes, dum gratiam Dei extollunt, arbitrium noſtrum perimunt, quo quidem perempto gratiam quoque Dei de medio tollunt. Nam ut ait Bernardus: (6) *Tolle liberum arbitrium, non erit quod ſalvetur: tolle gratiam, non erit unde ſalve-*

(1) Seſſ. 6. can. 4.
(2) Epiſt. prox. cit.
(3) De dono perſev. cap. 6. tom. 7.
(4) De praedeſt. Sanct. cap. 11.
(5) De dono perſev. c. 6.
(6) De gratia, & lib. arb. lib. 1. non longe a prin.

ſalvetur . Opus hoc ſine duobus effici non poteſt , uno , a quo fit , altero , cui , vel in quo fit . Sed debilitatis jam, atque confractis haereticae pravitatis conatibus , & graviſſimis Tridentinae Synodi decretis de gratia, & libero arbitrio , ortodoxa fide explicata , curioſitas emerſit humana, quae ut ad difficillima ſemper anhelat , ita difficillimis quoque , & inexplicabilibus nexibus ſeſe implicat , atque involvit . Haec inter fratres diſcordias ſeminans , ne idipſum dicerent omnes, novam de modo efficacitatis gratiae quaeſtionem ſuſcitavit, quae non ſine amarulentia animi inter viros doctrina, & religione praeſtantes agitatur : quorum alii ita agere gratiam Dei in noſtras voluntates aſſeverant, ut per phyſicam praedeterminationem inclinentur ad opera pietatis; alii vero unam , & eamdem antecedentem gratiam dicunt, qua unus convertitur , & alter non convertitur, ſed in eo ejus efficacitatem conſtituunt, ſi detur in talibus , vel loci, vel temporis circumſtantiis , in quibus Deus per mediam , quam vocant ſcientiam, infallibiliter ſcit voluntatem noſtram cooperaturam : ſicque non per phyſicam illam praederminationem , ſed per motionem , ut loquuntur per modum cauſae moralis , agi arbitrium noſtrum profitentur . Et quamvis Auguſtini temporibus non veniſſe id umquam in controverſiam exiſtiment, ſic tamen utrinque certant , ut iiſdem argumentis ſe invicem oppugnent, quibus Auguſtinus , & Pelagius manum mutuo conſerebant . *Avertat Deus ne de eliſarum argumentationum ratiunculis fracta ſtudeant arma colligere*, (utar Proſperi verbis) (1) *Et ne cineres extincti Dogmatis refovendo , deficientis ſumi nitorem in redivivam flammam conentur accendere .* Verum ſi inter hos Auguſtinus conſtituendus eſt judex, hanc , quam novam putant, videtur vir ſanctiſſimus , pariterque doctiſſimus litem diremiſſe. At ipſe nec hujus , nec illius partis modum expreſſe dixit , immo mirum eſt, ſi alteri ex duobus expreſſe non contradixit . Nam propterea Pelagiani fatalis neceſſitatis praedicatorem Auguſtinum dicebant, quia gratiae efficacitatem, energiam , & inoperationem ex parte principii conſtituebat . Aliter enim vel irridenda omnino Pelagianorum de fato objectio, vel irridenda magis Auguſtiniani haebetudo ingenii, ſi tam ineptam ratiunculam nullo non negotio diſſolvit. Praeterea non quacunque vocatione, ſed alta quadam, atque ſecreta noſtram agi converſionem locis ſaepe allegatis affirmavit (2), duaſque vocationes

(1) Proſp. coo. collat.

(2) De praedeſt. Sanct. c.76. tom.7.

Digitized by Google

nes diſtinxit, certiſſimam, & efficaciſſimam unam, alteram non item. Non igitur unam, eamdemque vocationem omnibus tribuebat. Praedeterminationis vero phyſicae vocabulum nimis rigoris neſcio quid in aures inſtillare videtur contra eam, quae in libero arbitrio requiritur, indifferentiam, ne potius neceſſitate cogatur, quam libera voluntate trahatur. At vero Auguſtinus totus in efficacitate gratiae prevenientis eſt, ut ex iis, quae diximus conſtat, eoque modo ab ipſa voluntates hominum preparari, immutari, agi, converti, perfici aſſeverat, ut ſalva ſemper maneat noſtri libertas arbitrii, ne ad opera pietatis trahatur invitum, ſed ad eadem eligenda convertatur liberatum. Si autem ab eo modus quaeratur, quo Deus per gratiam ſuam id in nobis operatur, non per praedeterminationem phyſicam, non per motionem moralem ad formam jam expreſſam id fieri in cordibus noſtris reſpondet, ſed miro quodam, & ineffabili modo. Quod multa ejus teſtimonia palam faciunt, nam libro de praedeſtinatione Sanctorum ſic ait: (1) *Deus fidem noſtram operatur miro modo agens in cordibus noſtris, ut credamus*, & ibidem (2): *Cum Deus vult fieri, quod non niſi volentibus hominibus oportet fieri, inclinantur eorum corda, ut hoc velint, eo ſcilicet inclinante, qui in nobis mirabili modo, & ineffabili operatur, & velle*. Rurſus verba illa Joannis: (3) *Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*, expendens Auguſtinus pro mirabili gratiae Dei efficacitate, ait eodem libro (4): *Valde remota eſt a ſenſibus carnis haec ſchola, in qua Deus auditur, & docet. Multos venire videmus ad Filium, quia multos credere videmus in Chriſtum. Sed ubi, & quomodo a Patre audierint hoc, & didicerint, non videmus: nimium gratia iſta ſecreta eſt, gratiam vero eſſe quis ambigat? Haec itaque gratia, quae occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur*. Et alibi ſaepius ubi de hac gratia mentionem facit, altam, ſecretam, occultamque dicit. Quibus omnibus locis efficacitas praevenientis gratiae ab Auguſtino aſſeritur, modus vero agendi ipſum agit in admirationem, nec tanti ſe putat, ut hoc valeat explicare. Mirabilis ſane modus eſt, quo Deus opera noſtra operatur in nobis non coactis, ſed volentibus nobis. Hoc eſt totum, & prorſus ſtupendum divinae

(1) Cap. 2.
(2) Cap. 20.
(3) Joan. 6.
(4) Cap. 8.

vinae gratiae opificium, quod rueret quidem, ſi vel arbitrium perimeret gratia, vel ipſa ab eodem praeveniretur, eſſetque plusquam mirabile, ſi voluntas noſtra ad opera pietatis mortua ſe ipſam ſine ſpiritu vivificante ſuſcitaret. Difficillima certe haec diſputatio eſt, & ob eam cauſam eo moderamine temperanda, ut magis inquiſitio cauta laudetur, quam reprehendatur aſſertio. Etenim juxta Auguſtini regulam, ubi de re obſcuriſſima agitur non adjuvantibus divinarum Scripturarum certis clariſque documentis, cohibere ſe debet humana praeſumptio; nihil faciens in partem alteram declinando. Quam ut a ſe praeſcriptam, ipſe auctor in re, de qua agitur, fideliter obſervavit, & aſſerentibus efficacitatem gratiae praevenientis ſcripturarum apertiſſimis teſtimoniis eamdem conſtanter aſſeruit: modum vero efficiendi mirabilem dixit, ne ſi hunc, vel illum praeſcriberet, non ſuffragantibus certis ſcripturae teſtimoniis & auctoritatibus, incauta in eo reprehenderetur aſſertio.

Haec ſunt, Cardinalis ampliſſime, quae pro mea parvitate ex Auguſtino decerpta, Tibi libenter inſcribo, ſcio enim, quo ſis animo erga Eccleſiam Dei, quam pro dignitate, qua fungeris, juvare ſemper ſtudes, & vitae integerrimae exemplo, & praeclariſſimis doctrinae editis monimentis, quamque abſque ſciſſuris inter fratres ardenti pietatis deſiderio ſemper optas in pacis tranquillitate verſari. Faxit Deus, ut glutino charitatis copulati, ſcientia non infletur, volentes ſapere plus, quam oportet ſapere, nec modum, quo agitur noſtra converſio, curioſius, quam decet, fideles inveſtigemus; ſed id tantum ſapere contenti ſimus, quod, (ut ait Proſper fideliſſimus (1) Auguſtini diſcipulus, & interpres) agit hoc occulta, & potens gratia Dei, quae dimotis terrenarum opinionum, & operum mortuorum favillis terrorem obruti cordis exagitat, & deſiderio veritatis inflammat, non ut invitum hominem ſubigat, ſed ut ſubjectionis cupidum faciat, nec ut ignorantem trahat, ſed ut intelligentem, ſequentemque praecedat. Manens enim liberum arbitrium, quod utique cum ipſo homine Deus condidit a vanitatibus, & cupiditatibus ſuis, in quas neglecta Dei lege fluxerat non a ſe ipſo, ſed a Creatore mutatur, ut quidquid in eo melius reficitur, nec ſine illo ſit qui ſanatur, nec niſi ab illo ſit, qui medetur: (2) cujus ſumus nova Creatura, novumque figmentum creati in Chriſto Jeſu in operibus bonis, quae praeparavit Deus, ut in illis ambulemus. *EPI-*

(1) Contr. Collat. (2) Epheſ. 2.

Digitized by Google

EPISTOLA CLXII. (a)

CAESARIS CARD. BARONII

AD PETRUM DE VILLARS ARCHIEPISCOPUM VIENNENSEM. (b)

Aſſerit ſe legiſſe libros Molinae, & in illis notaſſe quinquaginta & amplius poſitiones, verba, phraſes affines erroribus Pelagianorum ſive Semipelagianorum, & S. Auguſtino contrarias.

ILluſtriſſime ac Reverendiſſime Domine. Ignoſcas, ſi tardius quam par eſt, ad litteras Reverendiſſimae D.V. reſcribo, quas ut ſanctas, puras, & orthodoxas in omnibus exoſculatus ſum: a quibus abſit, ut vel in minimo apice, vel puncto diſſentiam: tantummodo de libris Molinae remanet controverſia. Legi eos ſed non ſine ſtomacho; quum in illis nihil potentius agere praeſeferat, quam ſancto Auguſtino adverſari (licet ſanctum nunquam nominet) eumque oſcitantiae redarguere, ſeque illo in iis diſputationibus vigilantiorem acutioremque jactare. Quis poſ-

(a) Fideliſſime deſcripſimus hanc epiſtolam ex codice Bibliothecae Vallicellanae ſignato litt. Q. num. 44. in quo etſi epiſtola manu Baronii ſcripta non exiſtat, extat tamen ex manu Amanuenſis ipſius Baronii, ut manifeſto liquet comparantibus, alias ab eodem Amanuenſi exaratas. Nec mirum videri debet ſi authographa non habeatur, quum authographum auctor miſerit ad Archiepiſcopum Viennenſem, unde apud ſe retinuit exemplar; quod conficere ſolent amanuenſes, more nunc quoque uſitato in aulis Cardinalium & Principum, maxime cum de graviſſimis rebus agitur; neque tanto otio abundabat Baronius, ut manu ſua exſcribere poſſet exempla litterarum, quas quotidie ad clariſſimos viros mittebat: quod ſi feciſſet, hominem ſe valde otioſum, ſuaque maximi facientem oſtendiſſet; id vero quam a Baronii moribus abſuerit, maxima ejus opera, ſummaque modeſtia illius clarius oſtendunt, quam ut probatione indigeant. Codex autem Vallicellanus, in quo legitur haec epiſtola, haud recens eſt, ſed jam inde ab obitu Baronii inter ceteros codices illius numeratus, ſancteque cuſtoditus, adeo ut nemini ſuperit locus hanc interpolandi epiſtolam tantum abeſt, ut eam huic codici a recentiore manu adjectam fuiſſe, ſuſpicari poſſit.

(b) Hic Lugduni natus, Turnoni humaniores litteras adeptus, Lutetiae in Regio Navarraeo Gymnaſio, dum Theologiae operam daret, Patruo in Sede Epiſcopali Mirapicenſi ſubſtitutus (qua per decennium adminiſtrata) Viennenſem Archiepiſcopatum adeptus eſt. Pro duplici Praeſulis officio, & pietate & doctrina enitere diligentiſſime ſtuduit. Et pietate quidem in Deum fuit flagrantiſſimus, quem ſacrum ignem quotidiano ſacrae meditationis matutinae pabulo ſollicite fovebat nutriebatque. Accedebat quotidianae incruentae hoſtiae immolatio, & frequentiſſimus ſpiritualium colloquiorum uſus. In litteris vero, ſacris praeſertim, quantum praeſtaret, praeter elogia de eo laudatiſſimorum Scriptorum puta Ven. Card. Baronii, Franciſci Toleti, Antonii Poſſevini, Juſti Lipſii, Petri Fabri Allobrogis, & aliorum, luculenter ipſe ſuis ingenii foetibus prodidit, quos duplici volumine in lucem edidit, *De Simonia fiduciaria: de Beneficiatorum reſidentia: de Sacellorum atque obituum fundatione: de celebratione Sa-*

poſſet eum talia loquentem abſque nauſea tolerare? Licet ut anguis effugiat, & e manibus facile elabatur, ut & ſi temerarium quis inveniat, haud facile poſſit haereſis convincere, & ſuggillare. Non hujuſmodi commentatoribus indiget Eccleſia Dei, quae puritate, candore, nitore delectari tantummodo conſuevit ipſa non habens maculam, neque rugam. Legi, inquam, eum & ad quinquaginta & amplius notavi poſitiones, verba, phraſes (*a*), quas vel ſaltem affines eſſe erroribus Pelagianorum, ſive Semipelagianorum (licet ipſe cautius intra Catholicae fidei limites, vel proteſtando ſaltem ſe contineat) nemo puto, qui abſque privato affectu illa perlegerit, negabit omnino. Quid Eccleſia Dei indiget hujus Molinae libris, ut diſcat, quae a tot Sanctis Patribus, Conciliis, atque Decretis jam ante tot ſecula didicit, & docuit? Quod ad ipſum DD. N. Clementem Papam pertinet, hoc ipſi in propoſito, hoc in voto, hoc denique in decreto, ut nec latum unguem, a veſtigiis praedeceſſorum recedat; ſed iiſdem inſtat quam firmiſſime. Scit plane tot ſanctos Pontifices, Innocentium, Sixtum, Coeleſtinum, Hormiſdam, ac denique Felicem, cujus ſunt Canones Arauſicani Concilii, hoc profeſſos ſuis ſcriptis eſſe, atque teſtatos, Romanam Eccleſiam in iis, quae ſpectant ad gratiam, & liberum arbitrium, ſequi ſemper conſueviſſe ſanctum Auguſtinum. Teſtatur equidem id tot verbis Hormiſda ſuis litteris, ita ut alio judicio opus non ſit, cum jam praejudicatum ſit: laborat tum in diſcutiendo Molinae volumine, de quo abjiciendo, vel purgan-

Sacramenti Matrimonii: de Medici erga aegros officiis: de vanis juramentis atque blaſphemiis, aliiſque nonnullis argumentis. Idem, ut aboleretur antecedentis aevi corruptela, qua Gallicani Praeſules concionandi munus vere Apoſtolicum, & ut Tridentinum ſacrum Concilium monet, Epiſcoporum maxime proprium, tamquam extraneum averſabantur, ſtrato aliis itinere, effecit. Demum recogitaturus annos ſuos, & ad extrema ſe comparaturus, homo minime ambitioſus, infulis ſponte ceſſit poſt annos quatuor ſupra triginta, quibus Antiſtitem laudatiſſime egerat. Ne tamen omnino ceſſare, aut otio torpere videretur, eam Viennenſis dioeceſis partem, quae tractu Vivarienſi ad Rhodanum continetur, ſibi potiſſimum excolendam ſumpſit, quod haereſum ſentibus ac vepribus horreret, etiam ante Calvinianorum rhamnos iis in locis conſitos, ac per Galliam proſeminatos. Apud S. Geneſium de Vallae ditionis ſuae, locum ſecus Lugdunum die XVI. Julii anno MDCXIII. ſenectutem annorum ſeptem ſupra ſexaginta, dierum ac meritorum plenus morte pia commutavit. Bibliothecam Patribus Societatis Jeſu legavit, ac Vironae in eorum Eccleſia ſepelliri voluit.

(*a*) Sinceritatem hujus epiſtolae maniſeſtiſſime probat cenſura propoſitionum Molinianarum (quam vulgamus nunc pag. 124) nobis exſcripta ex codice manuſcripto authographo ejuſdem Baronii in Vallicellana Bibliotheca ſignato litt. Q. n. 41. Inſtituta enim hujus characteris Baroniani comparatione cum duodecim tomis manuſcriptis authographis Annalium in Vaticana Bibliotheca adſervatis, & cum reliquis operibus, quae Baronii manu exarata extant in Bibliotheca Vallicellana, adeo litterarum formae ſecum conveniunt, ut ovum non ſit ovo ſimilius.

gando, vel retinendo, adhuc ſub judice lis eſt. Mea ſiquidem ſententia, eo non indiget Eccleſia Catholica, in quo vel ſaltem quaedam auditui horridula eſſent corrigenda. Monui RR. PP. meos Societatis Jeſu, ne aeſtimationem eorum in defenſionem librorum ejus periclitari ſinant, & in diſcrimen adduci. Colo ipſos omnes, Deus ſcit, ut Patres, ut de ipſis illud uſurpem, *opprobria exprobantium tibi ceciderunt ſuper me*: at nolo prolixior eſſe. Vale, Pater amantiſsime, atque dilectiſsime, lucerna pedibus meis, cum per obſcura contingerit ambulare. De beatis viris in SS. numerum collocandis ad aliud tempus ſervavit hoc Deus. Romae Idibus Martii anno Domini MDCIII.

Digitized by Google

VENERABILIS

CARDINALIS BARONII

CENSURA

IN LIBRUM, DE CONCORDIA GRATIAE LIBERIQUE ARBITRII P. MOLINAE

NUNC PRIMUM EDITA.

Ex ejuſdem Authographo, quod extat in Tabulario Bibliothecae Vallicellanae ſignato litt. Q. num. XXXXI.

QUod Romana Eccleſia tenere ſe obligaverit de gratia; & libero arbitrio, quae Sanctus Auguſtinus tenuit.

Eſt de his Epiſtola Coeleſtini Papae, qua conſultus ab Hilario, & Proſpero ſcripſit ad Epiſcopos Galliarum, & de Sancto Auguſtino praeconium tale habet Tom. V. ann. 431. numero 184. Coeleſtini Epiſtola laudatiſſima num. 138.

Eſt Epiſtola Hormiſdae ad Poſſeſſorem, in qua tradit Romanam Eccleſiam conſentire cum S. Auguſtino, praecipue in Epiſtola ab eo ſcripta ad Proſperum, & Hilarium, extat Tom. VII. Annal. ann. Domini 520. num. 21.

DE CAPITULIS ROMANAE ECCLESIAE.

QUid ſenſerit de his Romana Eeeleſia in quibuſdam capitulis ab ea editis contineri teſtatur Hormiſda in Epiſtola ad Poſſeſſorem Tom. V. ann. 520. num. 21.

Fortaſſe haec illa ſunt capita, quae habentur in Epiſtola Coeleſtini ad Hilarium, & Proſperum, quorum eſt mentio in Annalib. anno Domini 431. num. 185.

Concilium Arauſicanum ſecundum profitetur ſe accepiſſe Capitula, quae recitat Romana Eccleſia.

Qui

Qui ſint Errores Fauſti.

ERrores Fauſti collecti habentur in Epiſtola Maxentii Monachi ad Hormiſdam, quae extat Bibliothec. Sanct. Tom.IV. Summatim perſtringuntur *ab Adone*. Vide Tom. VI. Annal. ann. Domini 490. num. 31. Errores Fauſti ubique damnati. Ibi num. 32. 33. Qui contra eundem Fauſtum ſcripſerunt, ibidem.

Sententia Sancti Auguſtini, quod Deus adeo efficacem gratiam concedat peccatori, ut non poſſit non velle. Quod non ſemper, ſed aliquando. Et haec eſt opinio Dominicanorum.

Controverſia eſt quoad modum, quomodo Dei gratia ſuffragetur peccatori efficaciter.

Dominicani, quod Phyſice. (Phyſice movere eſt determinare ad *unum*, ut non poſſit non eſſe quod vult.) Dicitur phyſice, exemplo naturae, quae operatur, *ideſt* infallibiliter, quando Deus vult, & cum quo vult.

Jeſuitae negant phyſice determinari, ſed tantum moraliter, hoc eſt ſuadendo, alliciendo, ſive bonis, ſive deterrendo malis.

His praeſuppoſitis, conſiderandus eſt ſtatus hominis, videlicet in natura integra, & in natura corrupta. In natura integra, liberrima erat operatio voluntatis. In natura corrupta non eſt libera voluntas ad bonum ex ſe, ſed tantum ad malum.

De neceſſitate, & contingentia.

IN omnibus operationibus duo ſunt conſideranda, contingentia ex parte noſtra, neceſſitas ex parte Dei. Quae non dicitur neceſſitas ſimpliciter, ſed neceſſitas conſequentiae, quoniam cum omnia in Deo ſint, potentia, & actu, & dum actu ſunt, fieri non poteſt, quin ſint: hac de cauſa, quae ſunt in nobis contingentia, in Deo dicuntur neceſſaria neceſſitate conſequentiae.

De

De occaſione hujus controverſiae.

EX haereſi Lutherana, damnata in Concilio Tridentino, ubi Canon de libertate arbitrii in juſtificatione. Ubi tamen Jeſuitarum .... de hac controverſia.... (*a*)

Quorum occaſione Lovanii Jeſuitis concluſionibus rem defendentibus de motione voluntatis humanae ad Deum moraliter; Univerſitas Lovanienſis cenſuram edidit gravem. Reſpondentibus Jeſuitis, eadem Univerſitas apologiam luculentiſſimam edidit. Replicantibus Jeſuitis rur...... Lovanienſes ediderunt aliam apologiam, Hinc res per libros confecta eſt, auctore Molina.

Hinc res delata in Hiſpaniam, ubi ab Archiepiſcopo Cardinali Toletano damnatus eſt liber Molinae, qui deinde rurſus editus eſt in Portugallia.

Ex Hiſpania res delata eſt in Gallias, ubi contradictum eſt a Sorbonenſibus & aliis.

Hinc in Urbem delata eſt controverſia.

Propoſitionum aliae ſimplices, ſive de primo adjacente, aliae modales, ſive de ſecundo adjacente.

Simplices; ego lego, ſive non lego. Modales; contingit me legere, non contingit me legere.

Alia ſubdiſtinctio harum propoſitionum. Aliae ſunt de praeterito, aliae de praeſenti, aliae de futuro. De duabus hoc eſt praeteritis, & praeſentibus erit vera affirmatio, vel negatio. In futuris contingentibus non eſt vera, neque affirmatio, neque negatio.

Quod voluntas humana circa actus naturales, & ſupernaturales libera ſit circa nolitionem, & volitionem. Sunt actus naturales volitiones indifferentium, ut plantare vineas, ire in Urbem &c. vel circa mala, ut velle vitia &c.

Volitiones ſupernaturalium eſt bonum velle, vel nolle, quod Dei gratia proponit animae, ita ut ſit in poteſtate ejus velle, vel nolle cooperari, & non cooperari, & elicere actum repugnantem. Id ex Concilio Tridentino ſeſſ. 6. cap. IV.

MOLI-

(*a*) Duo, aut tria hic verba deſunt, quae licet ſummam adhibuerimus diligentiam, legi tamen in authographo minime potuerunt.

MOLINAE PROPOSITIONES.

I. TENET Molina, abſque auxilio ſpeciali gratiae Dei, ſed tantum generali nempe viribus naturae poſſe hominem libero arbitrio velle, & operari bonum, non tamen ad finem ſupernaturalem, nempe ut ſit meritorium. Et in hanc ſententiam diſtorquet illud Apoſtoli: Non ſumus ſufficientes cogitare aliquid a nobis, tanquam ex nobis, ſed omnis ſufficientia noſtra ex Deo eſt &c. In hancque ſententiam diſtorquet alia S. Auguſtini dicta: Ceterum dempto fine ſupernaturali, poſſe hominem velle, & operari bonum abſque Dei gratia.

II. Tenet Molina, quod viribus naturae quis poſſit fidem percipere fine ſpeciali gratia, ſed non ad finem ſupernaturalem; eſſeque in facultate liberi arbitrii, ſolis viribus naturae abſque concurſu ſpeciali gratiae percipere fidem, *credendis* aſſenſum praebere, non tamen ad *finem* ſupernaturalem, hoc eſt ad juſtificationem, & ſalutem.

III. Tenet Molina poſt habitum infuſum fidei per gratiam Dei, ad eliciendos actus credendi ſupernaturales fini ſupernaturali accommodatos, ſatis eſſe generale auxilium Dei, nempe vires naturae.

IV. Tenet Molina, ut in Fidei gratia, qua credit homo poſt gratiam Dei praevenientem, libero arbitrio ut auctori tribuatur, ut credat, Diſp. IX.

V. Tenet Molina, quod facienti, quod in ſe eſt, Deus conferat gratiam praevenientem. Item dicendum de gratia praevenienti, ut peccator fidelis juſtificetur. Diſp. X. Adeo etiam ut ſi datus in reprobum ſenſum peccator faceret quod in ſe eſt, Deus non ſit denegaturus gratiam ſuam.

VI. Tenet Molina, ſuo conatu hominem elicere a Deo gratiam, Diſp. XI.

VII. Tenet Molina non eſſe auxilium gratiae cauſam ſolam, ut quis fidei aſſentiatur, vel ad poenitentiam agendam convertatur, ſed liberum arbitrium, Quaeſt. XII.

VIII. Ibidem, non a ſola quantitate, & qualitate gratiae auxiliorum pendere, quod quis ad Chriſtum accedat, ſed ſimul a cooperatione liberi arbitrii; nec minus praecipue a libero arbitrio pendere, quam a gratia.

Pro-

Proteſtatio Molinae in fine Diſp. XII. notanda.

IX. Tenet Molina naturalibus viribus liberi arbitrii abſque ſpeciali gratia elici poſſe actum ſperandi, Diſp. XIII.

X. Tenet Molina, quod poſſit homo libero arbitrio abſque ſpeciali gratia, ſed generali tantum auxilio, hoc eſt viribus naturae habere contritionem, ſive attritionem, Diſp. XIV. membr. 1. Eadem membr. 3. plenius.

XI. Tenet Molina, ſolis viribus naturalibus abſque ſpeciali gratia Dei poſſe hominem libero arbitrio diligendi Deum, ſuper omnia actum elicere, non tamen abſque ſpeciali gratiae auxilio implere.

XII. Tenet Molina a Patribus non cognitum, neque in controverſiam inductum, utrum definita de gratia, & libero arbitrio ſpectarent ad actus ſupernaturales, vel tantum naturales, Diſp. XV.

XIII. Ait Molina Patribus antiquis atque Auguſtino parum luminis fuiſſe circa ea, quae ad gratiam ſpectant,

XIV. Addit: ſi Pelagius conſenſiſſet Patribus non poſſe elici a voluntate noſtra, abſque divina gratia actus ſupernaturales neceſſarios ad ſalutem, ſecus in naturalibus, non fuiſſet damnatus a Patribus.

XV. Quomodo eludat omnes ſententias S. Auguſtini, & Divinae Scripturae. Ibidem ad quintum, & ſextum.

XVI. Addit ad ſeptimum, eadem diſputatione Spiritum Sanctum in Conciliis pro qualitate hominum convocatorum operari ſolitum, ut definitiones magis aut minus perſpicue editae...

XVII. Ex Diſp. XV. ad 8. quod Arauſicanum Concilium loquatur de actibus, qui ad ſalutem ſunt neceſſarii. Sic etiam & eludit Concilium Tridentinum ibid. ad 9.

XVIII. Tenet Molina in fine ejuſdem diſputationis hanc concluſionem, poſt juſtificationem, & accepta jam auxilia divina eſſe liberi arbitrii hominis augumentum adjicere, & perſeverare.

XIX. Ex Diſp. XVIII. Homo conſtitutus in gratia, poteſt abſque ſpeciali gratia ſuo libero arbitrio *ſtatuere velle* in obſervatione mandatorum perpetuo permanere, perficere autem ſine ſpeciali gratia non poteſt.

XX. Diſp. XIX. Membr. 1. Prima ſententia, quod per vires liberi arbitrii abſque ſpeciali auxilio gratiae, non poteſt homo *ali-*

aliquas vincere tentationes, nec ad modicum tempus; haec eſt prima ſententia Patrum. Secunda vero quod poteſt aliquas vincere, & ad modicum tempus, non autem ad longum tempus omnes, ſic & poſſe ſervare ſingula praecepta, non tamen ad longum tempus omnia ſervare abſque ſpeciali gratia.

Molina cenſet, & bene priori non recedendum, quia communis Patrum, Conciliorum, niſi (ut ait) Eccleſia non definiat, vel recipiatur frequentiori opinione in ſcholis. Memb. 6.

XXI. Diſp. XX. Stat vera ſententia hominem generali auxilio abſque ſpeciali gratia vitare non poſſe, diuque perſeverare abſque peccato mortali, neque vincere ſingulas tentationes, licet abſque hoc, vel illo poſſit, & vincere hanc, vel illam poſſit.

XXII. Et cum auxilio ſpeciali gratiae Dei hominem non poſſe omnia venialia peccata vitare, licet hoc, vel illud poſſit.

Molina cauſam affert ex ea impoſſibilitate, quae potius difficultas dicenda eſt exemplo talorum jactu, ut millies quis jaciendo ſemper idem reddat ſignum, idque fieri non phyſice, ſed moraliter cujuſque libero arbitrio ad ſervanda cum naturalibus tantum viribus ſingula praecepta, & ſingula peccata tam mortalia, quam venialia vitanda. Phyſice fieri dicitur, cum incumbit neceſſitas mathematica.

XXIII. Q. 22. Dicta S. Auguſtini, quod liberum arbitrium non eſt liberum ad bonum, ſed ad malum ſine gratiae auxilio, interpretatur Molina ad hoc, ut opera ſint meritoria, conducentia ad vitam aeternam, quodque non eſt loquutus Auguſtinus de actibus humanis indifferentibus, vel moralibus.

Reſponderem, quod ut quid ſit meritorium non dependet ex voluntate noſtra, ſed ex voluntate, & gratia Dei ſecundum illud: gratiam, & gloriam dabit Dominus; eſtque quiddam extrinſecus, & non dependens ab humana voluntate, unde abſolute dicendum putarem, quod voluntas noſtra non poteſt boni aliquod operari etiam morale, ſi illud morale vere bonum ſit, nempe perfecta virtus, & non apparens, per inanem gloriam intus corrupta: nam omne datum optimum, omne donum perfectum de ſurſum eſt &c. Quod ergo opera noſtra ſint meritoria, non ex ſui natura provenit, quia ſcilicet facta ſint ex libero arbitrio noſtro, ſed ex gratia Dei, alioquin gratia non eſſet gratia, ſed retributio. Sed quis dedit illi, ut retribuatur ei?

Quod opera moralia verae, & perfectae virtutis effici non poſſint ſine ſpeciali gratia Dei; unde deducitur argumentum, quod illa placeant Deo, ut de operibus Cornelii Centurionis dicitur in actis, & aliis. Sed ſine fide impoſſibile eſt placere Deo, ergo his fides non tollenda, ſed ejus ordinis eſſe fideles, de quibus Apoſtolus, qui fuit in occulto Judaeus, ſicut & Job in lege veteri. Virtus expetenda propter ſe ipſam, non propter alium finem terrenum. Porro operari propter ſe ipſum eſt operari ſecundum finem ſuum, ipſa vero pura virtus eſt ipſe Deus, qui in Divinis Scripturis dicitur Sapientia.

Addo etiam, quod ſi poſſet facere opera moralia Chriſtianus, abſque ſpeciali auxilio gratiae Dei, ſequeretur inconveniens, quod minus, quidem poſſet Chriſtianus conſtitutus in gratia, quam in peccato, quoad eliciendos virtutis actus: nam ille tunc poteſt, ut dicit Molina, ſed in gratia conſtitutus non poteſt facere opus meritorium, quod quidem in eo, quod ſpectat ad eliciendos actus, idem eſt cum priori. Poteſt ergo ille eoſdem viribus naturalibus elicere actus, quos non poteſt iſte conſtitutus in gratia abſque ſpeciali auxilio gratiae, ergo plus tribueretur homini conſtituto in peccato, quam in gratia, quia ille poteſt, quod iſte non poteſt.

Ut ſit opus meritorium, & non meritorium non ex differentia actuum eſſe videtur, ſed ex Dei gratia praeveniente, & coadjuvante, quia ille qui inimicus nihil poteſt generare, quod ſit aeternum, iſte quia amicus, quod generat eſt aeternum. Arbor mala non poteſt bonos fructus facere: arbor bona, non poteſt malos, hoc eſt caducos, & pereuntes fructus facere.

Ut ergo opus ſit ſupernaturale, hoc eſt meritorium, hoc non habet ex influxu liberi arbitrii, ſed ex gratia Dei, quod etiam ipſe profitetur Molina Diſp. XXXVII. ad finem.

Communis omnium ſententia, quod voluntas Dei ſit ratio tantum & cauſa praedeſtinationis Sanctorum, & reprobationis damnatorum, cum illis operando ex miſericordia, cum iſtis ex juſtitia.

Quomodo operetur cum praedeſtinatis, & quomodo cum reprobis pag. 326. 2. 327. &c.

Sententia eſt Dominicanorum, eo quod illis det gratiam efficacem Deus, iſtis ſufficientem, ſed non efficacem, adeo ut tota efficacia ſit ex gratia.

XXIV. Sententia Molinae haec eſt, ut tota efficacia & non efficacia pendeat, & ſit ex libero arbitrio pag. 327.

XXV. Sententia Molinae de praedeſtinatione. Praedeſtinationem eſſe ſecundum praeſcientiam uſus liberi arbitrii, ſed ex ſola libera, & miſericordi voluntate Dei pag. 331. & inferius pag. 332. hoc *ita modificat*. Ita ex ſola voluntate Dei eſſe praedeſtinationem Sanctorum, ut non fuerit ſine praevia illa ſcientia, habitaque conſideratione uſus liberi arbitrii futuri, tametſi non pro qualitate illius dona gratiae conferentur.

XXVI. Addit; S. Auguſtinus idem reſpondiſſet, ſi de his, de praeſcientia uſus liberi arbitrii loquutus eſſet. Obloquitur Molina in S. Auguſtinum, dum aſſerit iſta de praeviſo uſu liberi arbitrii non attendiſſe, & in quadam quaſi caligine eſſe verſatum. pag. 332.

XXVII. Sententia Molinae, quod Deus non determinet voluntatem, ſed tantum invitet, & alliciat pag. 335. 336. 337.

XXVIII. Sententia Molinae nullum adultum praedeſtinatum eſſe ad vitam aeternam, niſi per propria merita, non autem propter propria merita pag. 349. 350.

XXIX. Ibidem Molina, quod effectus divinae praedeſtinationis, pendet ex libero arbitrio noſtro, tanquam a cauſa. pag. 353. col. 2. 354. t.

XXX. Molina, quod conſenſus, ſive concurſus liberi arbitrii ad gratiam praevenientem, non eſt effectus gratiae, ſed ipſis liberi arbitrii. pag. 356. Contrarium aliis ex adverſo dicentibus, nempe concurſum illum eſſe effectum praedeſtinationis, & gratiae. Molina vero gratiae tantum eſſe dicit, monere, ſuadere, excitare, & provocare, non autem impellere.

XXXI. Molinae de praedeſtinatione ſententia pag. 357. Primo, quod praedeſtinatio ſit libera Dei voluntas dandi electis gratiam, & gloriam abſque praeviſis futuris meritis. Nihilque dari ex parte hominis, quod integri effectus praedeſtinationis cauſa ſit, quae eſt tantum Dei voluntas, ſicque praedeſtinationem eſſe ſecundum qualitatem uſus liberi arbitrii, non tamen ut menſura, vel conditio.

XXXII. Secundo. Praedeſtinationem non eſſe ſine praeſcientia boni uſus liberi arbitrii, non tamen ut menſuram, ſive conditionem, neque ut congruum videretur: potuiſſe tamen

ad bonum uſum liberi arbitrii reſpexiſſe, & propter eam circumſtantiam aliqua ipſis largitum eſſe, quae ſi non praevidiſſet largitus non eſſet, ſed ex decenti ratione id feciſſe, non tamen ut acceperit uſum liberi arbitrii eſſe cauſam congruentem, quam negat omnino ipſe pag. 375. col. 2. in fine.

XXXIII. Quod certitudo praedeſtinationis non ſit ex parte praedeſtinati, qui forte non cooperaretur, ſed ex parte divinae praeſcientiae, qua praevidit eum ſua libertate cooperaturum pag. 376. 1. Sed non quia illud praevidit Deus, certe futurum eſt, ſed quia futurum eſt illud praevidit Deus, cum ſemper remaneat libertas arbitrii integra.

Tota vis diſputationis in eo includitur, quod ait Molina auxiliorum efficaciam pendere ex libero arbitrio. Adverſarii vero dicunt pendere ex voluntate divina, quia agit, ut id omnino fiat. Molina repugnat, & dicit ex hoc induci fatum, qui reprobat reſponſionem de ſenſu compoſito, & ſenſu diviſo pag. 378. 2. 379.

Abſolvitur prima pars concordiae Molinae. In ſecunda parte de praedeſtinatione agitur, atque hoc ordine, primo quod Deus non ſit cauſa peccati, eſt q. 30.

Diſp. XXX. Quod Deus non ſit cauſa peccati, quod Deus non praedeſtinavit aliquem ad malum, ſed ad bonum.

Diſp. XXXI. XXXII. XXXIII. XXXIV. &c. An Deus dici poſſit, & quomodo cauſa peccati.

Diſp. XXXV. De auxiliis particularibus, & ſupernaturalibus, quae a Deo homini, &c. Incipit *tractatio*.

XXXIV. Diſp. XXXVI. Cum duo concurrunt ad bonum opus, gratia, & liberum arbitrium, quod ad actus ſubſtantiam credendi, ſperandi, & poenitendi a libero arbitrio ſint, a gratia autem praeveniente habeant, ut ſint meritorii, ideſt ſupernaturales, & ad ſalutem neceſſarii.

XXXV. Diſp. XXXVII. Quod adhibito generali auxilio & ſpeciali gratiae praevenientis, ad eliciendos actus meritorios, non indigeat liberum arbitrium gratia coadjuvante.

XXXVI. Quod gratia praeveniens non differat a gratia coadjuvante, ſed praeveniens eadem ſit adjuvans, nec alia gratia indigeat liberum arbitrium ad producendos actus.

XXXVII. Quod non pro quantitate gratiae cooperantis ſit cujuſque operatio major, vel minor, ſed ex libero arbitrio magis & minus cooperante.

XXXVIII.

XXXVIII. Quod concurſus gratiae praevenientis non eſt alterius rationis ab eo, quo Deus concurrit ad effectus mere naturales, nempe generali.

XXXIX. Quod poſt aquiſitos actus fidei poſſit homo ſolo concurſu generali abſque ſpeciali gratia operari, & elicere actus.

XL. Sed admittit gratiam cooperantem, eſſe tantum primum motum in libero arbitrio.

Diſp. XXXVIII. *Appendix ad ſuperiorem*.

Quod eadem ſit gratia praeveniens, quae cooperans.

Quod idem ſit liberi arbitrii conſenſus, & cooperatio.

XLI. Quod auxilium efficax, inefficax reddi poſſit per noſtrum liberum arbitrium non cooperans, ſicque ex libero arbitrio pendere, quod auxilium ſit efficax & quod inefficax.

Contraria ſententia eſt: primo non ſufficere gratiam praevenientem ad juſtificationem peccatoris, ſed requiri cooperantem, eandemque efficacem.

Secundo gratiam cooperantem ex ſe eſſe efficacem, & non ex libero arbitrio, ſed ſui natura nullo modo poſſe caſſam reddi, ac ſine tali efficaci auxilio non poſſe voluntatem noſtram producere actus neceſſarios ad ſalutem.

Quod non tollitur libertas arbitrii, ſed remaneat ea ſaltem in ſenſu diviſo, ſecus in ſenſu compoſito. Senſus diviſus eſt conſiderando quid, quoad ſui naturam (nempe quod ſua natura voluntas libera eſt). Senſus compoſitus cum aliquo adjuncto, quo non poteſt effici, ut illud non ſit, ad quod praeordinatur a Deo.

XLII. Dicit Molina, quod licet gratia praeveniens praecedat noſtrum liberum arbitrium, & quod gratia cooperans non antecedit noſtrum liberum arbitrium, ſed concomitatur ſicut virtutum habitus ad opera moralia facienda.

Diſp. XXXIX.

XLIII. Quod gratia cooperans, neque tempore, neque natura praecedit influxum liberi arbitrii, ſed ſint ſimul, & ab invicem pendeant.

XLIV. Diſp. XLIII. Quod liberi arbitrii eſt ſe aptare, & praeparare, diſponere ad recipiendam gratiam praevenientem, ſicque homines cum Deo cooperari ad recipiendam gratiam praevenientem.

Conci-

XLV. (Concilium Arauſic. c. 20. Multa in homine bona fiunt, quae non facit homo: Nulla vero facit homo bona, quae non praeſtet Deus, ut faciat homo.
(Molina intelligit de actibus ſupernaturalibus infuſis per gratiam praevenientem. Vel intelligendum de operibus, quae ad finem ſupernaturalem ſpectant, nempe ad vitam aeternam.

Diſp. XLIV. LIII.

XLVI. Praedeſtinationem non ex electione, & efficacia auxiliorum ſed ex praeviſis meritis, ex uſibus liberi arbitrii. Ex his non perdi uſum liberi arbitrii in adultis aſſerit. Negat alios eſſe praedeſtinatos adultos, alios vero non.

XLVII. Quod efficacia auxiliorum pendet ex libero arbitrio. Quaeſt. XXIII. art. 4. & 5. Diſp. XI. de praedeſt. membr 4. contra eos diſſeritur, qui dicunt ante gratiam praevenientem praeviſum bonum uſum liberi arbitrii ex congruitate cauſam, vel rationem eſſe praedeſtinationis adultorum. (Hoc vere Molina, quia bene addit meram Dei voluntatem eſſe cauſam praedeſtinationis.)

Membr. 5. An poſt gratiam praevenientem praeviſus bonus uſus liberi arbitrii ſit cauſa, & ratio praedeſtinationis. Tenent plures eſſe cauſam quidem praedeſtinationis, non tamen ex merito, ſed ex congruentia, hi redarguuntur a a Molina, & bene.

XLVIII. Molina pag. 399. ait, & alibi ſaepe, dari poſſe, ut duobus in peccato mortali exiſtentibus, & Deo largiente aequalem utriſque gratiam, alter reſurgat, alter non reſurgat.

XLIX. Item effici poſſe, ut alteri majorem gratiam conferens, ille non reſurgat, & alteri minorem gratiam conferens, iſte reſurgat: ergo ex liberi arbitrii efficacia id dependet.

L. Molina ponit ſcientiam mediam, qua Deus ſcrutatur, quid quiſque ex libera voluntate facturus ſit, vel non facturus pag. 227. Sed non quia Deus intelligit, aliquid futurum eſſe, ſed e contrario, quia illud cognovit eſſe futurum intellexit, adeout ſcientia Dei non fuerit cauſa effectus illius, ſed potius ille effectus fuerit cauſa ſcientiae Dei. Haec pag. 232. 234. 238.

LI. Quae pendent ex libero arbitrio non dari aliquid verificari in ſenſu compoſito, quod non ſit in ſenſu diviſo pag. 234. a. 235.

2. 235. 1. eo quod non ſit determinatio divinae ſcientiae, antequam eveniant.

Error Pelagianorum. Dum admittunt gratiam in omnibus; praecedere tamen dicunt voluntatem, gratiam ſubſequi ſemper: Fides Catholica habet praecedere gratiam in omnibus ...... Ex Epiſtola Proſperi ad Auguſtinum pag. 543. infra, ubi ait: priorem volunt obedientiam eſſe, quam gratiam: ut voluntas hominis divinae gratiae ſibi pariat opem (non gratia humanam ſibi ſubjiciat voluntatem), ac ſupra, ſicque praevaricator quis dicatur, quia noluit, fidelis autem & juſtus quia voluit. Sicque voluntatem gratia ſequatur, cum e contra ex Epiſtola Hilarii ad Auguſtinum de ſententia Pelagianorum, non negari ab eis gratiam, ſi dicatur *tamen* praecedere voluntatem, quae gratiam volens, quaerat tantum Medicum, qui opem ferat, adjuvetur illa a gratia, non autem ab illa donetur, ut velit.

Auguſtinus ad Proſper. & Hilar. lib. 1. cap. V. in fine. „ Credere, vel non credere, eſſe in arbitrio voluntatis humanae, ſed in electis praeparatur voluntas a Domino. Multi audiunt verbum veritatis, ſed alii credunt, alii contradicunt. Volunt autem iſti credere, nolunt autem illi, Quis hoc ignoret? Quis hoc neget? ſed cum aliis praeparetur voluntas a Domino, & aliis non praeparetur, cum lib. I. c. 8. in illa verba Joannis: Omnis qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me „. Et infra: „ Nec unquam gratia, quae occulta humanis cordibus, Domini largitione tribuitur, a nullo duro corde reſpuitur, ideo quippe tribuitur, ut cordis duritia primitus auferatur „. Et cap. eod. inferius iſta ſubdit. „ Quod a Deo *paretur*, ut quis velit „; aitque: „ ſi non facit volentes ex nolentibus Deus, cur orat Eccleſia, ut perſecutores convertantur, ut velint. Quid ergo oramus pro nolentibus credere, credere niſi ut Deus in illis operetur, & velle?

Cap. X. „ Differentia inter praedeſtinationem, & gratiam. Praediſtinatio eſt praeparatio ad gratiam. Gratia eſt ipſa donatio. Differentia inter praedeſtinationem, & praeſcientiam. Praedeſtinatio ſine praeſcentia eſſe non poteſt, praeſcientia eſſe poteſt ſine praedeſtinatione „. Et infra: Ipſe facit, ut illi faciant, quod praecepit: non illi faciunt, ut ipſe faciat, quod promiſit, &c. .... Sententia eſt Pe- „ lagia-

lagianorum ſecundum merita noſtra gratiam dari, catholice ſecus gratiam gratis dari, cui datur, quoniam non volentis, nec currentis, ſed eſt Dei miſerentis.

Ex lib. 2. cap. 2. Catholica docet Eccleſia, gratiam Dei non ſecundum merita noſtra dari, quoniam dona Dei ſunt. Et cap. 6. At enim voluntate ſua quiſque deſerit Deum, ut merito deſeratur a Deo. Quis hoc negarit? Sed ideo petimus, ne inferamur in tentationem, ut hoc non fiat. Quod perſeverantia ſit ex dono Dei, gratia ejus, iſtud incipiens, & confirmans.

Voluntate ſua cadit, qui cadit: voluntate Dei Patris ſtat qui ſtat. Part. 1. cap. 8. & cap. 23. Bonum non tenemus niſi propria voluntate; non tamen teneremus, niſi in nobis ipſe operaretur & velle.

Hormiſda Papa Epiſtola ad Poſſeſſorem. „ De libero tamen arbitrio, & gratia Dei, quod Romana, hoc eſt Catholica „ ſequatur, & ſervet Eccleſia; licet in libris Beati Augu„ ſtini, & maxime ad Hilarium, & Proſperum poſſit agnoſ„ ci: tamen in ſcriniis Eccleſiaſticis expreſſa capitula conti„ nentur, quae ſi tibi deſunt, & neceſſaria creditis, deſti„ nabimus „. Haec Hormiſda.

Quaenam autem fuerint iſta capitula, in ſecundo Concilio Arauſicano continentur, miſſa ipſa ab Apoſtolica Sede ad Galliarum Epiſcopos, ut ipſi ejus Concilii praefatione teſtantur, his verbis: „ Unde & nobis ſecundum auctorita„ tem, & admonitionem Sedis Apoſtolicae juſtum, & ratio„ nabile; viſum eſt, ut pauca Capitula ab Apoſtolica nobis „ Sede tranſmiſſa, quae ab aliis Patribus de certis ſcriptu„ rarum voluminibus in hac praecipue cauſa collecta ſunt „ adverſus eos, qui aliter, quam oportet, ſentiunt ab om„ nibus obſervanda proferre, & manibus propriis ſubſcribe„ re deberemus „.

In ejus Canone 4.

Si quis, ut a peccato purgemur voluntatem noſtram Deum expectare contendit, non autem ut etiam purgari velimus, per Spiritus Sancti infuſionem, & operationem, in nobis fieri confitetur; reſiſtit ipſi Spiritui Sancto, per Salomonem dicenti: *Praeparatur voluntas a Domino*: & Apoſtolo ſalubriter praedicanti, Deus eſt qui operatur in nobis velle, & perficere pro bona voluntate. Cujus Canonis ſenſus pendet,

pendet a doctrina S. Auguſtini lib. I. ad Profperum, & Hilarium, ubi hoc oſtendit, voluntatem non praecedere gratiam, ſed gratiam ipſam praecedere, & diſponere voluntatem, ut bene velit, non ut tollat liberum voluntatis arbitrium, ſicut cum ait, volunt autem iſti credere, nolunt autem illi.

Quis hoc ignoret? quis hoc neget? ſed aliis praeparatur voluntas a Domino, aliis non praeparatur, Lib. I. cap. V., & lib. II. cap. VI.

At enim voluntate ſua quiſque deſerit Deum, ut merito deſeratur ab eo. Quis hoc negaverit? Et cap. 23. Donum non tenemus niſi propria voluntate, non tamen teneremus, niſi in nobis operaretur & velle.

In Concilio Lugdunenſi in profeſſione Fidei ex ſententia ſupradicti edita a Lucido Presbytero: „ Ita autem aſſero „ gratiam Dei, ut ad niſum hominis, & conatum gratiae „ ſemper adjungam, & libertatem humanae voluntatis, non „ extinctam, ſed attenuatam, & confirmatam eſſe pronuncio „.

In Concilio Tridentino ſeſſ. VI. de juſtificatione cap. V. „ Tangente Deo cor hominis per Spiritus Sancti illuminationem, neque homo ipſe nihil omnino agat, inſpirationem illam recipiens, quippe qui illam & abjicere poteſt, „ neque tamen ſine gratia Dei movere ſe ad juſtitiam coram illo libera ſua voluntate poſſit „. Et Seſſione VI. Canone IV. „ Si quis dixerit, liberum hominis arbitrium a Deo motum & excitatum, nihil cooperari aſſentiendo Deo excitanti atque vocanti, quo ad obtinendam „ juſtificationis gratiam ſe diſponat, ac praeparet, neque „ poſſe diſſentire ſi velit, ſed velui inanime quoddam nihil omnino agere, mereque paſſive ſe habere, anathema ſit.

De efficacitate gratiae S. Auguſtinus ad Proſperum, & Hilarium c. 8. pag. 550. C. D. ait. „ Haec itaque gratia, quae „ occulte humanis cordibus divina largitate tribuitur, a „ nullo duro corde reſpuitur. Ideo quippe tribuitur, ut „ cordis duritia primitus auferatur „. Haec Auguſtinus, illud declarans: *Nemo venit ad me, niſi Pater meus traxerit eum*. Et illud: *Omnis, qui audivit a Patre, & didicit, venit ad me*. At Auguſtinus non dicit *a nullo duro*

corde reſpui poteſt, ſed *reſpuitur*: non voluiſſe ſignificare; quae in eiſdem libris tradit, ſecundum ea, quae ſuperius dicuntur.

LII. Semipelagianorum eſt dicere, quod voluntas hominis divinae gratiae pariat opem; non gratia humanam ſibi ſubijciat voluntatem. Haec ex Epiſtola Proſperi ad Auguſtinum Tom. 7. Aug. pag. 543. in fine. Eſt hic error Molinae, qui ait, gratiam ex libero arbitrio efficaciam ſumere. Sana ſententia eſt: Non ideo quis adjuvetur, quia voluit, ſed quia adjuvatur, ut velit, ſemperque gratiam praecedere voluntatem.

LIII. Semipelagianorum eſt ſententia, ut per naturalem facultatem, petendo, quaerendo, pulſando accipiat, inveniat, & introeat, hiſque bonis naturae bene uſus, ad ſalutarem gratiam initialis gratiae ope meruerit pervenire. Item Proſper ad Auguſtinum pag. 543. 6. Huic affinis eſt Molinae ſententia, qua ait, qui facit, quod in ſe eſt, Deus non denegat gratiam: ſicque, ut ait Proſper, gratiam comitem non praeviam faciat humanorum meritorum, eamque illis volentibus ſubdere.

LIV. Semipelagianorum eſt, praeſcientiam aſtruere humanorum meritorum, non eorum, quae Deus ipſe facturus eſſet, ibidem Proſper. Affinis eſt his ſententia Molinae, qua aſſerit eſſe praeſcentiam in Deo boni uſus liberi arbitrii, qui licet gratiam non mereatur accipere, aliquid tamen operari.

LV. Semipelagianorum eſt, ut perſeverantia praecedenti libero humano arbitrio tribuatur. Hilarius ad Auguſtinum pag. 545. Eſt his affinis Molina. Contrarium ſentit omnino S. Auguſtinus, ut perſeverantia omnino ſit donum Dei, & gratiam liberum praevenire arbitrium, ipſum actum volendi perſeverantiam:

Semipelagianorum eſt aſſerere, cauſam praedeſtinationis eſſe bonum uſum liberi arbitrii, non Dei voluntatem ſimpliciter. Ibidem Hilarius. Contra haec pluribus Auguſtinus.

S. Auguſtini aſſertae ſententiae contra Semipelagianos, quod fides ſit mere donum Dei, toto libro de praedeſtinatione Sanctorum.

Quod & perſeverantia mere ſit donum Dei, toto libro de bono perſeverantiae.

Quod ſemper praeparatur electis a Deo voluntas, ut velint omnino pag. 549. Quod

Quod ſemper electis ea gratia tribuatur, quae a nullo duro corde reſpuatur, pag. 550. quae ideo tribuitur, ut primitus cordis duritia auferatur.

Quod praeſcientia Dei, eſt eorum operum, quae ſit ipſe facturus, pag. 551. 2. c. non quod homines, ſed quod ipſe tantum facturus eſſet, quoniam ipſe facit, ut illi faciant. Ibid. 2. c. & pag. 552. 1. a.

Quod non eſt in hominis poteſtate, ut non impleatur, quod promiſit Deus, & per conſequens non eſſe in hominis praedeſtinati poteſtate, ut non ſit praedeſtinatus, Deo operante, ut hoc velit, & donat quod promittit, pag. 552. a. 6. illa Deus promittit ſe eſſe facturum, quae jubet, ut faciat. 2. e.

Quod nulla eſt ex meritis praeſcientia, qua quid futuri eramus, praeſcivit Deus, ſed ut eſſemus, praeſcivit. Ergo quae ipſe eſſet facturus, ut tales eſſemus. 556. Col. 1. B. E.

Praeſcentia Pelagiana, eſt dicere, Deum praeſciviſſe, quales futuri eſſemus, & veritas Catholica eſt, praeſciviſſe Deum, quales nos ipſe facturus eſſet, adeo ut non hominis opus, ſed ſuum praeſciverit Deus.

Quod viribus liberi arbitrii, tentationes vinci non poſſint. Aug. de ..... lib.

Quod gratia ſemper praevenit liberum arbitrium, *Ad Julianam* de viduitate.....

Quod liberum arbitrium ad bonum inefficax, niſi per gratiam. Ibidem.

EPISTOLA CLXIII.

CAESARI CARD. BARONIO.

JUSTUS BARONIUS VETERACASTRENSIS.

Gratias agit de facultate libros prohibitos legendi a Sancta Inquiſitione ejus opera obtenta, ac mittit libellum Pſeudo-jubilaei Vittembergenſis adverſus Hunnium.

ACcepi facultatem S. Inquiſitionis Romanae, tua mihi opera impetratam, pergratam ſane illam mihi, atque antiquiſſimis exemplis, ſi de ratione taceam corroboratam. Ita enim (1) Plato palam in legibus ſuis: Poeta, inquit, praeter civitatis leges & jura, item honeſta, & bona, ne quid componito, & quod compoſuerit, ne cui privatorum ante oſtendere fas eſto, quam judicibus ſuper hac re conſtitutis legum cuſtodibus oſtenſa ea, approbataque. Ita (2) Valerius de Numae libris. Eos quia aliqua ex parte ad diſſolvendam religionem pertinere videbantur L. Petilius Praetor Urb. ex auctoritate Senatus per victimarios igne facto in conſpectu populi cremavit. Ita denique (3) Laertius (quae ſingula etiam (4) Lipſius noſter obſervavit) de Protagora: libros ejus Athenienſes in foro combuſſerunt, per praeconem eos a ſingulis qui habebant colligentes. Quamobrem quod in hoc Sanctum Eccleſiae inſtitutum tam mordaciter, ut ſolent (5), haeretici invehuntur; inſaniunt, nec advertunt illud Apoſtoli (6): Profana & inaniloquia devita. Multum enim proficiunt ad impietatem, & ſermo eorum ut Cancer ſerpit. Et illud alterum (7) haereticum hominem poſt unam & ſecundam correptionem devita. Sciens quia ſubverſus eſt, qui ejuſmodi eſt, & delinquit, cum ſit proprio judicio condemnatus. Nimirum haec eſt illa (8) amara colocynthis, haec (9) mors in olla, quam filii Prophetarum guſtare non potuerunt. Ceterum illud, quod facultati meae conditionis loco intextum reperio, de mittendis ſemper novorum librorum foetibus in Urbem, non ſatis aſſequor. Aut enim itali-

co

(1) Lib. 7. de legib.
(2) Valer. Max. lib. I. cap. I.
(3) Lib. IX. in Vita Protagor.
(4) Lib. adverſ. Dialogiſt.
(5) Franc. Junius praef. indicis expurg.
(6) 2. Tim. 2. 17.
(7) Tit. 3. 10.
(8) Galen. lib 6. ſimplic. medicam.
(9) 4. Reg. 4. 40.

co more ſcriptum eſt, aut de grandibus ſolum voluminibus, quae poſteritatis memoriam expectant, accipiendum. Nam in ſubitis & extemporaneis ſcriptionibus noſtris, quae ut orbes ac patinae in oblatrantes intempeſtive canes, ita illae in ſubito incurſantes haereticos jaciuntur, neſcio utrum cautelae tantum, aut curae requirendum ſit; cum & hic diligentiae nihil ab ordinariis Cenſoribus praetermittatur: & mea illa παιζόμενα (de meis enim loquor) nihil ſint aliud, quam (1) Hemerobii Hiſpanici; aut (2) herbulae ſolſtitiales. Sed tamen quia (3) obedientiam meliorem ſcio victima, & in dubiis ſecuriora praeferenda ſunt, libellum Elenchticum, quem jam ab reditu in Hunnium Pſeudo jubilaei Wittebergenſis promulgatorem adornabam, abdicare potius, atque in alienum quaſi nomen, in alienam familiam transferre, quam vel minimum a praeſcripto Superiorum exorbitare malui. Tu Vale Illuſtriſſime Domine, ac me nihilominus hoc dubio ſolve. Mogunt. Non. April. MDCIII.

EPISTOLA CLXIV.

CAESARI CARD. BARONIO

JUSTUS BARONIUS VETERACASTRENSIS.

Opus ab ſe in haereticos nuper confectum, ac Pſeudo-Jubilaei Wittembergenſis titulo inſcriptum, quod Baronius ſe nondum vidiſſe Serario ſcripſerat, ad eum humaniſſime mittit.

SUmmo mihi fuerat pretio redimendum (4) (tuis te verbis nunc alloquar Illuſtriſſime & Reverendiſſime Domine) ut amplitudo tua dignaretur accipere, quod amantiſſimis litteris a me ſibi poſtulat impertiri. Ecquid illud eſt? inquis. Dicam ſimul, & faciam. Scribis Serario noſtro, Pſeudo Jubilaeum meum Wittebergenſem nondum vidiſſe te, deſiderare autem quam maxime. Quid mihi gratius, quid jucundius, quidve honorificentius accidere potuiſſet (agnoſcis (5) tuae iterum Epiſtolae verba) quam ut mea qualiſcunque feſtinata lucubratiuncula a tali tantoque Romanae Eccleſiae principe, cujus acerrimum judicium, exqui-

(1) Plin. li. 11. cap. 36.
(2) Plaut. In poenul.
(3) 1. Reg. 15. 22.
(4) Epiſt. ad Marc. Fugger. tom. I. Ann. praefixam.
(5) Ibidem.

exquiſitam doctrinam, ego caute fugerim, vel fugere merito atque exhorreſcere debebam, ſponte ſua deſideraretur? Animavit me profecto haec voluntas tua, atque in eam etiam ſpem erexit, ſi quid forte minus ad guſtum tuum, aut accuratum illum ſummorum artificum tornum fuerit, facilioris me veniae apud te locum inventurum. Accipe igitur tenuem libellum, & non meo tantum ſtudio, verum etiam operarum ut vereor negligentia, plus ſatis rudem. Mantiſſae loco Serarius adjecit D. Chryſoſtomi Florum novum opus. Ego dicaculi in te ac Bellarminum Stapletoniumque (me neſcio quomodo (1) Saulem Prophetis etiam accenſuit occaecatiſſimus homo) haeretici Satyram, cui utrum reſpondendo, an ſilendo ſatisfieri expediat, ego equidem non decerno. Vos conſilium capite, & quod placuerit, mandate. Faciam obſequendi vobis voluntatem, probem, ſi non pugnandi dexteritatem.

De ſuppreſſo vero nomine meo in Anti-Jubilaeo, nec dum rationem aſſequeris? Illuſtriſſime obſecro ne quid fraudis aut degeneris timoris ſuſpicare. Una mihi inquiſitio veſtra prae oculis fuit, cui quia de mente dubius, ad unguem parere malui quam vel minimae inobedientiae aleam ſubire. Tu tamen ſi forte pinguius a me acceptam Bullam opinabere, eamque (quam mitto) (a) de ſolidis atque aeternis voluminibus, ſicut ipſe magis magiſ-

(1) 1. Reg. 10. 11. 12.

(a) Hoc eſt exemplar facultatis S. Inquiſitionis legendi ac retinendi libros prohibitos ad Baronium tranſmiſſum, & a nobis ex apographo exſcriptum.

Dominicus tituli S. Mariae, in Transtyberim, Pinellus: Frater Hieronymus Bernerius, tituli S. Laurentii in Lucina, Aſculanus: Paulus Sfondratus tituli S. Caeciliae: Camillus tituli S. Chryſogoni Burghelius: Franciſcus tituli S. Crucis in Hieruſalem, Avila: & Pompejus tituli S. Balbinae, Arigonius nuncupati, Presbyteri, miſeratione divina S. Romanae Eccleſiae Cardinales in univerſa Republica Chriſtiana adverſus haereticam pravitatem generales Inquiſitores a Sancta Sede Apoſtolica ſpecialiter deputati: dilecto nobis in Chriſto Juſto Baronio Germano ſalutem in Domino ſempiternam. Cum in generali Congregatione S. Romanae & univerſalis Inquiſitionis habita in Palatio Apoſtolico apud S. Petrum coram SS. D. N. D. Clemente divina providentia Papa VIII. ac nobis die infraſcripta pro parte tua ſupplicatum fuerit, ut tibi quoſcumque haereticorum, ſeu alias prohibitos libros legendi & retinendi ad effectum eorum haereſes & errores redarguendi & confutandi licentiam concedere dignaremur: nos quibus in primis cordi eſt, ut omnis haeretica pravitas è mentibus hominum tollatur, ac ſummopere cupientes, ut S. Catholica, & orthodoxa fides ubique floreat & augeatur, auctoritate Apoſtolica nobis in hac parte commiſſa: tibi, de cujus doctrina, prudentia, & in fidem catholicam ſinceritate, quibus apud nos fide dignorum virorum teſtimonio commendaris, plane confidimus, ut omnes & quoſcumque libros haereticorum, ſeu alias prohibitos etiam in Indice Romano librorum prohibitorum damnatos, ad effectum ut praemittitur, haereſes & errores in eis contentos redarguendi & confutandi, ſecreto & per te ipſum tantum & ſine aliorum ſcandalo aut periculo legere & retinere libere & licite poſſis & valeas, licentiam & facultatem ad quinquennium proxime futurum ab infraſcripta data numerandum dumtaxat duraturam, tenore praeſentium damus,

magiſque reor, interpretabere: fac per Deum quamprimum ſciam. Leviſſimi operis erit admiſſi erroris emendatio. Vale Moguntiae MDCIII.

EPISTOLA CLXV. (a)

CAESARI CARDINALI BARONIO

ISAAC CASAUBONUS. (b)

Exercitationes in Annales Eccleſiaſticos ſe in lucem edidiſſe, certiorem eum facit.

IMpulere nos amici quidam, Illuſtriſſime Baronii, ut *Hiſtoriae Auguſtae* Scriptorum qui *Suetonium* ſequuntur, editionem concinnaremus, ipſoſque cum obſervantiunculis redderemus ad

damus, concedimus, & impartimur; non obſtantibus in contrarium facientibus quibuſcumque. Injuncto tamen tibi, ut tam praeſentium litterarum exemplum, quam librorum prohibitorum praedictorum, quos hujuſmodi noſtrae facultatis vigore legere aut retinebis; notam quamprimum exhibeas Ordinario loci, ubi te morari contigerit, ut tempore hujus facultatis elapſu, vel poſt obitum tuum, ſi te interim forte ex hac vita migrare contigerit, libri praedicti ei conſignentur, ut provideat diligenter, ne ad aliorum manus perveniant, ſed per ipſum tradantur igni comburendi. Volumus praeterea, ut ſi te ſcribere aliquos libros contingat, priuſquam eos typis mandes, aut evulges, ad hanc S. univerſalem Inquiſitionem Romanam mittere tenearis. In quorum omnium & ſingulorum fidem & teſtimonium praeſentes litteras gratis expeditas per infraſcriptum noſtrum Officiique ejuſdem S. Romanae & Univerſalis Inquiſitionis Notarium fieri fecimus, & manibus noſtris ſubſcriptas ſigilli S. Inquiſitionis praedictae, quo in talibus utimur, juſſimus appenſione muniri. Datum Romae in generali Congregatione dictae S. Inquiſitionis 4. Kal. Decemb. anno a Nativitate D. N. Jeſu Chriſti MDCII. Pontificatus SS. in Chriſto Patris & D. N. Clementis divina providentia Papae Octavi, anno undecimo.

Subſcriptiones Cardinalium ſupra nominatorum.

Quintilianus Adrianus S. Rom. & Univerſalis Inquiſitionis Not.

(a) Contulimus hanc Epiſtolam cum editione Epiſtolarum Iſaaci Caſauboni; quae Brunſuigae prodiit ann. 1651. in 4. cura Johann. Georgii Graevii; extatque numero CCLXXXVIII. pag. 331.

(b) Hic Calvinianae haereſi addictus Genevae natus eſt die VIII. Februarii 1559. Pariſiis artes liberales docuit, ſpoponderatque Cardinali Perronio ſe haereſim ejuraturum; ſed Henrici IV. lugubri morte adveniente ſententiam mutavit, & quaſi fugitivus anno 1610. ex Gallia in Angliam tranſiit. Archiepiſcopi Cantuarienſis precibus a Jacobo I. Brittanniae Rege benigne exceptus eſt. Ita Heribertus Roſvveidus in praefatione adverſus ejuſd. Caſauboni exercitationes. Richardo (non Jacobo ut habetur in collatione epiſtolarum Pauli Colomeſii) Montacutio Epiſcopo Bathonienſi a Petro Molinaeo Calviniſta commendatus fuit ſuis litteris an. 1610. Ad ejus peritiam in ſcientiis quod attinet, teſtatur eum, in philologicis, ac linguis virum verſatiſſimum eſſe, quoad perfectam rerum cognitionem magis memoriam, quam judicium exercuiſſe. Igitur Montacutio ſuadet Molinaeus ut illum impelleret ad compilandas exercitationes adverſus Baronii Annales; quod opus incoepit Caſaubonus anno 1612., multis datis litteris ad ſuos Collegas jactationibus plenis Baronium perſuadendi, ac profligandi. A plurimis rogatus eſt, ut ſuſceptam ſcribendi provinciam deſereret, ſed fortis in ſua ſententia manſit, juxta Mericum Caſaubonum illius filium in libro (cui titulus) *Pietas contra Maledicos patrii nominis, & Religionis hoſtes,* Londini 1621. Deinde edito poſt epiſtolas Caſau-

ad intelligendum faciliores. Eram quidem, & a ſcriptis Codicibus (nam editos ἐλλησι βρύων, noſti tu optime) & ab aliis ei incoepto neceſſariis praeſidiis parum inſtructus: ſed quum hoc me ii viri rogarent, quibus denegare poteram nihil, voluntati ipſorum pro virili morem geſſi. Contuli enim dictos auctores cum Regiae bibliothecae exemplari, cujuſmodi illud eſſet; ac notas etiam in eoſdem ſcripſi, illas quidem uberiores longe quam ab initio cogitaram. At quoniam perſuaſi ſumus, noſtras te eſſe, aliquid putare nugas, librum editum confeſtim ad te mittere voluimus, & ut poſſemus, occaſionem hactenus ſtudioſe quaeſivimus. Verum ea eſt locorum intercapedo, ut ejus rei, aut nulla, aut oppido rara facultas exiſtat: nos certe invenimus adhuc plane nullam; deinceps ſi ſe aliqua forte obtulerit, ea utemur. Speramus enim non involupe futurum tibi, ſi quando a gravioribus curis vacas, his litteris otium tuum oblectare, quarum juxta amantem & peritum eſſe te ſcripta tua loquuntur. Itaque profeciſſe nos per te, non ſemel ſumus profeſſi, quod ſi leviter aliquando rationes aut expoſitiones noſtrae a tuis diſſident, modeſtiam in ſcriptis noſtris deſideraturum eſſe te, ampliſſime Baroni, non putamus. Errare, falli, ac decipi facile, ut homines

&

Caſauboni Gronovianae editionis p. 1. pag. 74. Summo dolore fuit Caſaubonus affectus, quod Montacutius eum plagii reprehendiſſet, ac ſi illius ſpicilegia ſibi adjudicaſſet. Ad eumdem itaque Montacutium litteris datis die XIV. Decembris 1612. ab hujuſmodi crimine ſe abſtergere conatur. Fatetur argumenta a Montacutio conſarcinata, paucis immutatis ſuis diſputationibus convenire, capitum ſeriem eamdem fere eſſe, auctorum loca eadem, propoſitum idem de Praeſidum Syriae numeratione, diſputationes pro Joſepho eaſdem: ſed alte queritur, a Montacutio id tantum quaeſitum, ut ſpicilegia deſcripta probaret, aſſerit Pontificios in riſum diſſoluturos, quum pugna haec ad illorum notitiam pervenerit. Caſaubonus etiam plagii Montacutium accuſat epiſtola 848. data Kal. Januarii 1613. Ex illis, qui hortati ſunt Caſaubonum, ut a ſcribendo in Baronium deſiſteret, fuit clariſſimus Andreas Schottus Societatis Jeſu datis ad eum litteris idibus Jan. 1612. in quibus eum monet, ut Polybium expurgare potius pergat, quam in aliud certamen deſcendat. Tandem prodierunt Caſauboni exercitationes XVI. in eccleſiaſtic. Annal. Londini anno 1614. in 4 praefixa iiſdem nuncupatoria epiſtola ad Jacobum Britanniae Regem, additiſque prolegomenis, in quibus de Baronianis Annal. ipſe diſputari ait. Sed exercitationes annum Domini XXXIV. non excedunt. Francofurti ann. 1615. recuſae ſunt, & Genevae anno 1655. In dedicatoria tamen epiſtola Baronium ſummis laudibus effert, atque de eo ſcribit magnis ſuis laboribus ſacram Purpuram promeritum fuiſſe, ſuaque diligentia, novo exemplo in contexenda eccleſiaſtica hiſtoria univerſali, & iis omnibus, quae per totum orbem Chriſtianum memoria digna geſta ſunt, in unius narrationis ſeriem & formam Annalium digerendis, ea perfeciſſe, de quibus ante ipſum per pauci cogitarant, quum nemo ſimile quid umquam ediderit. Eadem repetit in prolegomenis, ubi & addit, ea Baronii fuiſſe in Eccleſiam merita, quae ſi immoderato ſtudio partium (inquit ipſe Caſaubonus) non corrupiſſet, dignus erat ſine controverſia, cui omnes & veteres, & recentiores, qui illam eruditionis partem umquam attigerunt, aſſurgerent, & faſces ſubmitterent. Caſauboni exercitationes vix in lucem prolatae tam ab haereticis, quam a Catholicis non ſine ſtomacho receptae fuere. Deceſſit Kal. Julii ann. 1614.

& ἔτι δικαίως μόνον poſſumus : cognitae veritati repugnare , neque in hoc , neque in ullo litterarum genere , umquam cum bono Deo convinci poterimus. Vale praeſtantiſſime Vir. *Luteciae Pariſiorum*, *Nonis Maii*, ἀπὸ τῆς ἐνσάρκου τοῦ λόγου οἰκονομίας Anno MDCIII.

EPISTOLA CLXVI.

CAESARI CARD. BARONIO

NICOLAUS FABER.

Epiſcopum Bellovacenſem Romam venientem ad ſacra limina ei primum commendat; deinceps nonnulla habet de Epiſtola Geberti, & de duabus Epiſtolis Neſtorii haereſiarchae.

NUnquam mihi commodior ad tuam Amplitudinem aliquid mittendi , Cardinalis ampliſſime atque doctiſſime , quam haec ſeſe obtulit occaſio , nunquam tamen quod tuis ſtudiis uſui eſſe poſſet , minus in manu fuit.

Reverendus enim Epiſcopus Bellovacenſis (*a*) non ſolum nobilitate generis, dignitate, atque auctoritate clariſſimus, verum etiam bonarum omnium diſciplinarum cognitione, rerumque divinarum ſcientia ornatus, tuarum praeterea virtutum ſummus admirator ad Sanctorum Apoſtolorum limina proficiſcens litteras a me petiit, quibus ad te ſibi facilior pateret aditus: & ſi quid perferri vellem, adjunxit ſe pro ſummo beneficio habiturum, ſi perferendum acciperet. Guido Leiſellus, & Franciſcus Dolu in Senatu Pariſienſi Senatores egregii, doctrina pariter, atque optimarum rerum ſtudiis non vulgariter inſtructi, tui etiam nominis ac gloriae ſtudioſiſſimi qui cum ipſo Reverendo Epiſcopo illud iter ſuſceperunt, idem a me multis precibus poſtularunt. Etſi autem non ita . . . . nus ſim ut meam commendationem apud virum Principem omnibus animi , ac ingenii ornamentis cumulatiſſimum, in excelſo etiam poteſtatis, atque auctoritatis gradu collocatum aliquid ex ſe poſſe mihi perſuadeam, ita tamen tuam

(*a*) Eſt Renatus Potier Pariſiis nobili genere natus & ab Henrico IV. Galliarum Rege Bellovacenſis Epiſcopus nominatus. Conſecratus eſt anno MDXCV. Comitiis Pariſienſibus annis MDCXIV., & MDCXV. Interfuit, quo tempore orationem habuit Cleri Gallicani nomine pro reſtituendis Epiſcopis, & inſtauranda religione Catholica in provincia Benearnenſi. Multis graviſſimis legationibus coram Rege, ſacro Conſiſtorio, Comitiis generalibus, dioeceſaniſque conventibus claruit, de quibus Arnaldus Cardinalis Oſſatus lib. II. epiſt. LXII. Eo Epiſcopo Capuccini Bellovaci recepti ſunt. Obiit magnae exiſtimationis Praeſul, die IV. Octobris an. MDCXVI.

in me benevolentiam eximiis tuis Annalibus omnibus palam fecisti; ut maximis viris, quos cum noris, ultro (quae tua eſt erga doctos, & probos animi propenſio) amplectere, mihi etiam arctiſſimo familiaritatis, ac conſuetudinis vinculo conjunctis, eam diſſimulare, vel ejus fructum denegare nec potuerim, aut debuerim. Quapropter, Illuſtriſſime Cardinalis, a te majorem in modum peto, atque obſecro, ut tibi addictiſſimos viros, quibus omnia debeo, ac cupio pro tua ſingulari humanitate comiter excipias, & ſi quid in me conferre meis precibus adduci poſſis, id in illos conferas. Quod etſi gratiae tuae, atque comitati, non meae commendationi acceptum referendum erit, in eo tamen adeo gratum mihi facies, ut ſi qua acceſſio veteribus tuis beneficiis fieri poſsit, quibus totus in aere tuo ſim, haec una ſit. Finem ſcribendi facio, ſi his adjunxero Epiſtolam eam Gerberti, quam mitto, vereri ne antea miſerim, adeo verum eſt quod quidam veterum dixit, memoriam primam eſſe in quam ſenectus incurrat. Epiſtolas autem duas Neſtorii Hereſiarchae ex veteri Concilii Epheſini Codice ejuſdem cum Contiano interpretationis ſumptas eſſe multo quidem ampliore Contiano Codice (cum in iſto non pauca habentur quae nec in editione Graeca invenias) ſed a tineis, & blattis ita male accepto, ut nullum ſit in eo folium, cujus non media pars exeſa ſit. Vale Cardinalis maxime atque eruditiſsime, tuumque Fabrum, qua ſoles benevolentia proſequere. Ann. Chriſti MDCIII.

EPISTOLA CLXVII.

CAESARI CARDINALI BARONIO

NICOLAUS FABER.

Chriſtophorum Puteanum juvenem eruditiſſimum Romam adeuntem ei commendat. Gratias agit de accepta facultate retinendi legendique libros prohibitos. Mittit quaſdam epiſtolas Lanfranci Archiepiſcopi Cantuarienſis.

NEmo eſt eorum, qui hinc pietatis, ac doctrinae ſtudio impulſi urbem iſtarum virtutum ſedem, & domicilium inviſunt, Cardinalis Illuſtriſſime atque eruditiſſime, qui non facile ſe deſiderio ſatisfacturum putet, ſi tuae amplitudini innoteſce-

re

Digitized by Google

re ad eamque acceſſum aliquem ſibi comparare poſſit. Siquidem in te vivas eruditionis atque pietatis imagines conſpecturos veneraturoſque merito ſibi perſuadent. Cum autem nemini obſcura eſſe queat tua in me benevolentia, quam publice clariſſimis ſcriptis, privatim infinitis cum in me, tum etiam in eos, qui mea commendatione uſi ſunt, beneficiis teſtatus es, proxime vero in Reverendiſſimum Epiſcopum Bellovacenſem, duoſque Conſiliarios Regios, in quos ita liberalitatem tuam effudiſti, ut nullum honorem ſibi haberi potuiſſe praedicent, qui a te ſit praetermiſſus: in quo viros honeſtiſſimos tuaeque dignitatis ac nominis ſtudioſiſſimos & me ipſum nunquam interitura gratia devinxiſti; cum, inquam, perſpecta ſit omnibus egregia tua in me voluntas, multos ut tibi commendem neceſſe eſt. Id autem eo libentius facio, quod in re, quam tanta animi alacritate praeſtas, minus eſſe moleſtus verear. Etſi vero nulli hoc commendationis officium contulerim, cui non maxime deberem, nemini tamen homini, minus quam huic doctiſſimo adoleſcenti Chriſtophoro Puteano (a) Illuſtriſſimi Cardinalis Joyoſæ Protonotario denegare debui. Nam praeter inſignem, & non vulgarem utriuſque linguae cognitionem, praeter diſciplinarum omnium, quibus ingenui adoleſcentes imbui ſolent, juriſque civilis notitiam, præter mores probos, & ſupra aetatem moderatos, ac verecundos, quibus tua gratia per ſe dignus eſt, patrem habuit regium Senatorem, & patruum in eximia nominis Jeſu Societate religionem profeſſum omni virtutum ſcientiarumque genere cumulatiſſimos, & inter principem quemque ſui ordinis habitos cum quibus ſumma mihi ab ineunte adoleſcentia ad ultimum uſque eorum vitae diem interceſſit animorum ſtudiorumque conjunctio, ac neceſſitudo. A ratione autem alienum eſſet, ac injurium, ſtudioſiſſimum adoleſcentem, qui cum haereditate paterna, ejus quoque laudem, & gloriam crevit, atque egregie ſuſtinet, neceſſitudinis paternae fructu, ideſt officiis patris virtuti debitis, atque amicitiae defraudari. Quamobrem, Cardinalis ampliſſime, hunc adoleſcentem ita tibi commendatum velim, ut vehementiori ſtudio non poſſim. Quod cum ipſius adoleſcentis cauſa

(a) Filius fuit hic primogenitus Claudii Puteani Juriſconſulti celeberrimi. Ex Romano ſuo itinere in Galliam regreſſus, Carthuſianorum Religioni ſeſe addixit. Precibus Cardinalis Barberini Romam denuo venit, ubi Procurator Generalis ſui ordinis renunciatus eſt. Obiit die XXVIII. Junii MDCLIV. Edidit collectionem, cui titulus Perroniana, dum Cardinalis Perronius magni Eleemoſinarii Regis Galliarum officio fungebatur.

ſa facio, cui omnia cupio, tum etiam in ea re utilitati publicae inſervire me exiſtimo. Nam cum is a Deo Opt. Max. nactus ſit ea omnia, quae comparandis ſcientiis neceſſaria ſunt, ingenium excellens, comprehenſionem facilem ac firmam, memoriam tenacem, & judicium acre, ac limatum, praeterea ſtudium indefeſſum, corpus labori ſufficiens, moreſque compoſitos, ingenio atque rationi obſequentes, facile mihi perſuadeo, ſi iſtum diſcendi ardorem, quo ad ſecularia ſtudia ab ipſis incunabilis raptus eſt, ad litteras ſacras tranſtulerit; & AEgyptiaca illa ſpolia quibus abunde onuſtus eſt aedificando Dei vivi tabernaculo impendere voluerit, favente divina benignitate, quae nunquam non adeſt conatibus optimis, in magnum Eccleſiae lumen evaſurum. Ad id autem minimo negotio adduci ſuſpicor poſſe, quod Juri Civili potius operam dederit, ut ſuis ſatisfaceret, quam ſibi. Nam a tumultu forenſi plane eſt alienus. Si qua re autem poteſt, nulla magis, quam congreſſu, ac conſuetudine nobiliſſimorum Theologorum, quibus Urbs referta eſt: imprimiſque praeclariſſimo tuo exemplo, & graviſſimis exhortationibus, quas ei non defuturas confido. In eo enim & ſacrificium Deo acceptiſsimum obtuleris, & tua pietate, atque charitate, quam in reliquis vitae partibus in ſumma dignitate conſtitutus erga omnes exhibes, dignum fèceris, gratiſsimumque adoleſcentem immortali beneficio obſtrinxeris. Nam me pluribus nominibus obligatum habere potes, addictiorem vero, vel magis tuum minime. Quo ſit, ut qua fronte pro me te rogem tuo aeri penitus immerſus non videam. Facultas tamen tenendi libros prohibitos, quam ingenti tuo beneficio ſum conſecutus, propediem defitura, verecundiam exuere cogit. Quare vir maxime atque humaniſsime, magnopere abs te peto, ut & hoc tuum beneficium nova facultate in reliquum vitae tempus, quo de ea re in poſterum moleſtus tibi ne ſim, ſuſtineas. Has petitiones meas Lanfranci (*a*) inſignis quondam Epiſcopi epiſtolis fulcire viſum eſt, quae

(*a*) Hic patria Papienſis adhuc adoleſcens in Normanniam venit in Beccenſi Monaſterio inter Monachos aggregatus, inde Prior Monaſterii ſui, mox Abbas eſt renunciatus. Demum ad Archiepiſcopatus Cantuarienſis dignitatem evectus eſt, non modo Cleri Cantuarienſis, ſed etiam Procerum Aulicorum, totiuſque Populi conſenſo an. MLXX. In Conc. Rom. ſub Nicolao II. Summo Pont. an. MLIX. catholicam fidem adverſus Berengarium acerrime propugnavit, eumque ita convicit, ut hareſim ejurare, librumque ſuum in ignem conijcere cogeretur. Sed ad vomitum quum ille rediiſſet, ac libellum contumelioſum contra Synodum Romanam & Humbertum Cardinalem edidiſſet, librum de Corpore & Sanguine Domini ſcripſit Lanfrancus. Vir non minus pietate, quam doctrina eximius obiit ann. MLXXXIX. Praeter praefatum librum ſcripſit adnotationes in noo-

quae ſeculum undecimum , quod nunc tractas illuſtrare poterunt. Vellem licuiſſet & Aldhelmi Cantuarienſis (a) , quae in bibliotheca Sancti Victoris in Suburbiis Pariſienſibus ad ducentas , & quinquaginta latent . Sed ſi te earum deſiderium tangit , majore poteſtate opus eſt , ideſt Reverendiſſimi Apoſtolici Nuncii auctoritate , qui tuo nomine illas exſcribendas ab hujus domus Priore facile impetrabit. Si quid ad hanc rem conferre poſſim , tuo jure impera , nullum eſt enim officium , nullum obſequium, quod in te praeterire ſine foediſſima ingratitudinis labe poſſim. Vale ex Foſſatenſi Caſtro Kal. Septemb. MDCIII.

EPI-

nonnullas Joannis Caſſiani collationes Patrum decreta pro ordine S. Benedicti, ſive ſtatuta Monachis in Anglia Benedictinis praeſcripta a Clemente Reynero primum edita Duaci MDCXXVI. Ex iis nonnulla a conſarcinatore quodam congeſta eſſe cenſet Dacherius. Commentarium brevem in omnes epiſtolas S. Pauli. Epiſtolas plurimas (quibus eccleſiaſtica diſciplina illuſtratur) partim ex Codicibus pervetuſtis Bibliothecae Cottonianae & Monaſterii S. Stephani Cadomenſis , partim ex Lanfranchi vita, & Hadmeri hiſtoria depromptas. Denique libellum edidit de celanda confeſſione. Lanfranci opera ejuſque vitam in lucem edidit Lucas Dacherius Ordinis S. Benedictini Congregationis S. Mauri Monachus doctiſſimus. Eum plurimi fecit Alexander II. qui diſcipulus ejus fuerat: ipſum honorifice ac peramanter excepit Romae, Pallioque duplici donavit , uno ex Altari ſumpto , ſecundum morem , altero quo idem Pontifex in celebratione Miſſarum utebatur. Eumdem ceu Patrem & amicum S. Anſelmus coluit , eique parentavit carmine quod Robertus de Monte refert in appendice ad Sigebertum. Eum celebrant Eadmerus in vita S. Anſelmi & lib. 1. hiſtoriae novorum, Sigebertus lib. de Scriptoribus eccleſiaſticis cap. 155. Honorius Auguſtodunenſis lib. IV. cap. XIV. Guillelmus Pictavenſis de geſtis Guillelmi Normannorum Ducis & Anglorum Regis , VVillelmus Malmesburienſis lib. de geſtis Pontificum Anglorum & lib. III. de geſtis Regum, Odericus Vitalis lib. IV. hiſtoriae Eccleſiaſticae.

(a). Sanctus iſte monachus S. Benedicti Abbas Monaſterii Malmesburienſis, deinde Schireburnenſis apud Saxones occidentales Epiſcopus obiit die XXV. Maii an. DCCIX. Venerabilis Beda lib. V. hiſtoriae eccleſiaſticae Anglorum cap. XIX. eum appellat *virum undequaque doctiſſimum ; ſermone nitidum , & ſcripturarum tam liberalium , quam eccleſiaſticarum eruditione mirandum*. Sigebertus libro de ſcriptoribus eccleſiaſticis cap. LXVI. VVillelmus Malmesburienſis lib. I. de Regibus Anglorum cap. II. lib. II. Harpsfeldius, & alii illius cum laude meminerunt. Hiſtoricum ejus elogium habetur parte I. Seculi III. Benedictini, ex quo diſcimus S. Egvvinum VVicciorum Epiſcopum , ejus aequalem , S. Oſmundum Sarisberienſem Epiſcopum ſeculo XI. Eadmerum Cantuarienſem ſeculo XII. S. Aldhelmi vitam in litteras retuliſſe. Adhuc Abbas librum contra errorem Brittonum , qui vel Paſcha non ſuo tempore celebrabant , vel alia eccleſiaſticae paci contraria gerebant, jubente Synodo ſuae gentis ſcripſit. De laudibus Virginitatis librum alium ad exemplum Sedulii geminato opere & verſibus & proſa edidit (inquit Beda): Nonnulla alia ſcripſit , nempe librum metricum de octo vitiis, aenigmata, & epiſtolas quaſdam. Opera ejus in Bibliotheca Patrum extant, Colonienſi tom. VIII. & Lugdunenſi tom. XIII.

EPISTOLA CLXVIII.

ALLI MOLTO RR. PP. RETTORE, E PADRI DELLA CONGREGAZIONE DELLA B. VERGINE DI LUCCA.

CESARE CARDINAL BARONIO.

Hortatur eos, erga Ven. Joannem Leonardum, ita ſe gerant, ut ſuſceptum ab illo de Congregationis regimine relinquendo conſilium, haud exequutioni mandari permittant, praeſertim quum illud & Pontificiae & ſuae voluntati opponatur.

HO da ragguagliare le RR. VV. d'un penſiero, nel quale perſevera il noſtro P. Giovanni Leonardi (*a*) d'alcuni meſi in quà non ſenza particolar mio diſpiacere. Ha fatto più volte iſtanza a me, & a noſtro Signore di volerſi ritirare da ogni ſorte di governo della Congregazione, e liberarſi da faſtidj di eſſa, per poter vivere con quiete, e ſenza briga. E benchè Sua Beatitudine non abbia mai voluto acconſentire all'effettuazione di queſto ſuo proponimento, ne datoli pure ſodisfazione d'aſcoltarlo, nondimeno egli perſeverava a domandarlo, e non ceſſava di raccomandarſi. Io concorrendo con la buona mente di Sua Beatitudine l'ho ſempre diſſuaſo, & ho cercato di divertirlo, a non voler laſciare la pia impreſa, non meno fatta a Dio, che alla ſalute del proſsimo; ma in ſomma mi ſono avveduto, che per rimuoverlo da queſto ſuo penſiero era neceſſario valerſi dell'autorità di noſtro Signore, e farli forza a quietarſi, talche conoſcendoſi il biſogno, che ha la Congregazione di Capo, e Superiore, ſi è riſoluto per volere della Santità Sua, che il P. Giovanni pigli, e continui queſto carico, come primo Iſtitutore, eletto già per capo delle RR. VV. e come perſona di tanto giudizio di tanta eſperienza, di tanta bontà, e di tanta prudenza con piena autorità, come ſi conviene a tal' offizio, & ad eſſo debbano obedire tutti quelli, che vorranno vivere nella Congregazione; e così ſi fuggiranno tutte le occaſioni di novità, per eſſer comune opinione, ch'egli il tutto governi

(*a*) Venerabilis hujus Joannis Leonardi e Decimo Lucenſis ditionis caſtello oriundi ac Congregationis Clericorum Regularium Matris Dei Fundatoris vitam deſcripſit primum Franciſcus Leonardus, poſtea Ludovicus Maraccius, ac nuperrime Carolus Antonius Erra Mediolanenſis ejuſdem Congregationis: ad quem lectores remittimus.

verni. Se gli è dunque ordinato, & a queſti di quà ſi è fatto ſapere, e con la preſente ſi manifeſta anco alle RR. VV. che eſſo P. Giovanni governi, e regga con la ſolita prudenza. Alla giornata poi le RR. VV. potranno maturare l'altre coſe, che ſpettano al buon governo della Congregazione; e intanto confido, che accetteranno volontieri queſta buona riſoluzione di noſtro Signore, e mia, e ſi moſtreranno tali verſo di lui, che abbia a pigliar animo di portar queſto peſo allegramente per ſervizio di Dio, con reſtare anche il governo di queſta Caſa di Roma, finchè ſia bene incamminata, e che le coſe piglino maggior incremento. Inoltre ſe li vorranno dare due, con i quali ſi conſigli, e de'quali pigli i voti nelle coſe, che ſi determineranno, ſi potrà fare nella prima Congregazione, con che mi raccomando all'orazioni di tutti, e gli deſidero da Dio ogni bene. Come Fratello Ceſare Card. Baronio. Roma 19. Settembre 1603.

EPISTOLA CLXIX.

AL MOLTO ILLUSTRE E REVERENDISSIMO MONSIGNOR VESCOVO DI LUCCA. (a)

CESARE CARDINAL BARONIO.

Idem Argumentum.

SE ſi trattaſſe di far nuova elezione del P. Giovanni per il governo de' RR. PP. di Lucca, converrebbe mettere in eſecuzione quanto V.S. ſcrive per la pace comune. Ma eſſendo detto Padre già molti anni ſtato eletto Prepoſito perpetuo di

(a) Eſt hic Alexander Guidiccionius Nicolai filius. & Bartolomæi Guidiccionii Cardinalis nepos, cui jam ab anno MDXLIX. quo idem patruus Card. extremum diem obiit, in Epiſcopatu Lucenſi ſucceſſerat, quamvis ejus Eccleſiae poſſeſſionem non ante annum MDL. inierit, & anno ſequenti a Card. Piſano pallio (quo more inſtitutoque majorum iidem Lucenſes Epiſcopi decorari conſueverunt) fuerit exornatus. Commiſſæ ſibi Eccleſiæ adminiſtratione ſuſcepta, adeo pie ſancteque illam multorum annorum ſpatio rexit gubernavitque, ut in eo Cardinalis patruus vir optimus atque clariſſimus revixiſſe videretur. Nam praeterquamquod nihil quod ad vigilantiſſimi paſtoris munus integre atque rite obeundum pertineat, in ſe deſiderari paſſus eſt unquam; ea praeterea caritate ac benevolentia in egenos extitit ut in eorum inopia ſublevanda omne ſuum ſtudium cogitationemque conferret. Et quamvis an. MDLXI. Pontificis Max. juſſu, Alexandri Card. Farneſii in Avenionem Vicelegatus proficiſci coactus fuerit; tamen duobus poſt annis eo functus munere ad Eccleſiam ſuam rediit, in eaque uſque ad obitum permanſit, qui anno MDXV. contigit. Plura fortaſſe quam inſtituti noſtri ratio pateretur de hujus viri laudibus;

di detta Congregazione, non veggo, che ſi alleghi coſa ſufficiente, ne apparente, per volerlo di tal grado deporre. Egli è perſona publica, Miniſtro di Sua Beatitudine in molte commiſſioni, quali hà ſpedito onoratamente, e ſe ne ritrova ben ſervita. Che ora ricevi tale affronto da ſuoi, ſenza pure una piccola ſua colpa, Sua Santità non è per comportarlo. Fò fede ampliſſima della modeſtia di detto Padre, che mi ha pregato più volte di voler eſentarſi da tal governo. Ma a noſtro Signore non pare per ora, maſſime procedendoſi dopo tanti ſuoi meriti così ingratamente da alcuni de ſuoi. Del reſto non credo quello, che per preteſto loro pongono innanzi, che detto Padre non ſia grato alla Republica, che eſſendo loro giuſtiſſimi, come devo penſare, non devono aver in odio, ne perſeguitare chi non ha fatto mai altro, che bene a detta Republica. A noi tocca a difendere l'innocenza degl'Uomini da bene, così prego V.S. (come conviene al ſuo offizio Paſtorale) proteggere l'innocenti, riprendere li diſcoli, aſſicurare chi aveſſe vano ſoſpetto di detto Padre. Altro non mi occorre, che ſalutandola, offerirmele di buon cuore. Roma 25. Ottobre 1603.

EPI-

dibus, ideo ſumus perſequuti, quod eo Epiſcopo Ven. Joannes Leonardus exorſus eſt inſtituere Congregationem Clericorum Beatae Virginis, obtentaque Eccleſia Sanctae Mariae de Corte Orlandinga, ibi futuris Clericis domicilium paravit, ut communi convictu vitam exigerent. Placet autem hoc loco referre, quae in hujus laudem Congregationis habet Ferdinandus Ughellius in Ital. Sac. tom. 1. col. 891. primæ edit. „ Hujus „ (inquit) novæ Societatis ſtatutis pon„ dus adjecit Clemens VIII. decrevitque ut „ immediate ſanctae Apoſtolicae Sedi com„ mendata ſubeſſet, additis multis aliis gra„ tiis, & privilegiis, quibus ſuffulta poſſet „ ulterius progredi. Adhuc tamen Romam uſ„ que tantum protulit fines, quum ejuſdem „ alumnis idem Clemens VIII. Eccleſiam „ S. Mariae de Porticu attribuiſſet....... „ Exquiſita diligentia alioreque urgent di„ vinum cultum, ſacramentiſque adminiſtran„ dis indeſeſſam adhibent operam, non alie„ ni a litterarum cultura, &c.

EPISTOLA CLXX.

ALLI P. RETTORE, E PADRI DELLA CONGREGAZIONE DELLA B. VERGINE DI LUCCA

CESARE CARD. BARONIO.

Idem Argumentum.

HO veduto, & aſcoltato volentieri li Padri, che di coſtà ſono venuti in Roma, e da eſsi hò inteſo a pieno li motivi, e le ragioni delle RR. VV. notificatomi per prima da queſti altri Padri di quà, delle quali hò dato conto a Sua Beatitudine inſieme colla nuova iſtanza fatta dal P. Giovanni, e fatta anco fare da altre perſone, per liberarſi dal peſo, e dal faſtidio ingiontogli, ma la Santità Sua con tutte le ragioni addotte, e gli ufficj rinovati perſevera nel medemo penſiero, e non moſtra di volerſi mutare, dal che ſi deve tenere, che ſia Divina diſpoſizione, e come tale deve accettarſi dalle RR. VV. e da tutti gl'altri, acquietandoſi a quanto ſi è fatto, & avvertendo a non innovare coſa alcuna ſenza ſaputa, e conſenſo di eſſo P. Giovanni, perchè diſpiacerebbe aſſai, e biſognarebbe darne avviſo a Sua Beatitudine. Li due Padri ſe ne tornano, e con eſsi anco il P. Giuſeppe, da' quali ſi eſporrà più a lungo quanto paſſa. Altro non mi occorre, che offerirmi al ſolito nelle coſe loro, & aſsicurarli, che ſarò ſempre apparecchiato in ajuto, e protezione delle RR. VV. a me tanto più care, quanto che ſono figliuoli di quella Città, verſo la quale porto non poca affezzione per le buone relazioni, che da queſti mi ſono ſtate rinovate di eſſa; in ſervizio di cui ſono pronto d'affaticarmi in ogni oneſta occorrenza con tutto il mio potere, come già ne ho dato qualche poco di ſaggio a preghi del P Giovanni nelli tempi più travaglioſi delle guerre, e raccomandandomi all'orazioni, e ſacrificii di tutti, le prego da Dio ogni lor vero bene.

Delle RR. VV. come fratello il Cardinal Baronio. Perſeverate nella ſanta oſſervanza, che averete me ſempre ſervo in ogni voſtro biſogno. Roma 14. Novembre 1603.

EPISTOLA CLXXI. (a)

CESARI CARD. BARONIO,

ANGELUS GRYLLUS ABBAS CASSINENSIS (b).

De beneficiis ſibi collatis grates reddit.

Bacio la mano a Voſtra Signoria Illuſtriſſima del foglio ſtampato, che l'è piaciuto di farmi haver pur hora dalla man del ſuo Segretario con la memoria delle miracoloſe ceneri di S. Gio: Battiſta, conforme all' autentico, che il Signor Paolo Grillo mio fratello procurò da Genova. La qual doverà ſtimar nell'avvenire di eſſer molto più celebre del paſſato per la poſſeſſione di queſte ſantiſſime ceneri, mediante l'autorità dell' immortal penna di Voſtra Signoria Illuſtriſſima; la qual, ſi può dire, che mettendole di nuovo alla publica luce del mondo ne' ſuoi Annali, dì nuovo le habbia cavate da una ſpetie di privata ſepoltura, & inſieme cavato me dalle tenebre dell'oblivione, havendomi honorato co'l favore della ſua sì pretioſa, e dal mondo sì ſtimata teſtimonianza, in volumi di tanta importanza e di tanto nome. Il che tengo per un degniſſimo pegno di glorioſa immortalità, e per una perpetua carta della mia eterna obli-

(a) Extat haec epiſtola in opere, cui titulus: Lettere del Reverendiſſimo P. Abate D. Angelo Grillo Volume primo. In Venezia MDCXVI. appreſſo Gio: Battiſta Ciotti in quarto alla pagina 305.

(b) Angelus Gryllus Januenſis Ord. D. Benedicti Congregationis Caſſinenſis Abbas, ad optimarum artium ſcientiam ac praeſertim ad poeſeos ſacrae ſtudium, atque etiam Etruſcae linguae, cujus erat cupidiſſimus animum praecipue adjunxit. Qua in re brevi tempore eos fecit progreſſus, ut inter nobiliſſimos ſui temporis poetas, interque viros eruditionis laude præſtantes haud extremum locum obtineret. Quamobrem & ſummorum virorum quos ea ætas extulit amicitiis maxime floruit & nominatim Torquati Taſſi, cujus egregium ac numeris omnibus abſolutum poema, omnis admirabitur poſteritas. Conſtat quidem Grylli amicitiam, magnum Torquato attuliſſe adjumentum quum inopia rei familiaris premeretur. Equitum etiam Baptiſtae Guarini, & Joan. Baptiſtae Marini qui tunc temporis poetices quoque laude præſtabant aliorumque ſummorum virorum qui Romanam frequentabant Humoriſtarum Academiam animos Gryllus ſibi mire conciliavit. Ut literarum ſtudiis impenſius ac liberius operam poſſet navare, adeo a publicis muneribus ſuſcipiendis atque obeundis abhorruit, ut Epiſcopatus duos alterum Aleriae in Corſica, alterum Albingae in Liguria diverſis temporibus a Paulo V. Pont. Max. Dominico Card. Pinello curante, ſibi oblatos, accipere recuſaverit. Obiit Parmae an. MDCXXIX. menſe Septembris, ac in templo S. Joannis quod ejus curationis fuerat, ſepultus eſt. Duo epiſtolarum volumina edidit, ac varii generis rhythmos quamplures. Qui plura de Angelo Abbate Gryllo ſcire deſiderat, adeat Hierarchiam Eccleſiaſticam Liguriae, Acta Academiae Humoriſtarum, Ghilinum in theatro virorum illuſtrium, Laurentium Craſſum in elogiis, & Janum Nicium Erythraeum in Pinacotheca prima num. CXXXI. Quibus adde Franciſcum Ruggierum, Joan. Bapt. Laurum, Bernardum Morandum, & Bernardum Juſtinianum in libro Scriptorum Ligurum.

obligatione. Et Dio Noſtro Signore, dal quale ſolo aſpetta ella i premii, & che ſolo può renderle egual guiderdone, mi eſaudiſca per mezzo del ſuo glorioſiſſimo Precurſore, mentre lo prego per ogni maggior felicità, & contentezza di Voſtra Signoria Illuſtriſſima, alla qual m'inchino, & di nuovo bacio la mano. Di Roma

EPISTOLA CLXXII.

FLORIMUNDO RAEMUNDO (*a*).

CAESAR CARD. BARONIUS.

De Joannae Papiſſae imagine quae Florentiae adſervabatur hortatu ſuo a magno Hetruriae duce amota, eum certiorem facit, quod tamen veluti triumphum eidem Raemundo deberi profitetur.

TArdius ſcribo ut opportunius ſcriberem, remque ex ſententia geſtam ſignificarem: cujus teſtes litteras Sereniſſimi magni Ducis Hetruriae his junxi. Egi apud Sanctiſſimum. Egi cum collega ornatiſſimo ac Illuſtriſsimo Cardinali Senenſi, & ipſe apud Magnum Ducem. Omnes paratiſsimi inventi ſunt, ſe excuſantes non ſine rubore neſciſſe, quod ultra montes adeo vulgatum innotuit (*b*). Nullo obice, res quam feliciſsime con-

(*a*) Florimundus Raemundus Vaſco, Senator Parlamenti Burdegalenſis Gallice ſcripſit librum cui tit. *Error popularis de Joanna Pſeudo-Pontifice, dicta Papiſſa*, Latine poſtea verſum a filio Joanne Carolo Raemundo, qui liber prodiit Gallice Burdegalae anno MDCV. Latine vero Coloniae an. MDCXXIV. Vide hac de re Sagittar. introduct. in Hiſt. Eccl. cap. XXVI. pag. 683. ex eoque conjectari poteris, quo tempore dederit Baronius hanc ad Raemundum Epiſtolam. Cujus quidem Raemundi mentionem habet idem Ven. noster Cardinalis in Annal. ad an. DCCCLIII. num. 56. 57. 62. & 67. Vide etiam Pagium ad an. DCCCLIII. n. 14. 15. 16. 17. Buddeum in Iſagog. Hiſt. Theolog. tom. II. p. 916. Michaelem a S. Joſeph in Bibliograph. Critica tom. III. pag. 264. nec non Adr. Bailletum in Judic. eruditor Gallice tom. VI. part. II. pag. 125. Sed de hac *Joannae Papiſſae* fabula, prorſus conſulenda eſt Claudii Sarravii Epiſtola (quae eſt CLXXVIII. pag. 181. 182. editar. a Burmanno) ad Salmaſium data, ubi de Blondello Joannam Papiſſam oppugnante, deque Camerio. Petro Molinaeo, & Bocharto idem ſentientibus teſtatur. Vide ejuſdem epiſt. CXXXVIII. pag. 143. & CXL. pag. 145. & CXLVI. pag. 151. quibus locis fabulam eſſe & ipſe propugnat. Tandem obiter notandum, ſub Florimundi Raemundi nomine circumferri *Hiſtoriam de haereſum ortu, progreſſu, & ruina*, Gallice MDCXXIV. Pariſ. in quarto & ante, nec non latine Col. 1612. & 1655. cum continuatione ad ann. MDCL. editam, quam Ludovici Richeomi Galli; Societatis Jeſu Sacerdotis viri celeberrimi partum eſſe, teſtantur Mareſius de Papiſſa Joann. pag. 205. Blondellus de eadem, Placcius in Catalogo Pſeudonymorum pag. 195. aliique; quamquam P. Alegambe in Biblioth. Soc. Jeſ. factum hoc plane ſilentio involvat.

(*b*) Vide Mabillonium Muſ. Ital. tom. I. part. I. pag. 26. 27. 57. 157. 158. & Montfauc. Diar. Ital. pag. 348.

Digitized by Google

fecta eſt. Subdubitabam ne auctoritas S. Antonini Archiep. Florentini Florentinum Principem retardaſſet. Sed Dei benignitate patenti veritati ceſſare omnia. Deo ſit gloria de Imagine vana proſtrata. Tibi tamen debentur trophaea atque triumphus, triumphaliſque ſtatua nobili inſcriptione notanda. *Vindici veritatis*. Vale.

EPISTOLA CLXXIII.

CAESARI CARD. BARONIO.

JUSTUS BARONIUS VETERACASTRENSIS.

Johannis Adami Archiepiſcopi Moguntini obitum deplorat, quem rei Catholicae maxime incommodum fuiſſe affirmat.

QUamquam hoc novo vertentis anni ingreſſu, quem nobis omnibus fauſtum, felicemque eſſe volo, laeti ominis cauſa, laeta potius quam triſtia aut funeſta ſcribere cupiebam, Illuſtriſsime ac Reverendiſsime Domine, tamen cum aeterna illa ac mirifica coeleſtis providentiae vis, cujus nutu ſupera, infera, media inperveſtigabili ordine rotantur, funeſtare potius quam ſerenare hujus anni primordia voluerit, non eligere materiam ſcribendi, ſed oblatam accipere coactus ſum. Erat vix recens Archiepiſcopatus hic noſter Moguntinus, qui inſtar muri aehenei haereticorum in Germania furioſiſsimis conatibus obſiſtit, a luctu Illuſtriſsimi Praeſulis ſui D. Wolffangi, piiſsimae memoriae, feliciter reſtauratus: cum ecce triſtiſsimo atque inſperatiſsimo caſu die abhinc octavo properantibus in vindictam noſtram fatis in eandem calamitoſiſsimam viduitatem ſuam relabitur, amiſſo optimo ac fideliſsimo paſtore ſuo D. Johanne Adamo: qui febri maligna correptus, uno octiduo decumbens, deſperata medicorum opera, ſanctiſsimis Sacramentorum pharmacis inſtructus conſtantiſsima fide Catholica, Aſchaffenburgi in Hybernis animam Deo reddidit. Cujus obitum tanto gravius omnes hic merito ferunt, quanto erat ille Princeps ad contemnendas haereticorum minas animoſior, ad repurgandas Eccleſias cupidior, ad promovendam Catholicam fidem publicamque tranquillitatem ſtudioſior. Sed eſt in tanta jactura haec una nobis ſpes reliqua, Deum Optimum Maximum, qui nunquam Eccleſiam libidini praedaeque hoſtium plane expoſitam voluit praeclararum hujuſmodi virtutum ſemina inter Illuſtres Capituli Metropolitani

ni proceres non parca fruge reliquiſſe, aliudque nobis germen (quod ita ſuperi bene faxint) proxima electione, cui XIII. Calend. Martii dies ſtatutus eſt, excitaturum, unde ſi non majores, aeque ſaltem magni ac nobiles fructus enaſcantur. Percrebuit & hic fama de aliorum quorundam in Germania Principum Catholicorum obitu. Sed quia illi tuto adhuc fidere non audeo, a nominibus abſtineo, donec certiora perferantur: interea tu Vale Illuſtriſsime Cardinalis, ac neceſsitatem tantae Eccleſiae, quae revera hic ab Romana proxima eſt, precibus Domino Deo jugiter commenda. Mogunt. XVII. Calend. Februarii MDCIV.

EPISTOLA CLXXIV.

CAESARI CARD. BARONIO

J. EPISCOPUS EBROICENSIS.

Pro novis beneficiis ſibi collatis apud ſummum Pontificem grates reddit.

Fecit pondus operis, ſub quo jamdiu ſudo & anhelo, Cardinalis Ampliſsime, ut donec ſub praelum iret, quod prope diem, Deo annuente, futurum ſpero, litterarum inducias tecum paciſcerer; verum nova beneficiorum acceſsio, quibus me a te cumulatum, renuntiatum eſt, ut eaſdem inducias, rupto ſilentio, violarem, effecit. Acceperam ſane a multis fide dignis teſtibus, & praeſertim ab ipſo rerum noſtrarum columine Cardinali Aldobrandino, dum Lugduni glorioſiſsimam illam legationem obiret, quanto ſtudio tu me & mea proſequereris. Te enim ſecum de me conſilia ſaepe communicaſſe, & verbis bonam in nos SS. Pontificis mentem foviſſe, narrabat. Sed ut abhinc, neque temporis diuturnitas, nec litterarum infrequentia, nec tot in animum tuum incurrentia negotia, quidquam de illo erga me ſtudio detriverint, omnem expectationem vicit. Perge igitur, Card. Ampliſsime, me, ut ſoles, patrocinio & officiis colere, ut ego te obſervantia, & obſequio. Eſt penes me grande laboris mei monumentum brevi in publicam lucem proditurum, ubi ſaepe de te praeclara incidit mentio (a). A me non inhonoratus abibis.

Vale

(a) Perroniana verbo *Baronius* haec habent: „Le bon homme Cardinal Baronius „ s'eſt bien trompe en beaucoups de lieux de „ ſon hiſtoire. Dans l'hiſtoire de Baronius „ Il y a de grands mécontes; il ſe trompe „ infinis endroits: il n'eſt nullement „ exacte, même au ſtile ſeulement il y a du „ travail beaucoup. „ Quis porro ex ore Perronii haec prodiiſſe credat? Nulla certe conventio cum iis quae in opere ab eo ſubindicato profert in laudem Baronii.

EPISTOLA CLXXVI.

ANTONIO TALPAE

CAESAR CARD. BARONIUS.

Nonnulla cum eo agit de occaſione, ob quam de Siciliæ Monarchia tractatum conſcripſerit, multaque demiſſi & a dignitatibus abhorrentis animi ſigna oſtendit.

NON ſcriſſi la ſettimana paſſata per impedimento della ritornata da Fraſcati; hora circa della ſcrittura ſopra la Monarchia di Sicilia, deve ſapere, che Pio V. mandò per queſto il Card. Aleſandrino in Spagna, e Gregorio XIII. trattò queſto negozio per il Nunzio Facchinetto, che fù Innocentio Papa, ne mai ſe ne potè cavare coſtrutto ..... le quali relazioni tutte ſono appreſſo di me, di modo che ſenza queſta mia, ſono però corſe molte Scritture di queſta materia in Spagna, ne hanno profittato niente, hora con l'occaſione neceſſaria di trattare queſta materia, mi è parſo dover trattarla con ogni ſtudio, & arte, e con tal ſtile aculeato, come che così convenghi ad un Cardinale della S. Chieſa, a chi tocchi ciò per officio a non portar fra denti, con tutto ciò per compiacere al giuditio di V. R. hò mutato il principio, & alcuna coſa di eſſe di dentro, acciò ſempre ſia riſervata la riverenza, qual ſi deve alla Maeſtà Regia: deve ſapere di più, che l'hà viſta S. Beatitudine, alla quale è parſo, che ſi debba ſtampare mitigata alquanto, come hò detto, il medeſimo è parſo ad alcuni Illuſtriſſimi, il che fò molto volentieri, ſperando ſe non altro da queſto rieeverne utile non mediocre per ſalute dell'anima mia di conſervarmi in grado umile, dando tal occaſione a Spagnoli di moſtrarmeſi contrarii nelli Conclavi, ſe pur vi arriveremo; il che non è di poca importanza, ma queſto riſpetto ſia tenuto in ſecreto da V. R. alla quale ho voluto mandare detta ſcrittura per intendere, come poſſa eſſere ricevuta, e in tutto il Regno, non per diſtogliermi dalla promulgatione di eſſa, quale è con volontà di S. Santità. Di Roma li 7. Nov. 1604.

EPI-

EPISTOLA CLXXVII.

CAESARI BARONIO CARDINALI

M. ANT. BONCIARIUS.

Carmen de Deiparae Virginis triumpho ſe moliri certiorem eum facit, queriturque blande viros Principes ſuas muſas multis laudibus extuliſſe, nullo tamen unquam munere donaſſe.

QUamquam me non exiſtimo ad effectum mei conſilii poſſe pervenire ; tamen ſtatutum muſis noſtris eſt, conari aliquam gratiam tuis ſingularibus erga me ſtudiis referre praedicando ; nec admodum diu eſt, cum alterum epos, Te potiſsimum adhortante, atque animos faciente, molimur, Deiparae Virginis Triumphum. Sed dicam Tibi, Vir integerrime, homo ſimplex & apertus. Miſi olim ad Clementem Pontificem Lyricos verſus, quos Tu dilaudabas, de Ferraria recuperata: & ille hoc nobis mandatum remiſit per honeſtiſsimos viros, Vinciolum de Vinciolis, & Julium Caeſarem Stellam, ut grave aliquid pangeremus in ſacrum annum ſecularem, qui jam currere coeperat. Feci, non dicam eleganter, ſed ſtrenue tamen, atque (ut doctis videbatur) perappoſite: illam deſcribens vim conatumque Inferorum, quae non tam fabula, quam verax hiſtoria fuit, de ſacris Foribus (octiduo poſt, quam Eccleſiae mos ferret) patefactis. Vidit Pontifex Hieropylum meum, praebente Stella, cui dicaveram: vidit, commendavit; & fugam hoſtium, & ſuam victoriam libens agnovit, profeſſus ſe iterum triumphare, pompam ducentibus, & rem canentibus Camoenis. Ita mihi retuliſtis viri graviſsimi, & ſpectatae fidei proceres Eccleſiaſtici, quorum nihil intererat mecum loqui ad gratiam. Nec ita diu poſt Nepos ipſe, tunc Prior urbis, nunc Cardinalis, coram mihi affirmavit, adeo complacitos magno Avunculo verſus illos meos, ut ſe juſſerit interpretari, ac memoriae mandare. Jam tum Silveſter aliquot mihi recitabat & cantabat memoriter. Quid iſthaec tamen ad rem noſtram? Aut quorſum tandem evaſere? Dicam: ſine ſtomacho tamen, imo etiam cum joco. Videntur mihi, ut vulgo ſolet, conduxiſſe hominem coecum, & eum maxime pauperem, ad canendum: cantione autem finita,

nec

nec illaudata, dimiſiſſe raucum, defeſſum, famelicum, ſine prandio, ſine teruncio. Dixi ego perſaepe, quod nunc perſpicue cernitur, duriorem eſſe conditionem meam, quam mendicantium coecorum; illi namque poſtquam cantarunt, imo, & ante cantum, ſtipes adſtantium cogunt, & dantur petentibus non gravate, tacentibus ultro ingeri ſolent a pia gente. Mihi a locupletibus & Principibus viris cantus imperatur, cum plauſu excipitur, & nihil antea, nihil poſtea donatur. Itaque, decretum mihi erat artem deſerere inprimis laborioſam & minime quaeſtuoſam. Tu, Illuſtriſsime Baroni, revocas me in hanc arenam. Ecce iterum prodeo. Deus bene vertat, quem tibi adeo propitium atque faventem cupio eſſe, ut idem mihi contingas munerator, qui nunc es deprecator. Vale. Peruſiae, Nonis Januarii MDCV.

EPISTOLA CLXVIII.

CAESAR CARD. BARONIUS.

M. ANT. BONCIARIO. (a)

Carmen ſuum laudat, eique ingenue fatetur, ſe Principem haud multum propenſum in referenda eidem gratia reperiſſe.

CArmen tuum perlegi, & ut Princeps perlegeret effeci. Mihi ſummopere placuit, ille ſummopere commendavit. Etiam de Hieropylo injeci mentionem; meminerat & laudabat. Ceterum, non traham in longum ſpes tuas; nec te lactabo inanibus promiſsis. Non agnovi eam propenſionem gratiae referendae, quam ego ſperabam, & eximia tua virtus meretur. De meo ipſe ſiquid poſſum, vel potius quicquid poſſum, libenter ad te deferam. Perge modo, ut facis, rem literariam augere, atque ornare lucubrationibus tuis, unde longa poſteritas hauriet cum doctrina voluptatem, cum elegantia & leporibus pietatem. Vale in Domino. Romae. XII. Cal. Februarii MDCV.

(a) Conſule quae de M. Ant. Bonciario diximus tom. I. in notis ad Ep. XCIII. pag. 409.

EPISTOLA CLXIX.

SIGISMUNDO III. REGI POLONIAE &c. &c.

CAESAR CARD. BARONIUS.

Undecimum Annalium Tomum eidem dicat.

MAgnus ille vertex Apoſtolorum Chriſti Vicarius, Legislator Eccleſiae Petrus, inter alias, quas ſanciebat leges populo Chriſtiano ſervandas, quid ipſi regibus deberent, iſta brevi ſententia patefecit: *Regem honorificate*. Quod ſi tunc a ſuis, quibus ſcribebat, & ſervanda praeſcribebat, voluit ei, qui imperabat homini impio, daemonum cultori, Chriſtianis infenſiſsimo honoris obſervantiam nihilominus exhiberi, quanto id majori cum foenore a poſteris in Chriſtum credentibus exacturus eſſet pro Chriſtianis regibus, optimeque de Chriſtiana religione moerentibus? Propterea & nos, Sereniſsime Princeps, ut mei inſtituti aperiam rationem, conſuevimus honoris cauſa, qui ex praeſcripto Apoſtolicae legis debetur Regibus, poſt Eccleſiae Romanae Pontifices, quibus primitiae jure debentur, Annalium Tomos primariis Chriſtianae Religionis Principibus orthodoxis ſua cuique epiſtola dedicare, abſque ordine tamen & praerogativa eminentioris excellentiae, prout rerum geſtarum diverſa occaſio poſtularit, qua ratione factum, ut quae prima fuerat compellanda Caeſarea Majeſtas, ipſam Decimo Annalium tomo opportunius eo officio coluerimus. Cui cum tu, ſicut Regni dominio vicinior es, ita rerum geſtarum argumentis proxime jungaris, inſalutatum te praeterire non licuit; quem ut debito Regibus honoremus obſequio, ipſe Petrus exigit, qui ſuper ſuas leges invigilat. Cum vero ad haec illud inſuper accedat, quod ejus ſucceſſor Sanctiſsimus Dominus Noſter Clemens Papa Octavus, tui amantiſsimus ac pariter ſtudioſiſsimus, hoc ipſum ut facerem, habere ſe gratum oſtenderit: plane efficit, ut majori fiducia ad id praeſtandum aſſurgam, accurramque liberius, haud quaquam metuens, ne minus tibi placeat, quod ſentias tanti Pontificis voluntate munus impendi.

At vero, quanto majus nobis ex hac Pontificis ſuaſione pondus additum gaudemus, tanto cohibenda magis erit oratio, ne quid leve, aut ſolutum promat incauta, neve limites adulatio-nis

nis attingat, ſi liberior per latiſſimum tuarum laudum campum ſinatur excurrere; ſed potius moderationis froeno coercita intra terminos parcitatis ſe continens, nonniſi quae modeſta, ac ſobria, eademque ſeria ſibi eſſe conceſſa noverit atque haec ipſa conſtringat fibula brevitatis. Quod niſi fieret, diffiueret gravitas epiſtolaris in panegyrim, nuncupatio in encomium ſolveretur, digredienſque oratio ab inſtituto, redderetur auribus tuis ipſa moleſtior, jam his audiendis jugiter ad nauſeam uſque exſatiatis. Si haec enim ſemel ingrederetur, ubi ſubſiſteret? Quoniam duceret illud laudandi exuberans argumentum, cum tu unus inter tot Principes Chriſtianos virtutum merito dignus haberis conſilio & ſententia optimatum, qui praeeſſe deberes Regno Poloniae, multarum acceſſione provinciarum ampliſſimo? Vel quonam eam veluti torrens violentus abriperet copia aſfluens rerum in Regno abs te praeclare geſtarum, atque illud potiſsimum (ut reliqua praetermittam, quae quamvis grandia, magnoque digna Rege, minima tamen hujus comparatione ſint viſa) quod cum fidem Catholicam depreſſam admodum & afflictam, ac propemodum areſcentem inveneris; eam mox erectam, & illuſtratam, ſuo jam decore virentem, & nitore florentem magna omnium admiratione reddideris; ita ut qui terram denſis vepribus impietatis horrentem, haereſum ſpinetis incultam, atque in truculentarum belluarum luſtra converſam excolendam acceperas: hanc tua cultura, divina aſpirante gratia, frugiferam & amoenam, tanquam alterum manu Dei conſitum effeceris Paradiſum, ex quo & laetos tu ipſe fructus vitae decerpas, & alii flores, quibus immortales contexant tibi coronas.

Quod etſi qui adhuc ibi aliquot remanſerunt infelices cardui convertantur tandem (quod ſperamus) in lilia: quantis iſta erunt digna praeconiis? Quibus laudibus attollenda, atque encomiis toto Orbe Chriſtiano, longe lateque tubis eloquentiae perſonantibus, celebranda? Quo nomine ipſa, quae paſſa eſt in vita compedes in laudando, libera ſaltem in hortando fiat oratio, quae licet currenti poſſit videri ſuperflua, haud tamen deſiderio impellentis exiſtimari debet otioſa, & quae ne audiatur excludi; cum praeſertim, ut ſit efficax ſumat ſibi vires ex Pontificia intentione. Perge magnanime Princeps, perge, inquam, piiſsime Rex, Regem Deo charum imitare, qui dixit. *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos, & inimici facti ſunt mihi*,

 (de

(de quibus rurſum) *Perſequar inimicos meos & comprehendam illos, & non convertar, donec deficiant, & cadant ſubtus pedes meos.* Felix caſus, quo peccator, dum cadit a culpa, erigitur ad ſalutem, exurgit ad vitam, exaltatur ad gloriam: hanc utique ſumas licet de impietate vindictam, deque impiis Dei hoſtibus ultionem; quae ipſis etiam exoptanda ſit, atque expetenda, ſi modo ſuae ſalutis aliquam rationem aut ſenſum habeant. De hujuſmodi victoriis tibi ab Eccleſia in terra trophaea, & a Deo in coelo opto triumphos. Perge, iterum dico, ac perfice glorioſum, quod aggreſſus, opus, praeliare haec praelia Domini; qui te praecedet quem ſequaris ducem. Angelos habebis commilitones, & auxiliares copias Martyres, & Sanctos omnes, jam confert Eccleſia Catholica ſtipendia precum, & qui ei praeeſt ſummus Antiſtes, ad haec praeſtanda Apoſtolicam benedictionem impertit, aſpirat Chriſtus, cujus & nomine exhibetur, qui tibi non modo tyrannum haereticum, ſed ipſum etiam Principem infidelem, injuſtum Orientalis Imperii poſſeſſorem juſtis armis ſubiiciat; Regnum denique tuum ſic propaget, ut tranſgrediens anguſtos terminos terrae, divini tandem Regni conſortio ſuperes coeli cardines, & fines contingas aeternitatis, cum Deo in perpetuum regnaturus. Ut demum promamus, quod Majeſtati tuae, honoris cauſa, debitum munus offerimus: ecce exhibemus undecimum Annalium Tomum, totius vitae noſtrae labores, quem enim concepit adoleſcentia, formavit juventus, firmavit conſilio firmior aetas; eum modo peperit ultima ſenectus. Qui in lucem feliciter editus, expers vagitus infantium, uni tuae feſtivus arrideat Majeſtati, unum te nuncupet Regem, licet infans, ſcriptis tamen ipſe vocalis; quibus tanquam faſciis involutus, in volumen ſe exhibeat perlegendum; erit ejus tota lectio haud inutilis, opinor, nec prorſus ingrata; delectabit vero ipſa magis dulci memoria rerum antiquarum Poloniae, ut quibus veterum Regum fervens Chriſtiana Religio plurimum commendetur populique optime culta Fides Catholica praedicetur; aperiatur pariter memorandis atque admirandis exemplis tam Regum, quam populi erga Sanctam Romanam Eccleſiam, a qua Evangelium acceperant, ardens & flagrans ſtudium atque obſervantia; qua illi & provinciam primum ipſam Apoſtolicae Sedi penſitatione cenſus annui fecerint ſua ſponte vectigalem; & iſti ob idem Regnum poſtea jam collapſum, ſed ejuſdem Sanctae Sedis beneficio reſtitutum, gratitudinis ergo, capitatione perpe-

perpetuo ſe ſe conſtituerint eidem Romanae Eccleſiae tributarios. Haec tanta cum inter alia in eo omni fide teſtata reperies: recentiores plane ſcriptores eadem parum aequos praeteriiſſe, redargues. Sed & quod his omnibus preſtat, cum triumphum contineat Martyris, purpuram Sacerdotis, ſuo ipſius illuſtratam ſanguine, Martyris, inquam, ſanctiſsimi Stanislai Cracovienſis Epiſcopi, quem abs te ſcimus propenſiore ſtudio coli, & ut ab omnibus Catholicae Eccleſiae Chriſtifidelibus officio publico Pontificia auctoritate coleretur, tua cura perfectum: quin alacriore illum animo ſuſcepturus ſis minime diffido. Grato igitur & placido vultu accipe tot decoris notis inſignitum volumen, quod Apoſtolica lege debitum, a Domino Apoſtolico perſuaſum, ab Apoſtolicae Sedis Presbytero Cardinali honorificentiae cauſa tuae Majeſtati Apoſtolicum munus exolvitur. Vale, regnaque feliciter. Romae V. Kalend. Decembris Anno Salutis MDCIV.

EPISTOLA CLXX.

ASCANIUS CARDINALIS COLUMNA (a)

CAESARI CARDINALI BARONIO.

De iis quae Baronius circa Siciliae Monarchiam in undecimo Annalium volumine ſcriptis conſignaverat, judicium profert.

Obtuliſti mihi, ex Hiſpania redeunti, XI. ac poſtremum typis impreſſum Hiſtoriarum tuarum tomum. Pluribus rogatti precibus, ut quae *de Siciliae Monarchia* ſcripſeras, excurrerem

(a) Hic ab origine ultima nobiliſſimae ſtirpis Romanae generatus, patre M. Antonio Palliani ac Talliacotii Duce viro rerum praeclare geſtarum gloria clariſſimo, matre vero Felice Urſina lectiſſima foemina, uſus eſt. Avitae laudis aemulus quum ab ineunte aetate latinis ac Graecis litteris egregiam operam navaſſet, a patre poſtea in Hiſpaniam miſſus fuit. Ibi in celebri Salamantina Academia Pontificii Juris Doctor, in Complutenſi vero nobilium more Philoſophiae Magiſter effectus, non modo Juris utriuſque, ſed etiam Philoſophiae ac Theologiae inſignibus eſt decoratus, ita ut facile magnum docti eruditique viri nomen ſibi compararet. Hac fama permotus Sixtus Quintus P. M. eum abſentem (Philippo II. Catholico Rege poſtulante) in ſacrum Purpuratorum Patrum Senatum cooptavit. Praeter hanc ad Cardinalem Baronium Epiſtolam, edidit Orationem in funere Annae Auſtriacae Reginae Hiſpaniarum, oden de fructu Sublacenſis ſolitudinis, & opuſculum ad Rempublicam Venetam. Obiit Romae die 17. ſive ut aliis placet 18. Maii anno MDCVIII. aetatis ſuae anno XLII. ſeu verius XLIX. Vide Ciaccon. tom. IV. col. 170.

rerem attentius, & quae mea de illis eſſet ſententia, libere declararem. Statim ut id aggrederer, cupidus hinc me meus tibi gratificandi animus impellebat: hinc vero, ut ab incoepto deſiſterem, ſuadebat imbecilla totius corporis, praecipue oculorum, valetudo, defatigatio immenſo mihi itinere parta, domeſticarum, & externarum occupationum innumera multitudo. Noctu vero, quo tempore diurnis curis vacuus aliquid praeſtare poſſem, crurium & brachiorum dolor, nocturna fluxione ortus, ſic me torquet, ut omnem plane mihi, & legendi & dictandi uſum adimat. Acceſſit *Marci Antonii* Columnenſis familiae Principis pronepotis mei, diuturnus ac paene mortalis morbus, quo illi gravior & periculoſior, eo mihi moleſtior & ad ferendum durior. Verum ad haec ſtudia dictante natura, prima ab infantia conformatus, & quum non committam, ut hujuſmodi officia deſiderare a me quiſquam poſſit, ſic velim exiſtimes, me mea in hoc genere opera, nec tibi defuiſſe, nec umquam eſſe in re qualibet defuturum. Quod enim in ipſa juventute *Carolo Sigonio*, *Marco Antonio Mureto*, *Jacobo Cujacio*; adulta aetate *Franciſco Bencio*, *Juſto Lipſio*, *Ariae Montano* & *Aloyſio* Legionenſi, ac demum *Auguſtino Valerio* & *Gabrieli Paleotto*, ampliſſimis Cardinalibus petentibus impertivi, cur tibi roganti denegarem, & eruditione dicendique laude illis quam ſimillimo, & virtute praeclaro, & mihi eorumdem ſtudiorum uſu, atque ejuſdem dignitatis ſplendore conjunctiſſimo. Itaque dicam quod ſentiam ingenue pro mea conſuetudine; libenter, pro ſingulari in te mea obſervantia: certiſſime ſperans fore, ut quidquid dixerim, quum maximo ab amore in te meo proficiſcatur, pro tua Chriſtiana prudentia & gratum tibi & ratum putes.

Materiam quidem coepiſti rei Chriſtianae perutilem, nobilem & praeclaram; ſed ut ea pretioſior & jucundior ſit, ingenii eruditione, eloquentiae tuae praeſtantia conſequeris. In ceteris Hiſtoriarum partibus immenſis ac plane infinitis, tui numquam non ſimilis, eruditus, gravis & eloquens; in hac vero tantus es, ut in illis certare cum aliis antiquitatis ſcriptoribus, in hac te ipſum vincere voluiſſe videaris. Quodcumque multorum annorum ſpatio tot abhinc ſeculis geſtum eſt, geſtum dico? quodcumque a quovis privato homine ſcriptum, cogitatum, dictum, tui beneficio in noſtram memoriam revocatur; idque abs te miro ſuo quidque ordine comprehenſum, & tamquam in conſpectu noſtro poſitum agnoſcimus. Utinam, quod te erudito quidem

dem, at nimis acri ſtilo ut haec ſcriberes impulerat (ſive id fuerit tua in Eccleſiae bonum caritas, ſive ſuprema id tibi imperantis poteſtas, ſive ſpectatiſſimae tuae dignitatis gradus) urbanius omnia dicere ſuaſiſſet! & ſatis veritati feciſſes & Eccleſiae fortaſſe magis conſuluiſſes, & quae multi nunc improbant, volentes nolenteſque ſibi probata ſuſciperent. Magni ſane refert, quo quidque modo dicatur & fiat, & ad omnes res non parvum habere momentum ſolet ratio quaedam & methodus. Ut enim in pictura, certo modo lineamenta oris expreſſa delectant; iiſdemque alia ratione depictis, non item eorum qui ſpectant, tenentur oculi: & ut in muſica, quum ſuo quaeque modo vox flexa ſuaviter exprimitur, jucunda audientium aures harmonia complentur; eaedemque graviter offenduntur, ſi modus ille aut contentione vocis aut alteratione mutetur: & motus corporis incompoſitus irridetur, qui moderatione ſibi debita temperatus, omnium in ſe ora oculoſque convertit: demum, ut ingenium, non quia ipſius motus ad excogitandum acuti, uberes ad explicandum, ad memoriam firmi, magnum propterea arguitur; ſed ſuavi quadam ac modeſta eorum quae invenerit, explicatione, & ipſius magnitudo oſtenditur & ſcientia declaratur: ſic ea quae dicimus, mirum eſt quantum dicendi modo commendentur, ut nterdum plus in modo, quam in ipſa re dicta poſitum eſſe videatur. Eoque magis cavendum eſt, quum duae occurrunt opiniones, ſibi invicem adverſantes, quarum unaquaeque ſuis ſe rationibus tueatur, graviſſimorum hominum conſenſu probata, temporis diuturnitate recepta, ac demum tot ſummorum Pontificum permiſſu regia poteſtate vallata: tum enim qui unam probaret alteri, omni verborum aſperitate depoſita, ſuis argumentis, & rationibus obſiſtat. Ita nec irritantur adverſarii: quinimmo accidit interdum, ut comitate diſſerentis a ſuae mentis opinione dimoti, quod illis proponitur, tamquam veroſimilius amplectantur. Nam quemadmodum equi adverſus frenum contumaces, interdum ſeſſore habenas remittente conſiſtunt; ſic quos orationis aſperitas frangere non poteſt, ſaepe clementia inflectit; & qui terrore & ſeveritate domari non poſſunt, indulgentia & facilitate miteſcunt. Hinc ſanctiſſimi Patres cum haereticis congreſſuri, id unum propoſitum habebant, ut quae illi ſumma petulantia ac procacitate verborum differebant, omni ipſi modeſtia atque irae remiſſione improbantes, Chriſtianae fidei veritatem tuerentur: hoſque ut idem agamus, etiam atque etiam hortantur. *Gre-*

gorius

Digitized by Google

gorius quidem *Nazianzenus* Chriſtianos aſſerit, nec nimis fervidos, nec nimis ſegnes eſſe debere: *Hac enim*, (1) inquit, *ratione fiet, ut nec ob defectum ſteriles, & infrugiferi ſimus, nec ob exceſſum periclitemur. Aeque namque inutiles ſunt, iners ac ſupina ſegnities, & imperitus fervor: illa ad bonum minime accedens, hic autem ulterius cadens.* At Baſilius: *Servum Domini*, inquit, (2) *non oportet litigare, ſed manſuetum eſſe, erga omnes, aptum ad docendum, cum modeſtia corrigentem eos qui reſiſtunt*; quod *Hilarius* egregie docet, quaenam ex illo modo oriantur incommoda. *Non eſt ambiguum*, inquit (3) *omnem humani eloquii ſermonem contradictioni obnoxium ſemper fuiſſe, quia diſſentientibus voluntatum motibus, diſſentiens fit quoque ſenſus animorum.* Quod ſi qua in re ſervandum eſt, in iis praecipue ſermonibus, qui maximos in Reges inſtituuntur. Innumerabilis enim copia ſuppetit eorum, qui ad illos tuendos exquiſitiſſimis rationibus excitentur.

Sed quid Sanctos commemorem? ipſi enim prophani auctores, quibus nondum ullus Chriſtianae veritatis ſplendor illuxerat, hanc modeſtiam in omni ſermone obſervandam eſſe praecipiunt. Audi *Tullium*: *Sed quoniam* (inquit) (4) *in omni vita rectiſſime praecipitur, ut perturbationes fugiamus, id eſt motus animi nimios rationi non obtemperantes; ſic ejuſmodi motibus ſermo debet vacare, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia aut ignavia, aut quid tale appareat: maximeque curandum eſt, ut eos quibuſcum ſermonem conferemus, & vereri & diligere videamur.* Preſſius & clarius alibi: *Omnis igitur* (inquit) (5) *hac in re habenda ratio & diligentia eſt: primum ut monitio acerbitate, deinde ut objurgatio contumelia careat.* De oratore (6) vero in jaciendo ridiculo, ait, *parcendum eſſe dignitatibus*: quod ſi in ridiculo, quid in re gravi? *Tacitus* (7) vero *Agricolam* cum multis, tum hoc uno maximum virum praedicat, quia eſſet *cultu modicus, ſermone facilis*, idque alibi a quovis ſummo viro expetit: Sit inquit, *comis ſermo*. Mitto *Salluſtium*, qui malam opinionem mortalium mentibus inſidentem radicitus evellit, *docendo magis* (inquit,) *quam jubendo, monendo, quam minando*. Nam quid de *Sene-*

(1) Greg. Nazianz. Orat. 26.
(2) Baſil. in Moral. cap. 32.
(3) Hilar. lib. 10. de Trinit.
(4) Cic. lib. 1. Offic.
(5) Idem de amicitia.
(6) Idem de Orat. lib. 2.
(7) Tacit. in Agricol. cap. 11.

Seneca dicam? Quo magis ſevera oratio, eo minus oratori fatetur fidem haberi; & in dicendo, & quavis in re, *amittit*, inquit, *aſſiduitate ſeveritas auctoritatem*. Demum aliis omiſſis, unam ejuſdem *Salluſtii* ſententiam proferam: *In maxima*. inquit, *dignitate minima licentia. Neque ſtudere neque odiſſe, ſed minime iraſci decet qui apud alios zelus ſeu iracundia dicitur, in imperio ſuperbia appellatur*. Quod ſi cuiquam obſervandum, nobis certe, in hac maxima & eccleſiaſtica dignitate, ſummae proxima, conſtitutis.

Non me fugit interdum ſanctos Patres, quum de re fidei ageretur, in haereticos acerrime, nullius habita ratione diſſeruiſſe, quos & recte feciſſe, & ita facere decuiſſe fatemur omnes. At heic nec de fide agitur, nec de bono ab Eccleſia uſurpato, ſed ex graviſsimorum hominum opinione permiſſo. In Regem vero diſſeritur, a majoribus ſanctiſsimis, & maxime Catholicis ortum, religioſiſsime educatum, ſumma in Deum pietate, ſingulari morum probitate, egregia animi moderatione praeditum; obedientia vero, & in hanc ſanctam Romanam Sedem obſervantia tanta, quanta in privato homine, in religioſo viro, nedum in Principe potentiſsimo poſſet optari.

Sed dices, quaenam ſunt iſta quae me acriter nimis dixiſſe putas? Primo quidem pag. 680. *Sub vocabulo*, inquis, *Monarchiae, praeter Monarcham unum, quod unum caput viſibile in Eccleſia eſt cognitum, aliud in Monarchia Siciliae obortum, pro monſtro & oſtento caput Eccleſiae*. Dura nimis & acerba videntur, ut cujus in una potentia & maxima in Deum pietate Eccleſia univerſa innixa tuto conquieſcit, is tandem Eccleſiae monſtrum dicatur & oſtentum. Nec horum diſsimilia quae non multo poſt ſequuntur: *Quod nec a Tyrannis ipſis, Eccleſiae Romanae perduellibus, neque ipſis acerbiſſimis Romanae Eccleſiae perſecutoribus Monarchiae nomen uſurpatum*. Quo fit, ut Rex Hiſpaniae tyrannis & Eccleſiae hoſtibus deterior ſit, qui unus eo regnorum ſuorum nervos, eo ſenſus omnes ſuos cogitationeſque convertit, ut barbaros omnes Chriſtiani nominis hoſtes opprimeret, ceteros vero Chriſtianos Reges ſuo in officio contineret. Pag. vero 682. *Abſit abſit longe ut Monarchiae illius dicatur Urbanus erector, in contumeliam Dei & opprobrium Apoſtolicae Sedis*. Nec qui Monarchiam hanc Apoſtolicae Sedi ſubordinatam tuentur, nec qui de illa ſcripſere, Deum aut Apoſtolicam Sedem aliqua vel leviſsima contumelia afficere voluiſſe putem,

nam Rex qui ea nunc potitur & fruitur, tantum abeſt ut id aliquando cogitaret, ut omnia ſua regna ruere mallet, quam aliqua aut Deo aut huic ſacroſanctae Sedi, ipſo annuente, inferretur injuriae nota. Mitto illa pag. 683. *Iſta ſunt quae manus audax ad ſacrilegium promta abſtulit à recitato Papae diplomate*. Taceo exclamationem pag. 684. *O fraudem ſolennem, Cornelia lege plectendam!* Quid tibi eccleſiaſtico viro Principem corrigenti cum Cornelia lege commune? Haec ne praecepta hiſtoriae? Haec tibi debitae ſigna benevolentiae? Haec ſacroſanctae ſedis modeſtiam, & eccleſiaſtici Imperii urbanitatem decent? Equidem id omne, & ab hiſtorico & a viro tui ſimili, qui ad hunc honoris gradum evectus, ceteris ſe Chriſtianum Antiſtitem, pium, religioſum debeat profiteri, quam maxime alienum puto. Tandem illa pag. 695. *Admiratione dignum videtur, unde emerſerit, ut falce Apoſtolica ſucciſi infelices palmites iidem*; & quae ſequuntur: & pag. 696. *Imitantur plane atque ſectantur, qui iiſdem quibus illi legibus, Siculam revocant atque renovant Monarchiam*. Vide quam longe abſint ab illorum imitatione. Monarchiam illi, Sede Apoſtolica obnitente; hi multorum annorum, ac ſaeculorum ſpatio, Pontifice permittente, tuentur, illi dum ſe Monarchas crearent, Romanum Pontificem nullius poteſtatis eſſe aſſerebant: at Rex Hiſpaniae, ceterique qui illum Monarcham Siciliae eſſe praedicant, & Monarchiam a ſummo Pontifice diplomate acceptam, & ipſum Romanum Pontificem Chriſti Vicarium omnium dominum eſſe fatentur, & quavis in re ei obſequuntur & parent. Praeterea haec nec quidquam hiſtoriae proſunt; & vix credi poteſt, quantum & ceteri quibus contraria probatur opinio, & regius ipſe animus irritetur. Quae quidem omnia quicumque perlegerit, aſſereret potius in Monarchiam te eſſe, & illius aſſeclas acerrime invectum, quam hujus rei hiſtoriam ſcribendam ſuſcepiſſe. Forſan reſpondes, te non contra Regem, ſed contra Monarchiam, & illius aſſeclas hæc dicere inſtituiſſe, quod in ipſo hiſtoriae hujus profiteris ingreſſu. Verum quis major aſſecla, quam ipſe Rex? qui non ignarus, Monarchiae perſonam a majoribus ſuis haereditario jure acceptam, tot Pontificum auctoritate permiſſam, graviſsimo doctiſsimorum hominum judicio probatam, ſuſtinet, tuetur & regit. Hæc ipſe affero, meo ingenio parta, aliorum plurimorum auctoritatibus dedita opera omiſsis, ne tecum agerem contendendo; ſed potius tibi obſequendo, id a

me

me ſcriptum agnoſceres. Neque enim minora poſſent, aut pauciora contra te, pari ſtilo atque orationis libertate referri: praeſertim quum me magis deceret, plurima & graviſsima quaeque in unum congeſta proferre, quibus contra hanc tuam uberiorem dicendi licentiam Regem Catholicum pro viribus tueter, quam te tam multa contra auguſtiſsimam illius majeſtatem inveniſſe quae diceres. Ea abs te rogatus, tibi offero ſperoque fore, ut quae ego amore, ac Chriſtiana pietate & legi & ſcripſi, eadem tu, & oblata excipias & legas excepta.

EPISTOLA CLXXI.

CAESAR CARD. BARONIUS.

ASCANIO CARDINALI COLUMNAE S. (a)

Apologetice fuſeque reſpondet ejus Judicio circa ſuum de Siciliae Monarchia tractatum, qui legitur in undecimo Annalium tomo.

Lubrica res eſt concordia fratrum. Hoc ſentiens magnus ille Patriarcha *Joſeph*, fratres ſuos in terram Chanaan aſcendentes admonuit, dicens: (1) *Ne iraſcamini in via*. Et quia res eſt magni momenti, hinc ait *Eccleſiaſticus*: (2) *In tribus placitum eſt ſpiritui meo, quae ſunt probata coram Deo & hominibus, concordia fratrum*, &c. Hanc ipſam ſartam tectam inter nos cupiens, in mentem revoco illud *Jacobi* Apoſtoli, ne ſit inter nos zelus amarus & contentio: (3) *Ubi enim* (inquit) *zelus, & contentio, ibi inconſtantia, & omne opus pravum*: Vincat inter nos veritas, ſuperet caritas, & ſic erimus ambo, non victi ſed victores, hac ſancta triumphantes biga ſalutis. Quod enim permoleſtus eſſe ſoleat auribus audientium ejuſmodi horriſonus Cardinum ſtridor, invitus trahor (Deus ſcit) nolens adducor, obtorto, ut dicitur, collo ad defenſionem juſtiſſimam ſcriptorum meorum, quae pro conſervatione eccleſiaſticae libertatis, tuendiſque Romanae Eccleſiae juribus publice ſcripſi, jubente Pontifice ſummo & promulgavi. Si enim ea indefenſa relinquerem, idem pene eſſet ac ſi damnarem, prae-

(a) Vide quae de hoc habentur paulo ſuperius pag. 166.
(1) Gen. 45. 24.
(2) Eccli. 25. 1. 2.
(3) Jacob. 3. 16.

varicatoris nomine dignus, dicente Apoſtolo: (1) *Si enim quae deſtruxi iterum haec aedifico, praevaricatorem me conſtituo*. Ceterum, & quod in eo ſtatu ſum poſitus, ut neque ſi ipſe magnopere velim, exiſtimationem meam prodigere poſſim, quum id converteretur in diſpendium alienum: ne moleſte accipias, ſi per immenſas illas tuis ſcriptis ſparſas in me contumelias, non aliunde, quam ex iiſdem editis a me ſcriptis, ex quibus ſunt abs te petitae, refellam quam modeſtiſſime licet. Rem igitur aggreſſurus, libenter te, domine frater, verbis illis Apoſtoli interpello (2): *Et pax Dei quae exſuperat omnem ſenſum, cuſtodiat corda noſtra, & intelligentias noſtras in Chriſto Jeſu Domino noſtro*.

Jam vero, in quibus noſtra ſcripta reprehendis, ſuo ordine proferamus in medium. Poſt multa autem ad excuſationem praefatus, haec habes: *Utinam quod te erudito quidem, at nimis acri ſtylo, ut haec ſcriberes impulerat, ſive id fuerit tua in Eccleſiae bonum caritas, ſive ſuprema id tibi imperantis poteſtas, ſive ſpectatiſſimae tuae dignitatis gradus: urbanius omnia dicere ſuaſiſſet*. Certe quidem (3) *Caritas* (ni fallor) *de corde puro, conſcientia bona, & fide non ficta*, id praeſtare ſuaſit: (4) *Caritas quae congaudet veritati*, ad iſta nos impulit; ipſaque zeli nomen accipiens quum potentius urget & vehementius dominatur, fomenta majoris ardoris ſumens ex Eccleſiae bonis peſſumdatis, ex ejuſdem in primis libertate jamdiu exule, juribuſque ejus ceteris undique profligatis, meis exaeſtuans in praecordiis, ad ea cuncta ſcribenda ex officio debito requiſivit, importune exegit, compulitque potenter; ex debito, inquam, officio, quod non niſi juratus iſta tueri, ampliſſimae dignitatis ſum inſignia confecutus. Ita plane ignis devorans intima cordis, in amaritudine animae meae ita loqui, clamare interdum, & exclamare aliquando, violenter extorſit. Etenim ſumma eſt & inſuperabilis zeli tyrannis, quae rapiat quem poſſidet, atque conſummet. Audi querelas ab eo correpti Prophetae: (5) *Tabeſcere me fecit zelus meus*. Sed deſinet mirari haec, qui ejus ſummam potentiam noverit, quam ſibi vindicet contra Omnipotentem. Habetur de his conſtans exemplum apud (6) Evangeliſtam, quum Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, manſuetum &

(1) Galat. 2. 18.
(2) Philipp. 4. 7.
(3) Timoth. 1. 7.
(4) Corinth. 13. 6.
(5) Pſal. 118. 139.
(6) Joan. 11. 15.

& humilem coegerit, rabido morſu cor exedente zelo, poſt redargutionis verba, verbera quoque infligere delinquentibus, quum & qui aderant recordati ſunt diſcipuli ejus, quia ſcriptum eſt: (1) *Zelus domus tuae comedit me*. Neſcit zelus imperioſus parcere ſaltem Deo; neſcit zelus iſtiuſmodi agere ea temperatione, quam tu dicis urbanitatem, ſed a ſe poſſeſſam pie ſancteque iraſci, & clamare compellit: nam & ex *Iſaia* audi, quid ſit operatus in ipſo Deo, quum zelum aſſumſit: (2) *Tacui ſemper* (inquit) *ſilui*, *patiens fui*: accedente autem zelo: mox addit: *Sicut parturiens loquar*, *diſſipabo & abſorbebo ſimul*: & quae ſequuntur auditu horrenda. Si tanta vis zeli, ut ſic effari impellat Omnipotentem, ſilere ne poterit homuncio vel urbane dicere, ut non exclamet, quum ipſe zelus impetuoſus, ſicut & imperioſus acceſſerit? Quo nomine certe & apud te & alios omnes me oportuit redditum excuſatum, immo & laudatum, ſi ita aliquando imperio ceſſi ipſius zeli, ex divinae ſcripturae verbis illis argumento deducto (3) Si contra Deum praevaluit, quomodo non magis contra homines praevalebit? Praeter zelum autem, ut probe ſubijcis, ad ſcribendum impulit juſſio Pontificia, & ad hoc ipſum praeſtandum juramento devincta dignitas Cardinalatus; quae haec omnia zelo dominanti debitum oportuit exſolviſſe tributum. Diximus dominantem haud improprie: teſtor enim omnipotentem Deum, me animo ſtatuiſſe rem tantam agere quam ſuaviſſime & pacatiſſime: ſed quod rei argumentum exigeret, & veternus morbus acredinem potius expoſceret ſinapiſmi, non quod propoſui, ſed quod zelus ſcientia potens violento dominio imperavit, Numine impellente, praeter ſententiam (quomodo, Deus ſcit) ſuum coactus implere: ſicque eam quam aperuit viam zelus ſecundum ſcientiam, ſumus ingreſſi: quum quaecumque a nobis dicta ſunt, in omnibus ſint conſentientia veritati, certis teſtificationibus demonſtratae. Pergis autem.

Et ſatis veritati feciſſes. Si videlicet urbanitatem quam dicis, dicendo ſectatus eſſem. Dicam libere, & oſtendam exemplo, nequaquam ſatisfieri veritati, ſi quum juſtus zelus reprehenſionis acredinem exigit, urbanitas illam dulcedine temperat, nullius vigoris efficiens, quod efficax eſſe poterat purgare delictum. Accipe de hoc ex divinis ſcripturis exemplum. (4) Non

(1) Pſalm. 68. 10.
(2) Iſa. 42. 14.
(3) Geneſ. 32. 28.
(4) Reg. 2. 13.

Non ob aliam cauſſam *Heli* ſacerdos ſummus infeliciſſime periclitatus eſt, niſi quod filiorum immaniter delinquentium correctionem quae eſſe debuiſſet acerrima, temperavit urbanitate quae perdidit penitus omnem vigorem ejus; adeo ut per eam magis aggravatum fuerit delictum, quam ſublatum, dicente divina ſcriptura (1): *Propter iniquitatem, eo quod noverat indigne agere filios ſuos, & non corripuerit eos; idcirco juravit domui Heli, quod non expietur iniquitas domus ejus victimis & muneribus uſque in ſempiternum*. Haec omnia ac tanta mala, quod (ut audiſti) non corripuerit ipſos, ſed tantum urbane reprehenderit, licet nec aculeo penitus caruerit illa reprehenſio, qua dixit (2): *Quare facitis res hujuſcemodi, quas ego audio, res peſſimas?* Aſpera ſane iſta reprehenſio, quam & magis reddidit aculeatam, quum ſic eam cote acuminaverit diſciplinae, ſubdens (3): *Si peccaverit vir in virum, placari ei poteſt Deus: ſi autem in Dominum peccaverit vir, quis orabit pro eo?* Et tamen non eſt habita reprehenſio efficax, quia non zelo ſolum honoris Dei, ut par erat, ſed paulo mitius res eſt tanta tranſacta, inopportuna urbanitate. Sic igitur non ſemper ex urbanitate ſatis fit veritati.

Addis mox iſta, in eadem perſtans ſententia: *Et Eccleſiae fortaſſe magis conſuluiſſes*. Si videlicet rem egiſſem urbanitate. Actum plus ſatis urbanitate, precibus, beneficiis, obſequiis mille modis, nihilque penitus relictum intentatum, ſed officia iſtiuſmodi ne quid minimum profuerunt, obſuerunt potius; ſicuti quum res eſt acta precibus a filiis (4) *Iſrael*, ſub durae ſervitutis faſce gementibus: qui tantum abeſt quod levamen aliquod fuerint conſecuti, ut duplici onere ſint oppreſſi. Vera ne ſint iſta, plus ſatis quae quotidie undique perlatae audiuntur, querelae gementium oppreſſorum inſinuant, ut ea audientium & compatientium fratrum ex imo pectore ducta ſuſpiria manifeſtant: atque ipſorum Pontificum animi aeſtus quos patiuntur, & fluctus mentis quibus exagitantur, ſignificant. At neque tanta poteris polliceri, ut urbanitate quam requiris, bene conſultum fore dicas Eccleſiae. O utinam plaga tanta oleo curaretur! Hoc namque ego tibi ſponte liberaliter obtuli, ſi memoria retines, etenim quum mecum de his plane iiſdem querelis ageres, quod videlicet noſtra oratio eſſet aculeata; bene noſti, quid tunc

(1) Ibid. 3. 13. 14.
(2) Ibid. 2. 25.
(3) Ibid. 2. 25.
(4) Exod. 5. 1. 2. ſeq.

Digitized by Google

tunc ego reſponderim. Nimirum quod quum noſtra accurate perlegiſſes, & quod tibi diſpliceret inveniſſes: una confidentes ambo, eadem ſimul accuratiſſime diſquireremus: & ſi quae eſſent inventa quae ex acredine ſcriptionis potuiſſent tibi diſplicere, paratus eſſem, dummodo abſque injuria atque diſpendio veritatis fieri potuiſſet, cui in primis conſultum in omnibus velim, calami ego ipſe litura delere, & expungere omne quod pungeret, maximi loco ducens emolumenti, ſi adeo levi jactura veritas ipſa hactenus coacta ſervire, vindicaretur in auream libertatem, exemplo perſuaſus divinae ſcripturae, (1) qua ſignificatur ex praeſcripto ſacrae legis ancillam ſervientem Hebraeo ſic tranſituram in libertatem, & inhaeſuram etiam ipſi petenti conjugem, quum circumciſa fuerit unguibus & abraſa caeſarie capitis. Circumcidatur ergo, pro animi veſtri ſententia, unguibus veritas, dummodo ſit ſecura; quod ita ſit in libertatem priſtinam revocanda, & honore conjugii honeſtanda: alioquin ſi hoc negetur, ſua gradiatur ipſa ornata coma, armataque unguibus quibus pungat, innati ſunt namque ipſi tamquam ungues ſtimuli, quibus urgens exoſa redditur & inviſa. Hinc illud Apoſtoli (2) (quod & mihi opportune contigit dicere) *Ergo inimicus vobis factus ſum, verum dicens vobis*: ſed non curo, eo quod Deum ipſum habeam pro tuenda ipſa veritate ſponſorem, quum dicat (3): *Veritas liberabit vos*. Et per Eccleſiaſticum (4): *Ne confundaris dicere verum*: *& uſque ad mortem certa pro juſtitia*, *& Deus expugnabit pro te inimicos tuos*.

Sed adiicis: *Et quae multi nunc improbant, volentes nolenteſque ſibi probata ſuſciperent*. Non horum guſtum ſequar, neque tales cupio habere magiſtros: habeo quem magiſtrum imiter Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, de cujus dicendi modo haec habet evangeliſta: (5) *erat docens quaſi poteſtatem habens*, *& non ſicut Scribae*. Nempe quod Chriſtus eſſet magna libertate (ut omnes docent interpretes) in veritate praedicanda: ſcribae autem Herodi regi adulantes, omnia pararent ad guſtum ipſius. Abſit, abſit (dico iterum) ut ſicut Scribae ſcribam, & non ſicut Chriſtus annunciem libere verietatem. Habeo poſt Chriſtum ſanctiſſimoss patres, quorum in ſcribendo ſequar exemplum; qui infracta animi conſtantia, pro tuenda veritate, adverſus

(1) Deuter. 21. 2. 12. ſeq.
(2) Gal. 4. 16.
(3) Joan. 8. 32.
(4) Eccli. 4. 24. 33.
(5) Marc. 1. 22.

Digitized by Google

verſus eam impugnantes, non humili, enervato molliqne ſtilo ſunt uſi, ſed grandi fortique, miſcentes etiam reprehenſionum acrimoniam, in eos ſententias aculeatas inſtar fulminis intorſerunt. Sunt innumera horum exempla, annis ferme ſingulis in ipſis Annalibus Eccleſiaſticis recenſita: quorum ex uſu dum lego frequenter & deſcribo, idem mihi dicendi genus inhaeſit; quod haud deſpiciendum putavi, probe ſciens illud dono Spiritus potius quam humana induſtria comparatum: ſed ea menſura diſcretionis adhibita tunc ſum uſus eo ſcribendi genere, quum ſive adverſus novantes haereticos ſchiſmaticoſque agendum fuit, aut in Principes jura Eccleſiae labefactantes, in ſervitutem tandem Eccleſiam redigentes, vel quum dicendum adverſus diſciplinae Eccleſiaſticae corruptores; tuba caeleſti auribus meis importune nimis propheticum (1) illud perſonante: *Clama, nec ceſſes, & quaſi turba exalta vocem tuam; annuncia populo meo ſcelera eorum*: & quae ſequuntur. Ad hanc nempe formam compoſitos eſſe debere, qui ſunt eligendi S. R. E. Cardinales, *Sanctus Bernardus Eugenium* Romanum Pontificem monet; nempe, ut tales ſint, *qui Regibus* (inquit) *Joannem exhibeant, Aegyptiis Moyſen, fornicantibus Phineen, Heliam idololatris, Eliſaeum avaris, Petrum mentientibus, Paulum blaſphemantibus, negotiantibus Chriſtum*. Nimirum ut zelo ſemper in delinquentes armati, perdant ubique & quoſcumque operantes iniquitatem. Haec eſt forma noſtra, Spiritus Sancti penicillo delineata: ut qui hujuſmodi non ſumus, deformes penitus convincamur.

Et poſt multa in eamdem ſententiam abs te allata ſunt iſta: *Eoque magis cavendum eſt, quum duae occurrunt opiniones ſibi invicem adverſantes, quarum unaquaeque ſuis ſe rationibus tueatur, graviſſimorum hominum conſenſu probata, temporis diuturnitate recepta, ac demum tot ſummorum Pontificum permiſſu, regia poteſtate vallata*. Haec tu ipſe. Magni intereſt, quo animi affectu quaeque legantur. Hinc Dominus ad legiſperitum: (2) *In lege quid ſcriptum eſt? Quomodo legis? S. Hilarius* (3), qualis lector debeat eſſe ſic monet: *Optimus* (inquit) *lector eſt, qui dictorum intelligentiam exſpectet ex dictis potius quam imponat, & retulerit magis quam attulerit, neque cogat id videri dictis contineri, quod ante lectionem praeſumpſe-*

(1) Iſa. 58. 1.
(2) Luc. 10. 26.
(3) Hilar. lib. 1. de Trinit.

ſumſerit intelligendum. Haec dixerim quod exiſtimaſſem, poſt lectionem ejus tractationis de Monarchia, te ad tuenda ſanctae Eccleſiae jura in hoc honeſtiſſimo bello nobis omnibus inhaeſurum fortiſſimum commilitonem, immo quem ſequeremur anteſignanum & ducem, militari auctoratum jamdiu antea ſacramento. Sed ſpes evanuit, quum eventa noſcantur ceſſiſſe opinioni noſtrae contraria, dum abſque quod noſtrorum ſcriptorum, vel una quaevis aſſertio abs te arguatur erroris, jam tua ſententia in aequilibrio, utramque tua lance ſuſpendis opinionem, immo & ſuperexaltas contrariam Eccleſiae juribus, dum dicis de ipſa, quod *permiſſu Romanorum Pontificum temporis ſit diuturnitate recepta*: protectorem & defenſorem magnum agens, immo & judicem pro Sicula Monarchia; quod fratres omnes S.R.E. Cardinales male accipiunt, & ipſe redarguit juſtiſſime ſummus Pontifex. Quam autem erraveris inſigniter haec affirmando, in primis provoco quemcumque veritatis amantem ad accuratam lectionem noſtrae de Monarchia Sicula tractationis, in qua citantur innumera ſacra diplomata Romanorum Pontificum ſuo robore permanentia, tamquam ſi hodie ſtatuta fuiſſent, ita decernente ſacroſancto Lateranenſi Concilio, ſub *Leone X.* Romano Pontifice iſtis verbis, contra Reges & Imperatores & alios Principes ſeculares. *Supradictis poenis ..... & aliis contra violatores & oppreſſores libertatis eccleſiaſticae, etiam per Extravagantes & alias etiam conſtitutiones incognitas*, & forſan *in uſu non exiſtentes, impoſitis: quarum omnium tenores pro expreſſis & inſertis habentes innovamus, ac perpetuum firmitatis robur habere decernimus & declaramus: ac ſecundum eas per quoſcumque judices etiam S.R.E. Cardinales, ſublata & adempta eis aliter judicandi declarandique poteſtate, ſententiari, judicari, & interpretari debere volumus & mandamus*; & quae ſequuntur. Quibus quidem eadem Monarchia centies aboletur, diſſolvitur, & irritatur. Certo certius ſcito, aſſertionem iſtam tuam, quam adeo frequenter inculcas, ejuſmodi eſſe, ut ex nulla penitus parte ſubſiſtat, confutetur vero apertiſſimis argumentis, demonſtrationibus quibuslibet certioribus.

Quoniam vero totius rei heic cardo verſatur, &, ſi abs te aſſerta non poſſe ullo pacto ſubſiſtere ſint inventa, excidas tota cauſa: ſerius nobis agendum, firmiſſimiſque teſtificationibus comprobandum nullo umquam praetextu, nullo modo penitus dici poſſe, Siculam Monarchiam Pontificum Romanorum permiſſione fulci-

fulciri, neque ullo pacto aſſeri, eamdem temporis eſſe diuturnitate receptam; quae quamvis falſiſſima, tu tamen ſaepe ingeris pro certis & exploratis. Miratus ſum vehementer, quomodo ſi ipſam tractationem de Monarchia legiſti, & ſummorum Pontificum eidem repugnantia ſcripta citata in ea uſque ad praeſens ſeculum, eamdemque deſtruentia Monarchiam pervidiſti, ea dicere potuiſti? Sique praxim ipſam Romanae curiae tribunalium attendiſti, in quibus contradicitur quotidie Monarchiae, atque in ipſam pronunciantur ſententiae, ſive ab *Apoſtolicae Cameroe* Auditore, ſive ab Auditoribus *Sacrae Rotae*: & quum evidentiora de his exſtent adhuc monumenta, obſtupuimus valde, quomodo ſic dixeris, *Monarchiam ſiculam graviſſimorum hominum conſenſu probatam, temporis diuturnitate receptam, ſummorum Pontificum permiſſu*? (ſunt enim iſta totidem verba tua.) Num te unum praeteriiſſe potuit celeberrimum de his documentum, publicae litterae Apoſtolicae ac proceſſus pontificii, dictae vulgo *Bulla in Coena Domini*, eo quod annis ſingulis die Coenae Domini ab ultimo Cardinalium Diaconorum publice recitari ſolita e ſublimiori loco coram ipſo ſummo Pontifice, & ſacro noſtro Collegio, ſpectante populo totius urbis & orbis? In qua ſex ſaltem capita numerantur, quibus male praeſumpta jura abolentur penitus Siculae Monarchiae, & ſpeciali mentione aſſeritur ipſum Siciliae regnum eſſe Romanae Eccleſiae, idque primo loco poni poſt dominium urbis, verbis iſtis: *Item excomunicamus & anathematizamus omnes illos, qui per ſe ſeu per alios directe, vel indirecte ſub quocumque titulo, vel colore, invadere, deſtruere occupare, & detinere praeſumſerint in totum, vel in partem almam Urbem, Regnum Siciliae*; & quae ſequuntur. Poteſtne locus eſſe Monarchiae Siculae contra Apoſtolicam ſedem, ſi regnum ipſum integrum anathemate vindicatum, (ut audiſti) eo modo ut licet, retinetur ab Apoſtolica Sede? Poteſtne dici quod tu dicis, ipſam Monarchiam *permiſſu Romanorum Pontificum* RETINERI, vel quod aſſeris *temporis diuturnitate receptam*? Quam autem potentiſſime iis eaedem litterae in omnibus refragentur, ex inferius ſcripto capite iſtis verbis accipe: *At quoad eos, qui contra eccleſiaſticam libertatem, ut praemittitur, ſtatuta fecerint, niſi prius ſtatuta, ordinationes, conſtitutiones, pragmaticas & decreta hujuſmodi revocaverint, & ex archivis ſeu capitularibus locis aut libris, in quibus adnotata reperiuntur, deleri, & caſſari; ac*

nos

nos de revocatione hujuſmodi certiores fecerint : eos non comprehendere , abſolutionem illam ſcilicet : *quin etiam per hujuſmodi abſolutionem aut quoſcumque alios actus contrarios , tacitos vel expreſſos, ac etiam per patientiam & tolerantiam noſtram , vel ſucceſſorum noſtrorum quantocumque tempore continuatam , in praemiſſis omnibus & ſingulis ac quibuſcumque juribus* Sedis *Apoſtolicae ac* S. R. E. *undecumque & quandocumque quaeſitis vel quaerendis , nullatenus praejudicari poſſe aut debere*. Haec ibi. At poſt haec tanta, tanto praecone promulgata, tantaque auctoritate firmata : tu Domine frater potuiſti illa ingeſſiſse *de permiſſione Romanorum Pontificum, & temporis diuturnitate , & graviſſimorum hominum conſenſu* . Adijciam quoque alia vulgatiora . Quis inſuper ignorat ſolemniſſimam & celeberrimam illam actionem anniverſario die iterari ſolitam, qua penitus penituſque abrogatur omnis aſſerta praetenſio permiſſionis Romanorum Pontificum. Quum videlicet ſolemniſſima die natali ſanctorum Apoſtolorum *Petri & Pauli*, in ipſa Baſilica Vaticana, ſpectante orbe , frequentiori coetu, omnibus ſeſe intra eamdem Baſilicam obtrudentibus, praeſente ſummo Hierarcha, Romano Pontifice una cum ſacro Collegio S.R.E. Cardinalium , ſpectante clero , populoque Romano ſimulque Magiſtratibus , Legatus Regis Catholici ſolemni pompa offert annuum cenſum ipſi Pontifici pro regno Neapolitano : ex improviſo Advocatus fiſcalis Apoſtolicae Sedis terrifica voce perſtrepens inſtar tonitrus , iſta ex antiqua formula totidem ſyllabis intonat verba ſolemnia: *Et ego N. Sanctitatis Veſtrae & Camerae Apoſtolicae procurator fiſcalis , proteſtor hunc cenſum non recipi, quinimmo rejici attenta caducitate ſeu devolutione utriuſque Regni tam ultra quam citra Pharum : & quatenus recipiatur, eum recipi ſine praejudicio , tam Sanctitatis Veſtrae quam Sanctae Sedis & Camerae Apoſtolicae; & non aliàs, aliter, nec alio modo*. Hactenus ipſe. Qui poſtea , ut omnia iſta a Clericis Cameralibus in Acta publica ſolemni forma, ritu conſueto inferantur , inſtantius agit ; & , ne deſit quidquam officio , quod ab eis eſt factum, poſtea accurate cognoſcit . Fiunt iſta, ut diximus, annis ſingulis, a ſuperioribus ſeculis in praeſentem uſque diem. Quis ergo dicendi locus, vel fingendi ſaltem ullatenus eſſe poteſt , poſſidere ipſum Regem Regnum Siciliae, & Monarchiam permiſſione Romanorum Pontificum , iiſdem adeo publice tantarum ſolemnitatum obicibus oppoſitis in contrarium,

tanto niſu atque conatu, tam jugi perſeverantia reclamantibus & contradicentibus, & penitus adverſantibus?

Poſt vero male aſſertam permiſſionem Romanorum Pontificum, addis ad ejuſdem Monarchiae defenſionem verba iſta: *Regia poteſtate vallatam*, ipſam videlicet Monarchiam. At nos quid juris, non quid ſit poteſtatis, noſtra illa tractatione diſſeruimus; ut minime ad rem ſpectare noſcatur, quod excipis de poteſtate in potentiſſimo Rege. De quo illud nobis vere, & non aliter exiſtimandum, rem ipſum agere bona fide, & quod jure potius quam poteſtate ſe retinere exiſtimet, quod poſſidet ex haereditate paterna; paratus [haud dubium] audire omnes, doceri monerique de juſtitia ac veritate, ſi ſit qui iſta [prout ſunt] in Majeſtatis regiae inferat aures, quod meis ipſe ſcriptis pro officio Regibus debito faciendum putavi; hacque ratione de eadem Majeſtate bene ſancteque mereri non dubitans. Non igitur bene conſulitur regiae conſcientiae, ſi tantum poteſtate & non jure, Rex eccleſiaſtica jura poſſideat; ſed jure haereditario bonae fidei poſſeſſor exiſtens, ad omnia corrigenda quae jure careant, debet componere animum; prout ad haec praeſtanda, ſi quis ingerat, bene compoſitum eſſe non dubitamus.

Poſthaec vero ad eamdem ſuggillandam *meam dicendi*, quam arguis, *libertatem*, atque male interpretaris *acerbitatem*, ſanctorum Patrum in me convertis exempla dicens: *Hinc ſanctiſſimi Patres cum haereticis congreſſuri, id unum propoſitum habebant, ut quae illi ſumma petulantia ac procacitate verborum differebant, omni ipſi modeſtia atque irae remiſſione improbantes, Chriſtianae fidei veritatem tuerentur: noſque ut idem agamus, etiam atque etiam hortantur*. Haec tu ipſe; qui tamen inferius tibi ipſi contrarius, iſta ſic deſtruis: *Non me fugit, interdum ſanctos Patres, quum de re fidei ageretur, in haereticos acerrime, nullius habita ratione, diſſeruiſſe; quos & recte feciſſe, & ita facere debuiſſe, fatemur omnes*. Haec tu ipſe, & bene, plane corrigens quae heic dixeras haud bene: ſiquidem ipſi ſanctorum Patrum magiſtri, Apoſtoli Eccleſiae Chriſti, acrioribus invectivis, uſque etiam ad convicia exagitarunt haereticos, nam *Paulus* in hujuſmodi (1) *O inſenſati Galatae, quis vos faſcinavit non obedire veritati?* Et in Judaeum magum Pſeudo-prophetam (2): *Plene omni dolo & omni fallacia, fili diabo-*

(1) Galat. 3. 1. (2) Actor. 13. 10.

diaboli, inimice omnis juſtitiae; & quae ſequuntur. At (1) *Petrus* quanam invectiva exagitavit primum haereſiarcham *Simonem Magum*, & imprecatus eſt mala? Et poſteriori Epiſtola, ſecundo ipſius capite nil magis agit, quam in ejuſmodi ſtilum exercere, exaggerare, corripere, neque parcere contumeliis. *Joannes* Apoſtolus nonne in *Cerinthum* invectus, ipſum *primogenitum Satbanae* nominavit, & ſcriptis ſuis ejuſmodi nuncupat *Antichriſtos*? (2) Hi ſunt, inquam, magiſtri ſanctorum Patrum, qui inſiſtentes eorum veſtigiis, imbribus fulminum omnes exagitarunt haereticos; pepercerunt tunc tantum, quum ſpes aliqua converſionis eorum exiſteret.

Citas poſt haec ſententiam *Gregorii Nazianzeni*, dicens: *Gregorius Nazianzenus Chriſtianos aſſerit, nec nimis fervidos nec nimis ſegnes eſſe debere*: [Hac enim, *inquit*, ratione fiet, ut nec ob defectum ſteriles & infrugiferi ſimus, nec ob exceſſum periclitemur. Aeque namque inutiles ſunt, iners ac ſupina ſegnities, & imperitus fervor; illa ad bonum minime accedens, hic autem ulterius cadens]. Haec ex eo, & quidem omni acceptatione digniſſima. At per iſta minime prohibuiſſe intelligendus eſt, Sacerdos invehi in principes, quum invadunt Eccleſiae jura, & non ſubeſſe, ſed praeeſſe cupiunt Sacerdotibus: non enim potuit vetuiſſe quod ipſe ſaepenumero noſcitur praeſtitiſſe. Accipe unum vel alterum de his exemplum ejuſdem praeſtantiſſimi Doctoris Eccleſiae; quibus plane antequam naſceretur malus iſte frutex, deſtruit Monarchiam; poteſtatem illam dico, quam praeter fas juſque ſibi principes ſeculares vindicant in perſonas eccleſiaſticas, ſive bona ipſorum. Ait enim ſic compellans principem & magiſtratus (3): *An me libere loquentem aequo animo feretis? Num vos quoque poteſtati meae meiſque ſubſelliis lex Chriſti ſubjicit. Imperium ipſi quoque gerimus, addo etiam praeſtantius & perfectius; niſi vero aequum eſt, ſpiritum carni faſces ſubmittere, & caeleſtia terrenis cedere. Sed non dubito quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus ſis, utpote ſacra mei gregis ovis, magnique paſtoris alumna*: & quae ſequuntur. Rurſum ipſe ſecurim ad radicem inferens arboris infelicis iſtius ſuper cedros Dei ramos ſuos ſuperbiſſime extollentis, haec ad *Julianum* tributorum exaequatorem: *Oves ne paſtores ipſos paſcatis, neque ultra fines veſtras*

(1) Actor. VIII. 20. 21.
(2) I. Joann. II. 18. 22. IV. 3. & Ep. V. 7.
(3) Gregor. Nazianz. Orat. ad Cives Nazianzenos.

ſtros efferamini : ſatis vobis ſuperque eſt , ſi recte paſcamini , Ne judices ipſos judicetis , neque legislatoribus leges praeſcribatis: Deus enim diſſenſionis & confuſionis non eſt Deus , ſed pacis & ordinis . Ne quis igitur caput ſit , qui vix aut manus aut pedis , aut cujuſpiam alterius vilioris membri nomen ſuſtinet : & quae ſequuntur ; quibus laici , ſui menſura contineantur officii. En vides quam egregie , quem in nos teſtem adduxiſti *Gregorium* , ipſe pro nobis militet verbis pariter & exemplis , & deſtruat Monarchiam ; omnique libertate adverſus principes pro Eccleſiae vera Monarchia illibata ſervanda , non leves aculeos , ſed ſpicula orationis intorqueat.

Pergis vero : *At Baſilius* , ſervum Domini , *inquit* non oportet litigare , ſed manſuetum eſſe erga omnes , aptum ad docendum , cum modeſtia corripientem eos qui reſiſtunt). Haec ex *Baſilio* , cujus in certamine eccleſiaſtico quas ipſe partes ſuſceperit , audi ex *Gregorio Nazianzeno* (1) *Quum* (inquit) *temporis anguſtiis premeremur , hanc ipſe rationem inibat , ut ſibi quidem verbi diſpenſationem , nobis autem quod ob nominis obſcuritatem nemo accuſaturus patriaque ejecturus eſſet , loquendi libertatem committebat ; atque ita evangelium noſtrum firmum & validum erat , utriuſque auxilio ſuffultum* . Audiſti partitam inter ſe ſacri miniſterii diſpenſationem ? Ineamus & nos hanc pariter rationem , ut tu magnus magnum *Baſilium* imiteris , ego autem minimus libere dicentem *Gregorium Nazianzenum* ſequar . Ceterum haec illi ad tempus tantum : nam neque ita hiſce ſe compedibus *Baſilius* eſt paſſus adſtringi , quin quum cauſſa & tempus expoſcerent , proſilierit in principes magna libertate dicendi . Quod quum in eum obiiceret Praefectus Imperatoris dicens : *Nemo me ad hanc uſque diem ita eſt allocutus , nec pari verborum libertate . Neque enim* (*reſpondit Baſilius*) *fortaſſis in Epiſcopum incidiſti* . Quin inſuper uſque adeo ſuſceptam ſemel dicendi libertatem nunquam uſu remiſit , ut jam ipſi [quod idem teſtatur (2) *Gregorius Nazianzenus*] *vitio verteretur , quod homo eſſet elatus , qui attolleret ſupercilium , faſtuque plenus* : ſed his eum criminationibus idem *Gregorius* facile purgat .

Sed jam ad eum quem tertio loco citas , *Hilarium* veniamus : *Quod Hilarius* , inquis , *egregie docet quaenam ex illo modo oriantur incommoda* : Non eſt ambiguum , *inquit* , omnem humani eloquii ſermonem contradictioni obnoxium ſemper fuiſſe ;

(1) Nazianz. Orat. in laudem Baſilii. (2) Ibidem.

Digitized by Google

ſe; quia diſſentientibus voluntatum motibus, diſſentiens fit quoque ſenſus animorum.] Huc uſque ſunt verba *Hilarii*, ipſo exordio libri X. *de Trinitate*: ex quibus neſcio quo modo, quae mox ita ſubiicis inſerantur: ais enim. *Quod ſi qua in re, ſervandum eſt in his praecipue ſermonibus, qui maximos in Reges inſtituuntur, innumerabilis enim illis copia ſuppetit eorum, qui ad illos tuendos exquiſitiſſimis rationibus excitentur*. Haec ex *Hilario* inſers: fateor, neſcio quid dicere velis, & quomodo ex eo deducas iſta; quum nec antea, nec poſtea quicquam *Hilarius* habeat, quod ad haec ſpectet. Ceterum ne heic otioſe citatum ſe ipſe queratur, quid de his ipſe ſentiat percontemur. Certe quidem ſanctiſſimus atque doctiſſimus Pater, magnus arbiter temporis diſcretionis (1). [*Quod omnia tempus habeant, & ſit tempus pacis & tempus belli*] pro ratione temporis, diverſo ſcribendi genere utitur ad *Conſtantium* Imperatorem, aliquando animo ſcribens ſubmiſſo, rem agit precibus & ſcribendi genere utitur manſueto; aliquando vero ſublimi ſe erigit ſtilo; & quot verba, tot dixeris fulmina ore exploſa tonantis, perſtringentis Imperatorem multiplici genere contumeliarum. Quin etiam ipſe contra iſtiuſmodi laicam Monarchiam ſtilum exerens, redarguit miniſtros regios, adverſus clericos ſibi jus vindicantes: ſunt enim haec verba ejus in libello oblato *Conſtantio* Imperatori: *Provideat & decernat Clementia tua ut omnes & ubique judices quibus Provinciarum adminiſtrationes creditae ſunt, ad quos ſola cura & ſollicitudo publicorum negotiorum pertinere debet, a religioſa ſe obſervantia abſtineant, neque poſthac praeſumant aut uſurpent, ut putent ſe cauſas poſſe cognoſcere clericorum, & innocentes homines, variis afflictionibus, minis, violentia, terroribus frangere & vexare*; & quae ſequuntur. Sic adverſus jacientes ſemina laicae Monarchiae declamans, quibus videas & *Hilarium* quem junxeras tibi ipſi, ſtare pro nobis, in caſtra noſtra tranſiiſſe dimicantem adverſum te, qui invitum & contradicentem coegeras contra nos pro Monarchia mereri ſtipendia, qui adverſus eam jam arma converterit, diſſipans penitus eam. Cujus inhaerens ego ipſe veſtigiis, opto ut ante ſpiritus meus mea membra relinquat, quam deſeram ipſum, & alios praeeuntes glorioſos libertatis Eccleſiae defenſores.

Poſthaec autem ad prophanos te convertis auctores, ut eoſdem immittas in] nos, dicens: *Sed quid Sanctos commemorem? ipſi*

(1) Eccl. 3. 1. 8.

ipſi profani auctores quibus nullus Chriſtianae veritatis ſplendor illuxerat, hanc modeſtiam in omni ſermone obſervandam eſſe praecipiunt. Audi Tullium: Sed quoniam, *inquit*, in omni vita rectiſsime praecipitur, ut perturbationes fugiamus, id eſt motus animi nimios rationi non obtemperantes: ſic ejuſmodi motibus ſermo debet vacare, ne aut ira exiſtat, aut cupiditas aliqua, aut pigritia, aut ignavia, aut quid tale appareat: maximeque curandum eſt, ut eos quibuſcum ſermonem conferemus & vereri & diligere videamur.] Haec tu ex *Cicerone* (1) tamquam contra nos dicta. Sed cur adhuc loquentis os cohibes, manu premens ne audiatur totum quod dicitur? Nonne poſt haec abs te recitata, mox iſta verba ſequuntur, caute praetermiſſa? *Objurgationes*, inquit, *etiam nonnumquam incidunt neceſſariae, in quibus utendam eſt fortaſſe & vocis contentione majore, & verborum gravitate acriore*. Haec plane pro nobis contra te ipſum *Cicero* pergens ſententiam coeptam ſic abſolvit.

Subiicis deinde ex eodem iſta: *Preſſius & clarius alibi*: [nempe in libro *de Amicitia*] Omnis igitur, *inquit*, hac in re habenda ratio & diligentia eſt: primum ut monitio acerbitate, deinde ut objurgatio contumelia careat. Sed cur & quod ſubditur, in quo totius rei ſumma eſt, praeteriiſti? Ex *Catone* enim ſententiam auctore dignam ſubnectit dicens: *de quibuſdam multo melius acerbos inimicos mereri, quam eos amicos qui dulces videantur: illos vera ſaepe dicere, hos numquam*. Ideo infero ex his ego: Reges adulatoribus ſemper obſeſſi felicius audiant ſacerdotes vera inſinuantes, qui inimicos jubentur etiam audire calumniantes, non miniſtros adulantes. Ad haec ſpectat quod ſanctus *Ambroſius* ait de *Theodoſio* Imperatore (2): *Dilexi virum qui magis arguentem, quam adulantem probaret*. Sic igitur pro me & hic etiam contra te *Cicero* loquitur, & quidem valde proficua Regibus.

Pergis autem: *De Oratore vero in jaciendo ridiculo ait*, parcendum eſſe dignitatibus, *quod ſi in ridiculo, quid in re gravi*? Sed in re gravi non parcendum; quum id in primis ex praeſcripto ſacrarum legum perficitur, & a perſona gravi, nempe ſacerdote; cui id muneris ſit divinitus imperatum; ut quum haec Dominus ad *Hieremiam* (3): *Conſtitui te ſuper gentes, & ſuper regna*; & paulo poſt (4) *Dedi te hodie in civitatem munitam, & in columnam ferream, in murum aereum ſuper omnem*

(1) Cic. lib. 1. de Offic.
(2) Ambroſ. in funere Theodoſii.
(3) Jerem. 1. 10.
(4) Ibid. v. 18.

omnem terram, *regibus Juda*, *principibus ejus*, *& ſacerdotibus*, *& populo terrae*; & quae ſequuntur. At iſta majori augmento propagata eſſe in Sacerdotes novi Teſtamenti Apoſtolus docet, ſcribens ad Corinthios (1). Si exemplo res agitur, nemo Sanctorum antiquæ vel novae Legis, cui verbi annunciandi commiſſum eſt miniſterium, Regibus legitur pepercisse. Diximus de *Hieremia*. Dicendum hoc ipſum de *Joanne Baptiſta*, qui arguebat *Herodem*, de CHRISTO Redemptore noſtro, eumdem Regem vulpem appellante. *Dic*, inquit (2) *vulpi illi*. Sic itaque ridiculum de ridiculo ſumtum in re adeo gravi redditur argumentum.

Addis inſuper: *Tacitus vero Agricolam cum multis*, *tum hoc uno maximum virum praedicat*, *quia eſſet* cultu modicus, ſermone facilis: *idque alibi a quovis ſummo viro expetit*: Sit, *inquit*, comis ſermo. Iſta ex *Tacito* de *Agricola*. At non reliqua ex eodem auctore de eodem perlegiſti, de ipſo enim idem haec *Tacitus* (3): *apud quoſdam acerbior in conviciis narrabatur: ut bonis comis*, *ita adverſus malos injucundus: ceterum ex iracundia nihil ſupererat ſecretum & ſilentium ejus non timeres honeſtius: putabat offendere*, *quam odiſſe*. Sic vides ex *Agricola Tacitum* nobis ſuppeditare contra te ipſum potius, non contra nos argumentum. *De Salluſtio* quod mittis & ego dimitto, dicturus paulo poſt una tecum de ipſo.

Addis vero: *Quid de Seneca dicam? Quo magis ſevera oratio*, *eo minus oratori fatetur fidem haberi*, *& in dicendo & quavis in re*, amittit, *inquit*, aſſiduitate ſeveritas auctoritatem. Non repugno: ſed quid contra nos? Pro temporis rerumque ratione ſeveritate utimur parcius, quam medici utantur helleboro, licet ſtultorum infinitus ſit numerus; ſed dictum tunc *Senecae* opportunum. Nam ad clementiam *Neronem* truculentum inſtituit: aliis vero utitur regulis, & ab his diverſis, quum *Lucilium* animo roborans inſtruit; quem & omni timore liberans, fortem reddit adverſus quoſcumque principes adverſantes.

Demum vero, inquis, *aliis omiſſis*, *unam ejuſdem Salluſtii ſententiam proferam*: In maxima, *inquit*, dignitate minima licentia: neque ſtudere neque odiſſe, ſed minime iraſci decet. Quae apud alios iracundia dicitur, ea in imperio ſuperbia

(1) Corinth. III. per totum.
(2) Luc. XIII. 32.
(3) Tacit. in Agricol. cap. 22.

atque crudelitas appellatur. *Quod ſi cuiquam obſervandum, nobis certe in hac maxima & eccleſiaſtica dignitate, ſummae proxima, conſtitutis.* Sed iſta quae *Caeſaris* oratione *Salluſtius* ait, *Cato* dicendo penitus confutavit, abiit & Senatus in *Catonis* ſententiam, ſeveritatem praeponendo clementiæ, cui & ipſe hiſtoricus magis favit. Verum iſta pro cauſſa noſtra, dicta factaque non curo, quamvis libratum ſit aequiſſima lance judicium. De iracundia autem penitus propulſanda quod ex *Salluſtio* afferis & antea ex *Cicerone*: num hoc contendis, ut iracundia ſit a nobis penitus proſcribenda? id totum conatur ſuadere cum *Cicerone Salluſtius*. At faciant nos cautos aliena pericula. *Origenes* qui indolentiam ex Stoicis conatus eſt inferre in Eccleſiam, exſulavit ipſe ab Eccleſia, & apertum reliquit oſtium haereſi Pelagianae. Abſit Chriſtiano homini, ut ſicut Stoicus, omnem iram malam eſſe contendat, atque condemnet: quin potius *Eccleſiaſten* monentem audiat (1) *Melior eſt ira riſu*: atque *Eſaiam* dicentem (2) *Indignatio mea auxiliata eſt mihi*: necnon idipſum praecipientem Pſalmiſtam (3) *Iraſcimini, & nolite peccare*. Quod uti praeclare dictum, intulit *Paulus* in Eccleſiam Chriſti, eadem verba *Davidis* repetens, dum docet Epheſios dicens: (4) *iraſcimini, & nolite peccare; ſol non occidat ſuper iracundiam veſtram*. Inſita eſt a natura, ipſo namque Deo, homini paſſio iſta, ad propulſanda quaeque obviantia mala; proficua admodum, quum mala undique ingruant. Hinc illud Proverbiorum (5); *Rex qui ſedet in ſolio judicii diſſipat omne malum intuitu ſuo, ad iracundiam comparato*. Vetus addit Interpres: *quod autem illud quod eſt a natura bene inſitum, malo uſu ſaepe corrumpitur; nimirum quum admiſcetur venenum antidoto: odium irae*. Hinc jure Dominus noſter revocat ad judicium hominem Chiſtianum qui iraſcitur fratri ſuo (6) (non vetans iraſci, ſed male iraſci) addens irae peccatum. Haec eſt doctrina quae docetur & diſcitur in ſchola Chriſti: in qua pie ſancteque iraſcantur praeſules Eccleſiarum; quum laicorum potentia percelluntur, ſuiſque juribus exuuntur, atque bonis cum libertate privantur, pro quibus defendendis pie ſancteque ſanguinem fundant, vitamque profundant, *quod ſi cuiquam obſervandum* (reciproco verba tua) *nobis certe in hac maxima*

(1) Eccle. VII. 4.
(2) Iſa. LXIII. 6.
(3) Pſalm. IV, 5.
(4) Epheſ. IV. 26.
(5) Proverb. XX. 8.
(6) Matth. V. 22.

xima eccleſiaſtica dignitate, ſummae proxima, conſtitutis.

Sed quae his ſubiicis videamus. *Non me*, inquis, *fugit interdum ſanctos Patres, quum de re fidei ageretur, in haereticos acerrime: nullius habita ratione, diſſeruiſſe: quos & recte feciſſe, & ita facere debuiſſe fatemur omnes. At hic nec de re fidei agitur, nec de bono ab Eccleſia uſurpato, ſed graviſſimorum hominum opinione permiſſo*. Haec tu. Sed jam in longa hac conflictatione reſpiro, quum tua hac una ſententia cuncta ſuperius contra me coagmentata deſtruis, diſsipas, penituſque diſperdis; dum non negas, pro bono Eccleſiae injuſte ſubtracto, juſte quempiam ſuccenſere: & quidem haec tu ex Catholicae fidei regulis ab Eccleſia ſancta receptis, quae pie ſancteque colit ſanctum *Thomam* Cantuarienſem Archiepiſcopum ea cauſa martyrio coronatum. Verum quod excipis & excludis me ab iſtiuſmodi glorioſo genere pugnae, atque corona, eo quod, etſi agatur a nobis pro vindicandis Eccleſiae bonis, illa tamen poſſideri iterum dicis a Rege, *permittente eo, cujus intereſt, Romano Pontifice*: quum jam ejuſmodi exceptio tua vana prorſus ſit ſuperius demonſtrata, atque penitus falſa, teſtificatione pluſquam mille teſtium declarata: neceſſario ex propoſita abs te veriſſima aſſumptione eſt deducendum, nos pro juribus ſanctae Eccleſiae vindicandis eo dicendi genere bene uſos exemplo Sanctorum, glorioſiſſime ſicut juſtiſſime laboraſſe.

Pergis vero: *In Regem diſſeritur, a majoribus ſanctiſſimis & quam maxime catholicis ortum*, & quae ſequuntur, abs te juſtiſſime ſicut locupletiſſime praedicata. Sed ſinite me & parcite loquenti libere. Quid in Regem diſſeri, quaſi immenſum piaculum damnas? Impeccabilis ſit Rex, fac eum Angelum, conſtitue (ſi licet dicere) & ipſum Deum: non tamen jure efficere poteris, quin juſtae redargutioni ſeipſum ſubiicere debeat, dicente ipſo Deo, & provocante ad hoc ipſum populum, quum juſtitiam fecerit: (1) *Venite & arguite me*. Sic & *Jeremias* juſtae cauſſae ſuſcipiens patrocinium, Deum ipſum judicio interpellare non timuit dicens. (2) *Juſtus es Domine; veruntamen juſta loquar ad te*: & quae ſequuntur. Haec quidem, quum velimus Regem eſſe ſanctiſſimum. At quid, ſi quilibet Rex [quod fert humana conditio] publice peccet? Numquid adeo grande malum erit [quod tu aeſtimare videris] ſi per Sacerdotem diſſera-

(1) Iſa. 1. 18

(2) Jerem. 12. 1.

ſeratur in Regem ? An neſcis ſententia Domini maxime omnium infamari peccantem regem ſilentio ſacerdotum, ita dicentis ad *Ezechielem* ? (1) *Linguam tuam adhaerere faciam palato tuo, & erit mutus, nec quaſi vir objurgans, quia domus exaſperans eſt*: ut plane Deum exaſperans, Deoque ipſi rebellis, in profundum lapſus iniquitatum, infelix ille [quiſquis fuerit] Rex convincatur eſſe, qui miſſum a Deo objurgantem habere non meruerit ſacerdotem. Quid igitur jactas, *in Regem diſſeritur*? At his tu mihi invidiam facis, concitans in me Regem quem impellere poſſes, niſi eum ſolidiorem, nec facile mobilem redderet conſtantiae virtus, firmaret pedibus ne labatur inſitus animo juſtitiae cultus; & ſuper omnia timor Dei, qui ſolus ipſi dominanti imperat, imperioſiſſime cohiberet. At nihil profuit, ipſo diſputationis ingreſſu proteſtatum fuiſſe verbis *Ambroſii* ad *Theodoſium*, me non contra Regem, ſed pro Rege rem tantam aggredi; ſicuti revera cauſam Regum agere, pro Regibus laborare, Reges tueri, certum eſt Sacerdotes qui ſurreptionibus, deceptionibus, & adulationibus plurimorum, quibus nolentes & inviti expoſiti ſunt prae cunctis hominibus Reges, ne decipi poſſent, occurrunt, vel deceptis ſuccurrunt, ne apud terrificum tribunal Dei conventi, rei damnationis aeternae ſuccumbant: Sacerdotum praecipue munus hoc eſt, iſta Regibus annunciare; Regum eſt, eos nedum patienter, ſed & libenter audire. Audi Sanctum *Ambroſium* de his apud *Theodoſium* Imperatorem differentem: (2) *Neque Imperiale eſt*, inquit, *libertatem dicendi denegare*; *neque ſacerdotale*, *quod ſentias non dicere. Nihil enim in vobis Imperatoribus tam populare, & tam amabile eſt, quam libertatem etiam in iis diligere, qui obſequio militiae vobis ſubditi ſunt*: *ſi quidem hoc intereſt inter bonos & malos Principes, quod boni libertatem ament, ſervitutem improbi. Nihil etiam in Sacerdote tam periculoſum apud Deum, tam turpe apud homines, quam quod ſentiat, non libere denuntiare*. Haec *Ambroſius*, qui & ubi iſta divinae ſcripturae ſententiis communivit, coronidem imponit hujuſmodi: *Et ideo Clementiae tuae diſplicere debet Sacerdotis ſilentium, libertas placere*: *nam ſilentij mei periculo involveris, libertatis bono juvaris. Non ergo importunus indebitis me interſero, alienis ingero, ſed debitis obtempero, mandatis Dei noſtri obedio*. Haec & alia idem *Sanctus Ambroſius*, ſternens confragoſam viam Sa-

(1) Ezech. nl. 26.

(2) Ambroſ. epiſt. 19.

Sacerdotibus Reges adeundi, atque intrepide tamquam legatione fungentes, pro Chriſto veritatem inſinuandi. Tu vero ut inaccesſibilem facias ad Regem viam, ſpinis ſepis eam, tanta cum energia timorem incutiens ac dicens: *In Regem differitur*. Sed his ſuccisis Apoſtolica falce, aperit viam ad Regem *Paulus*, quum ait: [1] *Vis non timere poteſtatem? bonum fac, & habebis laudem ex illa: Dei enim miniſter eſt tibi in bonum. Si autem malum feceris, time: non enim ſine cauſſa gladium portat*: & quae ſequuntur. Militabit ergo mihi, ſi bonus ero, Rex Catholicus; & gladius ejus contra mala obviantia exeretur pro me, jam Apoſtolica ſponſione ſecuro. Sin ſecus acciderit, nec timendum quidem, gaudendum magis, dicente eodem *Ambroſio*: [2] *Felicius Epiſcopos perſequantur Imperatores, quam diligant: Nam ex perſecutione corona conciliatur illis, ex dilectione pericula praeparantur*. Stet igitur ex praemisſis firma concluſio. Quod quum ego Dei mandato exigente, meo officio poſtulante, Romani Pontificis juſsione accedente, impellente cauſſa, conſulturus Regis aeternae ſaluti diſſerui de Monarchia; non contra Regem id a me factum, ſed pro Rege perfectum eſſe: quod & *Ambroſii* firma ſententia comprobat; cui tu cedens, rem tua amplitudine dignam facies, recedens, ſolus eris, quum pii omnes dicturi ſint magis Ambroſio, quam tibi deferendum in omnibus eſſe. Sed cetera proſequamur. *Sed dices*, inquis, *quaenam ſunt iſta, quae me acriter nimis dixiſſe putas? Primo quidem pag.* 680. ſub vocabulo, *inquis*, Monarchiae, praeter Monarcham unum, quod unum caput viſibile in Eccleſia eſt cognitum, aliud in Monarchia Siciliae obortum pro monſtro & oſtento caput Eccleſiae.) *Dura*, vis, *nimis & acerba videntur, ut cujus in una potentia & maxima in Deum pietate, Eccleſia univerſa innixa in tuto conquieſcit, is tandem monſtrum dicatur & oſtentum*. Ad tam monſtruoſam & portentoſam calumniam auditus exhorruit, & animo ipſe conſternatus expallui; expertus quam potenter feriat tanti roboris brachio vibratum calumniae telum, dicente *Eccleſiaſte*: [3] *Calumnia conturbat ſapientem, & perdet robur cordis illius*. Haec tu ipſe quum dicis, vide quomodo ex aſſumptione praemiſſa deducas. Dixi, & utique haud aerem verberans, ſed ex præſcripto Catholicae fidei, & Symbolo ipſo Nicæno, quo canimus, *Et unam*

(1) Rom. XIII. 3. 4.
(2) Ambroſ. in obitu Valent. Imperat.
(3) Eccl. VII. 8.

unam ſanctam Catholicam & Apoſtolicam Eccleſiam, unam eſſe tantummodo in Eccleſia Catholica Monarchiam: audiri modo inauditum hactenus, duas in Eccleſia Monarchias, Romæ nimirum alteram, alteram in Sicilia, duoque capita eſſe oborta, hoc haberi pro monſtro atque oſtento. At hoc fidelius nihil dici potuit, nimirum aſſerere unam tantum eſſe in Eccleſia Monarchiam, quod quum ſit Catholicae fidei, nihil poteſt juſtius affirmari, quodque ſit ex omnium Patrum ſententia comprobatum, nihil hoc dignius, quum pro hac veritate quique fideles teneantur ſecuri colla ſubmittere. At vero ut ex hac ignominia regnum liberarem atque Regem, inferius eadem pagina obnixe laborans oſtendi; non alteram dicendam eam eſſe Monarchiam ab unica Catholicae Eccleſiae Monarchia, ſed uni ſubjectam, unique ſubalternatam hanc quam dicunt Siculam Monarchiam; ut omnino improprie eo dicatur nomine Monarchia, quod a miniſtris inventum conſtat, quum in Privilegio *Urbani*, numquam ejus nominis uſurpandi conceſſa licentia habeatur, prout in ea tractatione monſtravi. Ubi locorum Rex a nobis vocatus reperitur in crimen? Laborans ego tantopere, ne ejuſmodi de nomine uſurpato ignominia ſuper regnum & Regem cadat, calumniam patior, tantum Regem oſtentum a me eſſe dictum ac monſtrum, quum nec nomen ab eo dixerim inventum, nec eo ſenſu acceptum poſsideri ab eo titulum Monarchiae, ut oſtentum poſsit aliquo pacto dici vel monſtrum. Appello omnium legentium ea judicium, vera ne ſint iſta, ut non unius vel alterius lectoris, ſed omnium ſententia vindicer a tam immani & plane pòrtentoſa in me illata calumnia. Compello demum prudentiam tuam, an non quid eximium de Rege ſenſerim? Quibus meritis laudibus praedicandum, glorioſis titulis illuſtrandum, praeconiis debitis celebrandum dignum duxerim? Nonne ſatis abunde haec & alia complura, eadem tractatione teſtata, mea ſpontanea proffeſsione reliqui? Qui locus eſſe potuit exiſtimationi alicujus ex falſa aſſumptione deductae, ubi auctoris confeſsio & profeſſio, teſtificatio & aſſertio omnino contraria habetur iiſdem chartis, litteris cubitalibus [ut ita dixerim] exarata? quum ipſius exordio tractationis his honorificentiſsimis titulis exornaverimus eumdem Regem, *Philippum III.* dicentes, *ipſum veritatis amantiſſimum*, *juſtitiae obſervantiſſimum*, *& in omnibus animo tranquilliſſimum*: & paulo inferius, *veritatis cultorem*, *juſtitiae rectorem*, *religionis cuſtodem*

dem & defenſorem pariter nominaverimus, & ad poſtremum, eodem quo coepta eſt, telam auro texentes & perfici cupientes, eumdem nuncupaverimus *noſtrum Zorobabelem*, *pietate inſignem*, *omnium virtutum corona fulgentem*? Haec nos; & haud intrepide; magnopere verentes, ne potius adulatores argueremur ab aliquo, quod fecerimus contra illud Apoſtolicum [1]: *Non quaſi hominibus placentes*, *ſed Deo qui probat corda noſtra*; *neque aliquando fuimus in ſermone adulationis*, probe ſcientes obſcurari potius, quam illuſtrari Regum gloriam adulationum pigmentis. At vitavimus de adulatione reprehenſionem, quod vix cogitaſſe potuimus, ſed nequaquam (quod numquam exiſtimaſſemus) de maledicentia in Regem potuimus vitaſſe calumnias, quae ex ſui immenſitate tantum, manifeſte oſtenduntur eſſe falſiſſimae. Sed praeteriit te (ut video) illud *Jacobi* Apoſtoli dicentis: (2) *Numquid fons de eodem foramine emanat dulcem & amaram aquam*? nam quomodo ex eodem fonte cum nectare, aconitum? Sed ad aliam hac non minorem contra me conflatam calumniam veniamus.

Pergis autem: *Nec horum diſſimilia*, *quae non multo poſt ſequuntur*: quod nec a tyrannis ipſis Eccleſiae Romanae perduellibus, neque ipſis acerbiſſimis Romanae Eccleſiae perſecutoribus, Monarchiae nomen uſurpatum.] *Quo fit* (ut male deducis) *ut Rex Hiſpaniae*, *tyrannis & Eccleſiae hoſtibus deterior ſit*. At quam prorſus falſiſsima iſta ſit inductio, videamus. Sane verum, neminem antiquorum Siciliae tyrannorum, qui ab obedientia Romanae Eccleſiae reſilierunt, & eam ſunt acerbiſsime perſecuti, umquam ſe nominaviſſe publicis titulis Monarchas Siciliae: hoc, inquam, verum, certumque & exploratum eſt. Sed non verum, quod male ſic infers ex mea ſententia: quod Rex Catholicus qui hodie regnat, & Monarcha Siciliae nominatur, deterior ſit tyrannis illis. Ne tu dicas quod non dixi, nec dicturus eſſem aliquando, immo quod nec ego, nec aliquis dicere poterit. Si quidem non ipſe Rex ejus nominis eſt inventor, ſed haud diu ante inventi, juſta haereditate poſſeſſor bonae fidei ejus tituli, ut ſuperius a me pluribus dictum eſt; adeo ut nulla ex parte ſit cum illis perditiſsimis comparandus. Jam facillime tanta hac diluta calumnia, ad ſequentem deveniamus.

Paginam noſtram ſignas 682. ex meis hiſce verbis: *Abſit*, *abſit*

(1) Theſſal. II. 4. 5.

(2) Jacob. III. 11.

abſit longe, ne Monarchiae illius dicatur Urbanus erector, in contumeliam Dei & opprobrium Apoſtolicae Sedis: quae noſtra verba te vehementer offendiſſe teſtaris, quod dixerim *in contumeliam Dei & Apoſtolicae Sedis erectam*. At quomodo defendere & excuſare potes citra Dei contumeliam & opprobrium Apoſtolicae Sedis, trahi miſeros Clericos ad Curiam ſecularem, appellationes ad Sedem Apoſtolicam non deferri, & alia innumera in ea tractatione narrata, quae heic minime repetenda putamus. Quae melius & prudentius tu conſidera, an in contumeliam Dei vertantur, & opprobrium Apoſtolicae Sedis. Doleo te, frater, iſta non dolere, ſed magis te velle ita ſcribendo defendere, quae ne fierent, viri ſanctiſsimi ſumma gloria ſubiere martyrium.

Ad paginam pervenis 683. 684. quibus ego quam juſtiſsime declamo adverſus corruptorem litterarum *Urbani* Papae, quem dignum dixi ut in eum lege Cornelia, qua plectuntur falſarii ageretur, ſic in nebulonem exclamans: *O fraudem ſolemnem Cornelia lege plectendam, quam non timuit, in quam peccavit, qui iſta adeo enormia ad conciliandam ſibi Principum gratiam perpetravit!* Haec a me declamata in falſarium peſsimum hominem, quod in gratiam Principum nefanda adeo perpetravit, tu in eum mox ſenſum detorques, ac ſi Regem ipſum Catholicum *Philippum III.* tanta ignominia aſpergere voluiſſem, in me illud inclamans: *Quid tibi eccleſiaſtico viro Principem corripienti cum lege Cornelia commune?* & quae ſequuntur inferius diſquirenda. At unde tibi [dixerim ego] divinatio iſta, ut quum de Principum gratia, eo facinore ab homine ſceleſtiſſimo aucupata, verba feci, me ea in Regem hodie regnantem effutiiſſe proclames? At quomodo potui vel in leviſſimam ſuſpicionem adducere noſtrum Regem, qui nondum natus, vel ſi natus, certe degebat in cunis, quum in Hiſpania ille cuſus eſt liber (ut apparet ex eo, & dixi ibidem) anno ſalutis milleſimo quingenteſimo ſeptuageſimo octavo?

Haec ſi exacte conſideraſſes, haud certe tanta me calumnia aſperſiſſes, atque invectiva exagitaſſes; qua primum & me redarguis imperitiae, dicens: *Haec ne praecepta hiſtoriae?* Et paulo poſt: *Equidem id omne ab hiſtorico quam maxime alienum puto*: & inferius rurſus ingeris, me ſcribendae hiſtoriae numeros non expleſſe; quum videlicet interdum rem increpationibus egerim, ut potius ſcribendarum reprehenſionum, quam hiſto-

hiſtoriae munus ſuſceperim. Me miſerum, quum poſt editionem undecim tomorum Annalium arguor ſcribendae hiſtoriae imperitiae: quaſi fruſtra laboraverim, & cucurrerim in incertum, aerem pugnando verberans, poſt confoſſos ſtilo noſtro, ſed digito Dei ducto, *Centimanos Briareos*, Eccleſiam Catholicam acerbiſſime infeſtantes ac diſſipantes, *Centuriatores* vulgo dictos, eoſdemque cum ignominia ſepultos, tanta iſta patior, & a fratre? Sed iſta tu faciens, omnes contra te concitas Orthodoxos, qui ſumma laude eoſdem proſequuntur Annales. Non ſumus hujuſmodi, indigeamus litteris commendatiis, quum etſi alia deeſſent, ſatis ſuperque iſta videri poſſint ſigna haud dubia bene perfuncti nobis crediti Apoſtolatus. Sed quod parce de ſe, ſuiſque rebus cuique loquendum ſit, parco, ulterius non procedo: & ſi iſta memorans *inſipiens* [1] *factus ſum, vos me coegiſtis*. An me potius feliciſſimum dixerim, quod iſta objiciantur me vivente, qui valeam tanta me calumnia liberare, obſignatamque relinquere teſtibus fideliſſimis noſtram Annalium ſcriptionem, ad omnes recte ſcribendae hiſtoriae praeſcriptas viris doctiſſimis regulas attemperatam. Qui primus antiquorum iſta docuit, magnaque cum laude in eo eſt argumento verſatus, ſed in ceteris impius, fuit *Lucianus Samoſatenus*, qui commentarium edidit cujus eſt titulus: *Quomodo hiſtoria ſcribenda ſit*, laudatiſſimum opus; cujus (quod ad rem ſpectat, de qua inter nos vertitur controverſia) velim aliqua hic perſcripta perlegas, atque primum: *Maxime autem* inquit, *& ante omnia hiſtoricus libero animo ſit, ut neque metuat quemquam, neque ab ullo ſperet quidquam; quoniam ſimilis hoc pacto foret malis judicibus, qui vel ad gratiam, vel ad odium accepta mercede, ſententiam ferunt*. Et poſtquam plura de non timendis Regibus, quum quid in eos dicendum ſit, ſapienter inculcavit, ad idem rediens ſubdit: *Proinde hiſtorici opus unum eſt, ut quaecumque perinde atque facta ſunt exponat. Hoc autem facere non poterit, donec vel Artaxerxen metuerit &c.* Et paulo poſt, rurſum ingerens, addit: *Verum hoc, ut dixi, proprium hiſtoriae eſt: ac ſolum immolandum veritati, ei qui ad hiſtoriam ſcribendam accedit, cetera vero omnia poſtponenda, & in ſumma, ulna una & menſura certa eſt, aſpicere non ad praeſentes auditores, ſed ad eos qui in poſterum in his ſcriptis legendis verſabuntur*: Et ad poſtremum: *Talis mihi ſit hiſtoricus ille, ut metu careat, nullis*

(1) II. Corinth. XII. 11.

nullis muneribus corrumpatur, *&* *liber ſit*, *&* *dicendi libertatem ac veritatem amet*; *quemadmodum Comicus ille ait*: *Ficus*, *ficus*, *ligonem*, *ligonem nominet*, *non odio neque amicitiae quidquam tribuens*, *non parcens*, *neque miſeraſcens aut erubeſcens*, *aut exorari ſe facile patiens*. Huc uſque *Lucianus*, & ſane quidem Chriſtianae religioni magnopere conſentientia. Eadem apud Latinos *Cicero* [1] haec breviter: *ne hiſtoricus quid falſi dicere audeat*, *deinde ne quid veri non audeat*. Quibus munitus ut de ſe teſtatur ipſe *Salluſtius* [2] aggreſſus eſt hiſtorias ſcribere, quod, inquit, *a ſpe*, *metu*, *partibus Reipublicae animus liber erat*. Quem quidem mihi ſcopum collimandum ab ipſo exordio ſcribendae hiſtoriae ſuſcepi, adeo ut nec latum unguem ab eo aliquando divertiſſe meminerim; maximum ducens ſacrilegium, ut Chriſtianus homo, ejus quam in primis colere debet, veritatis proditor ſit, quam ſolam ſpectandam ethnici auctores tantopere praedicarunt. Accepiſti propoſitum meum, quot verſibus, tot a me in Annalibus declaratum exemplis.

Jam vero ea diluenda eſt objectio abs te illata, quod putas contra hiſtoriae regulas agi, quum a nobis, rarae licet & breviores reprehenſiones intermiſcentur, ut quum modo in falſarium ea quae reprehendis obiter dixi, quod exiſtimes nullam omnino eſſe relictam hiſtorico reprehendendi auctoritatem. Provoco te ad hujus facultatis peritiſſimos ab omnibus receptos, & in primis ad eum quem diximus, *Lucianum* (3) qui abſque aliqua controverſia, laudationes & reprehenſiones intermiſcendas ab hiſtorico eſſe docet, ſed menſura ſua. Ait enim: *Laudes quidem aut reprehenſiones omnino parcae & circumſpectae*, *&* *calumniis minime obnoxiae*; *praeterea & cum demonſtratione quadam & breves*, *&* *non intempeſtivae texendae ſunt*. Ad quam quidem menſuram, reprehenſionem hanc meam dictam in falſarium eſſe reperiet quiſque prudens veritatis amator, quem in omnibus cupio judicem rerum noſtrarum. Accipe & de his *Saluſtii* teſtimonium, qui quidem in eodem maxime claruit ſcribendi genere; in proemio enim quod praefixit ſuae hiſtoriae *de conjuratione Catilinae* haec habet: *Arduum videtur res geſtas ſcribere*; *primum quod factis dicta ſunt exaequanda*, *dein quia plerique*, *quae delicta reprehenderis*, *malevolentia &* *invidia dicta putant*. Haec ipſe de reprehenſione, plane totidem ver-

(1) Cicer. de Orator. lib. II.
(2) Salluſt. proem. de Bell. Catil. ſub fin.
(3) Lucian. Quom. hiſtor. ſcriben.

verbis exprimens caſum hunc meum, cujus cauſſa abs te redarguor imperitiae; quam autem juſte, tu vides. Exſulare tantum ab hiſtoria monent veteres prolixa encomia, non laudes mediocres; longiores invectivas, non breves reprehenſiones, ut non reprehenſione ipſe careat Orator (1), qui ab hiſtorico omnem dicendi amovet aſperitatem, & reſecat dictionis aculeos. Nam ſi eſt conceſſa reprehenſio, ipſa quidem ſui natura, aſpera, armata ſemper aculeis invenitur, ſed ipſum in ceteris laudatum *Ciceronem*, ſcribentem hiſtoriam reprehendit *Dio*, (2) atque deriſit vehementer opus, quod lectione minime dignum periit cum auctore.

Haec tibi ad exactam rerum noſtrarum rationem percipiendam attulimus, quum alioqui in his quae ſpectant ad tractationem illam de Monarchia, quam ſolam impugnandam ſuſcepiſti, licuiſſet in defenſionem ipſius, ne redargui poſſemus ejus facultatis indocti, illud in excuſationem afferre: ex mandato ſummi Pontificis jubentis tractationem illam pleniſſime ſcribi: eam judiciali ſchemate in controverſiae modum proſequi, neceſſe fuiſſe, atque ſtilum ad hiſtoriam ſcribendam aptatum, ad judiciale dicendi genus acuminare, ita ut nonnihil ab inſtituto divertere opus fuerit. Nam & praeter inſtitutum factum vides, ut qui per annos ſingulos res geſtas ſcribendas ſuſcepi, heic oportuerit plurium ſeculorum annos ſimul conjungere; quod id a me exigeret opus Pontificia auctoritate commiſſum, alia ab hiſtoria diverſaque ratione tractandum.

Sed reliqua proſequamur. *Haec*, inquis, *ſacroſanctae Sedis modeſtiam & Eccleſiaſtici imperii urbanitatem decent?* Et quae ſequuntur; exaggerans tantopere acredinem ſtili, a me in falſarium illum exhibitam, quum nulla velis occaſione orationem ab urbanitatis lepore, ſuavitatis dulcedine, lenitatis facilitate, quavis occaſione poſſe recedere. At non te latet ex ſententia *Ciceronis* (3) hiſtoricum non alia voce niſi oratoris, immortalitati ſuam hiſtoriam commendare? Porro bene noſti apud Rhetores inter alios eſſe locum in oratione formanda, qui contentio dicitur, & ſic definitur: (4) *Contentio eſt oratio acris, & ad confutandum, & ad confirmandum accommodata*. Eademque alio modo (5): *Indignatio dicta, locuples in multitudine argu-*

(1) Cicer. de Orat. lib. II.
(2) Dio Hiſt. lib. XLVI.
(3) Cicer. de Orator. lib. II.
(4) Lib. IV. ad Herenn.
(5) Cicer. de Invent. lib. I.

Digitized by Google

mentorum, *quindecim ſub ſe continens loca*, *unde ſpicula reprehenſionum educat*. Sanctus autem *Auguſtinus* ex noſtris in Commentario *de doctrina Chriſtiana* (1) grande hoc nominat dicendi genus, idemque docet quando a nobis ſit adhibendum his verbis: *Quum vero aliquid agendum eſt*, *& ad eos loquimur qui hoc agere debent*, *nec tamen volunt*, *tunc ea quae magna ſunt*, *dicenda ſunt granditer*, *& ad flectendos animos congruenter*. Et inferius alium docet caſum, quo ejuſmodi uti grandi dicendi genere ſit opportunum, quum videlicet aliqua inolita prava conſuetudo ſit radicitus evellenda: quod bene ceſsiſſe ſibi ipſi teſtatur, quum Caeſareae Mauritaniae ad id praeſtandum eodem ſibi utendum fuerit grandi dicendi genere.

Modo cauſſam noſtram ad examen revoca perfectae oratoriae dictionis. Quis neget nos in utroque verſari caſu; ſive quod res magni momenti tractanda fuit cum regiis miniſtris, qui quod agere debent, hoc tamen nolunt, ut per plurima annorum curricula, innumera exempla decurſa ſignificant, & hactenus in dies perſpicua luce demonſtrant; ſive quod altioribus defixam radicibus pravam conſuetudinem, cui reſiſtunt Canones, decreta Pontificum, Patrum ſententiae, Sanctorum exempla, evellendam ex mandato ſuſcepimus? Cuinam parendum, *Auguſtino* tam exacte nobis dicendi regulam praeſcribenti, an aliis, aliud ſentientibus, prudentium ſit judicium: quum alioqui & de his antiquiorem habeamus ab Apoſtolo praeſcriptam praeſulibus dicendi formam; quum nimirum *Paulus Timotheum*, nuper a ſe ordinatum Epiſcopum, ſic informat: (2) *Praedica verbum*, *inſta opportune*, *importune*: *argue*, *obſecra*, *increpa*. Quanta autem in his aculeorum ſeges, urbanitatis raritas inſit, tu conſidera: nam primum, importunitas figit aculeos, redargutio premit eoſdem, & increpatio iterat ipſos: at vero urbanitati ſolum datur quod dicitur, *obſecra*, ut nulla poſsit in me eſſe juſta querela de inſtituta atque contexta [ut ais] aculeis oratione; quam totam velis eſſe mellitam. Sed non culpae cedit verbi Dei miniſtro, ſi melle forte careat, quod offerri in ſacrificio Deus (3) vetuit, longe major eſſet eidem aſcribenda culpa, ſi ſale deficeret, cujus non mulcet dulcedo, ſed rodit mordacitas: quod oporteat (4) ſemper adeſſe, quum ipſum jubeatur Sacerdos in omni ſacrificio adhibere.

Poſt-

(1) S. Aug. de doctr. Chriſt. lib. IV. cap. XIX. & XXIV.
(2) Timoth. IV. 2.
(3) Levit. II. 11.
(4) Levit. II. 13. & Numer. XVIII. 19.

Poſthaec ſubijcis: *Equidem*, inquis, *id omne & ab hiſtorico & a viro tui ſimili, qui ad hunc honoris gradum evectus; prae ceteris ſe Chriſtianum Principem, pium, religioſum debeat profiteri, quam maxime alienum puto*. Haec tu; ſed in his quae ad munus optime ſcribendae hiſtoriae pertinent, jam dictum eſt. Quod autem maxime alienum putas [ut ais] ab homine pio & religioſo, qui ad hunc Cardinalatus gradum evectus ſit, libertate hac uti dicendi in corruptorem diplomatis Pontificii, ſatis digne mirari non poſſum: excuſo tamen quod non perceperis ſententiam verborum meorum: quae dicta in nequiſſimum hominem, jactata in Regem male interpretaris. Ceterum illud ſic habeto, mihi pro minimo eſſe, ſi ſtilo tantum vel verbis agam adverſus quoſcunque invadentes Eccleſiae jura, & opprimentes eccleſiaſticam libertatem, paratus divino auxilio defendere eadem voce ſanguinis ſublimius ad Deum clamantis; quod non puto dixeris alienum, ſed maxime congruum viro ad tam ſublimem apicem dignitatis evecto; qui animo erectus, omni timore ſuperior, cum Apoſtolo dicat: (1) *Quamdiu ſum gentium Apoſtolus, miniſterium meum honorificabo*: & immota conſtantia cum eodem item addat & ſentiat: (2) *Bonum eſt enim mihi magis mori, quam ut gloriam meam quis evacuet*: iſta exemplo Sanctorum & verbo ſignificans, & digna actione confirmans.

Quod inferius noſtra condemnans, differentiam ponis inter priores inſtitutores Monarchiae, & praeſentem Regem ejus poſſeſſorem; quod illi invitis Romanis Pontificibus & contradicentibus egerint, iſte recentior permittentibus illis poſſideat illam: quam falſiſſimum ſit, ſatis ſuperque demonſtratum ſuperius capite VII. ad quae te ipſum revoco, provocoque lectorem; ex quibus neceſſario corruunt quaecumque heic, ſive ſuperius, ſive inferius, eodem vano fulcimento mox caſura ſunt poſita.

Adijcis ad haec dicens, quod *vix credi poteſt quantum* ex his ſcriptis noſtris, *regius animus irritetur*. Sed abſit, ut hoc tibi concedam, credamque Sacerdote monente, & quodammodo ex perſona Pontificis ea jubentis legatione fungente, irritari [ut ais] ne dum commoveri Sereniſſimi Regis animum. Haud levem quidem tantae Majeſtati notam inuris, dum ita moribus comparatam affirmas, ut quae ſuae ſunt ſalutis, ſive vera ſint, ſive praetenſa, ſacerdotem monentem animo adeo perturbato ſuſci-

(1) Rom. XI. 13. (2) I. Corinth. IX. 15.

ſuſcipiat, immo, ut ais, irritatus eijciat. Numquid non Regi notiſſimum eſt illud Evangeliſtae: (1) *Qui vos audit me audit: & qui vos ſpernit me ſpernit*. Qui legatos hoſtium (quod juris gentium ſit) benigne audit, & cuſtodit eos illaeſoſque dimittit: non audiet pacato animo S. R. E. Cardinalem, pacis legatione fungentem, ſalutis nuncium afferentem? Audiendus quicumque; nam & eo exemplo Rex cautior reddi debet; quod qui plurium ſententia reputatus eſt (2) ſtultus legatus atque nuncius rerum falſarum, fuerit inventus afferre regnum *Jehu* filio *Joſaphat* ab *Eliſaeo*: magno namque periculo Sacerdos monens reijcitur a Principe audire nolente. Nam ſanctus *Ambroſius* (3) ad *Theodoſium* Imperatorem. *Si indignus ſum qui a te audiar, indignus ſum qui pro te offeram*: non recipiente Deo ejuſmodi ſacrificium. Cujus etiam inſtruimur exemplo atque doctrina, quid irato Regi vel potius miniſtris, ejuſmodi praetextu irae Regis compeſcere dicendi libertatem conantibus, reſpondere debeamus (4) *Allegatur* [inquit ipſe ſcribens ad Marcellinam ſororem, quae accidiſſent] *allegatur Imperatori licere omnia, ipſius eſſe univerſa. Reſpondeo: noli te gravare Imperator, ut putes te in ea quae divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere; vis diutius imperare, eſto Deo ſubditus. Scriptum eſt* (5) *Quae Dei Deo, quae Caeſaris Caeſari. Ad Imperatorem palatia pertinent: ad ſacerdotem eccleſiae. Publicorum tibi moenium jus commiſſum eſt, non ſacrorum*. Haec ipſe. Vides quales tu provoces Chriſtianae militiae duces agere pro Eccleſiae jurium defenſione adverſus Siculam Monarchiam.

Perorando autem haec abs te glorioſe dicuntur. *Neque enim minora poſſunt aut pauciora contra te, pari ſtilo & orationis libertate referri, praeſertim quum me magis deceret, plurima & graviſſima quaeque in unum congeſta proferre, quibus contra hanc tuam uberiorem dicendi licentiam Regem Catholicum pro viribus tuerer, quam te tam multa contra auguſtiſſimam illius majeſtatem inveniſſe quae diceres*. Utcumque pro arbitrio dixeris, pari ſtilo & orationis libertate contra me a te dictum, certe numquam gloriari poteris, pari cauſſa abs te factum, immo in contraria niſum. Ego quidem id praeſtiti, quod praeſtari ſolitum novimus a viris Sanctiſſimis Catholicae Eccleſiae

(1) Luc. X. 16.
(2) 4. Reg. IX. 1. & ſeqq.
(3) S. Ambroſ. ep. 29.
(4) Idem epiſt. 33.
(5) Matth. XXII. 21.

ſiae defenſoribus, quorum cultum ſolennibus ritibus Eccleſia ipſa proſequitur. Praeſtiti, inquam, animo non invito, miſertus infelicisſimum Eccleſiae ſtatum, & meae memor conditionis atque juratae promiſsionis, quam quum in ampliſsimam cooptatus ſum dignitatem, ex ſcripto ſacrae formulae recitato, terribili juramento, cujus tantum memoria animus horret, & occupat membra tremor, ſpopondi [quod tu diu ante me feceras] pro conſervandis Eccleſiae juribus illibatis, certaturum ad obitum uſque & memoria retinens, quod neque alia conditione vocatus ad pileum, niſi ut hujuſmodi purpurei coloris inſignibus ad martyrium, meum ſcirem pro eccleſiaſtica libertate tuenda, ceteriſque Eccleſiae juribus defendendis eſſe ſanguinem oppignoratum. Quod ſi quando a nobis iſta praeſtanda ſunt: ſane quidem magna urgente neceſsitate, importunius id a nobis praeſens tempus exigit, de quo ſit dicendum cum *Amos* (1) *Tempus malum eſt*; immo & cum *Michaea*: (2) *Tempus peſſimum eſt*. Quis memoret inferentium ſe in urbem quotidie frequentem nunciorum lugentium Epiſcoporum concurſum, deferentium ad ſanctam Matrem [ad cujus gremium unica ſpes reliqua atque perfugium] Romanam Eccleſiam, Apoſtolicam ſedem, caſus lugubres, auditu horribiles, de iis quae miſeri Epiſcopi pati coguntur a ſecularibus poteſtatibus? Probe norunt iſta fratres noſtri, qui in his audiendis jugiter occupantur, de quibus illud appoſite (3) *Ecce gemunt Gigantes ſub aquis, & qui habitant cum eis*; dum tot, tantiſque negotiorum fluctibus operiuntur: ſed & qui clavum tenet, *Petri* ſucceſſor, ad iſta animi angore vehementiori comprimitur, ſed non atteritur, aſſurgens quantum licet contra tot adverſa robuſtior. An nos ſoli audituri eramus abſque profectu jactata cum dedecore opprobria exprobantium Prophetarum? ut illud *Ezechielis* (4) *Quaſi vulpes in deſertis Prophetae tui Iſrael erant. Non aſcendiſtis ex adverſo, nec oppoſuiſtis murum pro domo Iſrael, ut ſtaretis in praelio, in die Domini*; ſive *Iſaiae* (5) *Speculatores ejus caeci omnes ..... canes muti non valentes latrare*; & clamantis *Amos* (6): *Vae qui opulenti eſtis in Sion .... ingredientes pompatice domum Iſrael .... Qui ſeparati eſtis in diem malum, & appro-*

(1) Amos V. 13.
(2) Mich. II. 3.
(3) Job XXVI. 5.
(4) Ezech. XIII. 4. 5.
(5) Iſa. LXXVI. 10.
(6) Amos VI. 1. 3.

appropinquatis ſolio iniquitatis, atque demum querela illa, quod (1) *nihil patiebantur ſuper contritione Joſeph*? Anne nos tantum non expergiſceremur tot clamoribus Prophetarum, aut non excitaret prophetica tuba *Joelis*, illud bellicum intonantis: (2)*Sanctificate bellum, ſuſcitate robuſtos: accedant, aſcendant omnes viri bellatores. Concidite aratra veſtra in gladios, ligones veſtros in lanceas. Infirmus dicat: quia fortis ſum*. Ego ipſe infirmus ille; ſed *Omnia poſſum in eo qui me confortat*; qui & (3) *cum infirmor, tunc potens ſum*. Exſurrexi in praelium a Deo ſanctificatum, exemplis ſanctiſsimorum virorum honeſtatum, ſacerdotumque tubis annunciatum: exſurrexi, inquam, ſed non progreſſus ſine conſilio, ut ſacerdotes illi qui periiſſe narrantur, (4) *dum voluerunt fortiter facere ſine conſilio exeuntes in praelium*. Conſiliarius mihi fuit qui & ſuaſor, qui & impulſor, excitator & juſſor, ſanctae memoriae ſanctiſsimus Papa *Clemens*. Si in his (5) *ſi voluero gloriari, non ero inſipiens: veritatem enim dico*, quod cauſſa digna digne gloriandi tanta praeceſſerit. Tu autem quum gloriaris, quod pari ſtilo & libertate egeris contra me, Romanae Eccleſiae jura tuentem; vide ne quod reprehendit Apoſtolus. *Non eſt bona gloriatio veſtra*, ad te perveniat, te perſtringat: Sed *ſi* (6) *gloriari oportet*, [*non expedit quidem*] inde ſume tibi ampliſſimae gloriae titulum, quod primus inter Catholicos S. R. E. Cardinales inventus ſis, qui adverſus ejuſdem dignitatis propugnatorem, pro defenſione Romanae Eccleſiae jurium pugnantem, ſcriptis adverſariis exagitaveris, oppreſſeriſque calumniis: ſume tibi hoc nomine muralem coronam, quod primus inacceſsa moenia ſacra pervaſeris. Sed cave *gloriam* (7) *quae eſt in confuſione ipſorum qui terrena ſapiunt*. Magis time, ne te reſpiciat quod expoſtulans Chriſtus ait: (8) *Qui non eſt mecum contra me eſt; & qui non colligit mecum, diſpergit*. Maximum plane deſuper imminet in his peccaſse periculum, quod utiliter etiam vitae diſpendio fuerit redimendum. Adeſse feſtinant tempora, quum ſtabimus ante tribunal Dei, judicandi ſimul & accepturi poenam vel praemium, gloriam vel confuſionem, pro contrariis

(1) Amos ibid. ℣. 6.
(2) Joel. III. 9. 10.
(3) Philipp. IV. 13.
(4) 1. Corinth. XII. 10.
(5) 2. Corinth. V. 9.
(6) 2. Corinth XII. 1.
(7) Philipp III 19.
(8) Luc. XII. 23.

riis ab invicem collatis officiis. Tunc apparebit, quod *non* (1) *qui ſeipſum commendat, ille probatus eſt, ſed quem Deus commendat*.

At quod his addis, *decuiſse te plurima & graviſſima congeſta protuliſse, quibus contra noſtram dicendi licentiam, regem Catholicum pro viribus defenderes*. Sane quidem quod ad defenſionem Regis pertinet, quum nec verbulo quidem (ut oſtendimus) certum ſit nos in Regem peccaſſe; ſuperfluus omnino fuerit conatus tuus, ſolus pugnans quod non ſit qui repugnet, & ſtans ex adverſo feriat, vel excipiat ictus. Si quae vero contra male aſſertam Siciliae Monarchiam a nobis ſunt poſita, velis pro arbitrio tuo contra ſententiam meam & aſſertam ſcriptis profeſſionem, interpretari in Regem eſſe dicta: tunc plane ut tuereris Regem (quod tantopere profiteris) fuiſſent tibi ſingula a nobis propoſita argumenta confutanda: quod cum nullatenus feceris, ſed tantum ad meam in dicendo libertatem, ſtilumque redarguendum te converteris, probaſſe potius viſus ſis cetera quae ſpectant ad cauſſam; ſicque non defenſa, ſed offenſa potius appareat tuo officio Regis cauſſa, quae ex hac tua ſcriptione magnum ſentiat praejudicium.

Demum vero claudens eodem fine quo initium coeperas, ſcriptionem hanc tuam, ais: *Ea abs te rogatus tibi offero*. Quomodo a me rogatus? Num, ut ſic noſtra perlegeres, quo probares jam probata, & cuſa; ſive cenſorem ipſorum ageres, eademque ſcriptis adverſariis perurgeres, publice in nos conflatas calumnias diffamares? Minime gentium: neque enim tu id ipſe ejus exordio profiteris; ſed, ut condiximus, ea quae tibi diſplicuiſſent, amice coram afferres pollicitus, ego reddere de omnibus rationem, & corrigere quidquid reperiretur non eſſe conſentaneum veritati: haec eo liberalius offerens, quod ſcirem eamdem tractationem de Sicula Monarchia, judicio trium ampliſſimorum Cardinalium ventilatam, nec quidquam habere in quo poſſes eam redarguere falſitatis. Neque in hoc mea me fefellit opinio: ſi quidem tu videns cuncta ſoliditate & firmitate diplomatum Romanorum Pontificum ut murum aeneum inconcuſſa perſiſtere, eorum reveritus auctoritatem, (ut par erat) ab omni contradictione prudenter abſtinuiſti. Quum autem omnem tibi veritas ad arguendum erroris res ipſas aditum praecluſiſſet,

(1) II. Corinth. X. 18.

tunc adverſus verba quae acerbiora tibi ſunt viſa, tuos arietes convertiſti: ſed conatum tuum fruſtra ceſſiſſe fractumque deſiiſſe, ex iis, quae a nobis ſuperius dicta ſunt, facillime colligere potuiſti.

Tibi offero, dicis. Sed mihi non dediſti, neque miſiſti per aliquem qui nomine tuo daret; ſparſiſti per urbem ejuſdem tuae ſcriptionis exemplaria complura invito & vetante Pontifice, jubente pariter, quod ex Sanctitatis ſuae ore excepi, ut dilapſa e manibus revocares ejus exempla: ſed & alia ex ipſis exemplaribus multiplicata eſſe percepimus, principibus & aliis nobilibus miſſa; ut non Italiam, ſed Hiſpaniam quoque repleverint, nec adhuc tamen ad me miſeris, quae in tua fortaſſe ludens epiſtola adeo liberaliter mihi primum omnium profiteris offerre. Accepi tamen, nec abs te, ſed ab alio qui deſcripſit: ſtatimque exemplar fideliter ſcriptum ex animi ſententia nactus, contuli me in Tuſculanum, ubi licet carens domeſtica Bibliotheca, *Reſponſionem* tamen *Apologeticam* iſtam paucorum dierum vigiliis adornavi: quo ſcias, pro veritate certanti, vires a Deo deeſſe non poſſe nec arma. Offeram eam, praerogativa ſummae dignitatis & auctoritatis id exigente, ſummo Pontifici. Si contigerit in manus tuas aliquando deferri, accipe grato animo, boniqueconſule: ut autem eam offerre tibi non poſſim, jam abs te praecluſus eſt aditus, quum tuam ad me ſcriptam Epiſtolam nec mihi hactenus impertieris. Vale, ſcitoque me debita Chriſtianae charitatis erga te officia illibata in omnibus, auctario etiam quotidiani foenoris cumulanda, perpetuo ſervaturum.

EPI-

EPISTOLA CLXXXII.

PHILIPPO III. HISPANIARUM REGI CATHOLICO

CAESAR CARD. BARONIUS.

Rationes adfert, quibus adverſus Siculam Monarchiam ſcripſerit.

SACRA Regia Catholica Majeſtas. Non ante creationem novi Pontificis, ejuſdemque aetate florentiſſimi, ſenior ego, laboribus fractus, viribus debilitatus, & jam ſepulcro propinquus, ad Catholicam Majeſtatem veſtram mihi in animum induxi fore ſcribendum, ne viderer, dicam libere, Pontificia ceſſante Sede, ejuſmodi internuntio litterarum, auram voluiſſe captare regiam, & ita ſternere mihi viam ad gradus ſublimioris conſcenſionem. Sed procul abſit ut me Regum favor, & non potius Regis Regum Chriſti gratia in thronum provehat altiorem. *Domini eſt aſſumptio noſtra, & Sancti Iſrael Regis noſtri*, a quo tantum expecto, ipſe ſcit, ſedem illam in coelo perennem, quam promiſit ſequentibus ſe diſcipulis ſuis. Adeo ut hae ex parte compendii loco duxerim, ſentire de illa diſpendium: ad quam excludendam etiam eſſe ego ipſe debeam adjumento, ne hujus ſentiam detrimentum; & gratias agere, & bene precari magis, iis qui obſiſtunt quam qui favent. Ceſſantibus igitur his, jam ad aures Regis Catholici, veritatis amantiſſimi atque juſtitiae obſervantiſſimi, liberior acceſſus pateat emeritae militiae eccleſiaſticae Sacerdoti, cauſſam agenti ſuam, & Romanae ſimul Eccleſiae. Ingens concitatus eſt in me rumor, Catholice Rex, litteriſque conclamatum ad Apoſtolicam ſedem a Proregibus utriuſque Regni Neapolitani atque Siciliæ, quod contra Monarchiam Siculam tractationem ſcripſerim, ediderimque una cum XI. Annalium tomo, ſuo loco, ſervato ordine temporum, collocatam. Juſta eſſe potuiſſet iſta querela, ſi ad labefactandum, perdendum, demoliendumque regnum utrumque; & non potius ad firmandum quod caderet, fulciendum quod rueret, ſtabiliendum quod nutaret: ac conſolidandum quod non conſiſteret, tentata omnia iſta eſſe potuiſſent. Sed prodamus, neceſſe eſt, magnum conſilium ſapientiſſimi architecti, *Clementis* ſcilicet ſanctiſſimae memoriae Papae VIII.

iſta curantis; qui probe ſciens, expertus & ipſe, frequenter actitatum a Praedeceſſoribus ſuis, ſive litteris per Nuntios, ſive certis legationibus cum Regibus Hiſpaniarum, ut male inſtitutam contra eccleſiaſtica jura Siciliae Monarchiam e medio tollerent, quam ſcirent nullo pacto poſſe ſubſiſtere; fruſtraque ceſſiſſe omnes conatus ipſorum, praetextibus diverſis eluſos: oblatam libens volenſque occaſionem arripuit. Quum enim ſciſſet eodem XI. Annalium tomo tractari debere, certa habita temporum ratione, res geſtas *Urbani* Papae II. qui male aſſeritur auctor ejuſdem Monarchiae Siculae; Pontificia mox ipſe nos interpellavit auctoritate, ſerio valde admonens ne curſim rem tantam attingerem potius, quam diſcuterem: ſed ut de ipſa prolixius diſputarem, & propenſiori ſtudio in opus incumberem, antiquiora quaeque verterem monumenta, ſcrutarer Bibliothecae Vaticanae angulos ſingulos, ejuſdem latebras penetrarem, & Munitionis *Sancti Angeli* penetralia archivorum, ſecurus adirem; patere mihi cuncta praecipiens quae ubique locorum eſſent vetera Sedis Apoſtolicae cuſtodita ſcriniis documenta: hoc unum intendens, ut ſi qua eſſent [quae nulla re vera eſſent] fundamenta ſiculae Monarchiae, eadem refoſſa exponerentur oculis intuentium, ne quod eſſe poſſet amplius negandi ſubterfugium; ſi eruderatis aggeribus, egeſta terra, quid ineſſet fundamenti jam pateret aſpectui. Non quidem ut male erectam tantam molem, ſponte ſua corruentem, everteret; ſed potius ut paterno affectu aliquo remedio excogitato fulciret atque firmaret; ut abſque ſcandalo tibi ipſi Catholico Regi digno titulo tanti nominis integram conſervaret. Quomodo autem hoc ipſum fieret, per recentem qui in Hiſpanias a ſanctiſſimo Domino Noſtro *Paulo V.* Nuntius mittetur (uti accepimus) nota erunt. Id fuit ſanctiſſimi Papae *Clementis* conſilium, tanto Pontifice dignum; is conatus ejus, ſapientum ore laudandus. Quod vero ad demandatum ab ipſo nobis pertinet inſtitutum, pro viribus laboravimus, ut Chriſto praevio, comite veritate; licet ipſa operoſa editio Tomi illius haud me penitus liberum fecerit, ut totus in unum addictus, ad alia non diverterem, diviſus in multa. Fuerim ne autem quod petierat idem Pontifex aſſecutus, perſpicaciſſimo ejus judicio definiendum putavi. Quamobrem quae a me eo argumento ſcripta fuere, ad ipſum attuli cognoſcenda. Accepit, lagit ac perlegit iterum: quum expectans ego praeſens ſententiae ipſius elogium, ex imo pectore alta ſuſpiria

Digitized by Google

ria ducens, in iſta dolens erupit: *Nunquam putaſſem*, inquiens, *adeo vanis inniti Monarchiam Siculam fundamentis*. Ad pleniorem autem ejuſdem ſcriptionis cognitionem, eamdem ipſam tribus ſelectis S.R.E. Cardinalibus, diſquirendi tribuit facultatem. Quam accurate diſcuſſam, comprobatam pariter atque laudatam, ita ad lapidem Lydium admotam ſaepius, inventamque ſinceram atque dignam quae typis excuſa, traderetur in lucem, juſſit imprimi, impreſſamque iterum a ſe lectam, probatam iterum, edi voluit una cum XI. tomo, cui erat intexta. Hactenus quae ipſo vivente ſunt geſta. Ubi autem paucos poſt menſes ab editione ejuſdem Annalium tomi idem ſanctiſſimus Papa ex hac vita ſubductus ſancto fine quievit, in me ipſum tanto patrocinio deſtitutum ſunt omnia tela converſa. Increbuit impetus detrahentium, irruit acerbitas perſequentium velut jurato quodam implacabili bello. Sed in his adverſis inde mihi ingens parta fiducia, atque eſt aucta ſecuritas, quod juſſu *Petri* comprobata à *Petro*, ex ipſa Sede *Petri* ſcripta iſta noſtra prodierint, abſque dubio in ſecula permanſura. Quicumque enim ſuper petram aedificaverit domum ſuam, verbo Domini pollicente, ſtabit ejus aedificium ſempiternum ſupra Petram, ob idque ſecurus & imperterritus: Sto ſupra Petram, quae nulla umquam cujuſvis eſt perſecutione confracta, confringens ipſa ſemper eos, qui in eam incaute nimis offenderint, & conterens illos ſuper quos ipſa ceciderit. Videant modo his adverſantes, ne in ipſam impingant, neve ab ipſa ex alto ruente Petra penitus conterantur. Intelligant, ſero ſaltem, laici homines, quanto periculo comprobata a Sede Apoſtolica ſcripta condemnent atque proſcribant: noſcant pariter, quanto indecore, non ſine offenſa Catholicae veritatis, laica manus clavum ſcientiae, quam ſolius eſſe *Petri* Catholica profitetur Eccleſia, arripuerit, ut judicet atque damnet ſcripta, juſſu imperata, & calculo comprobata Romani Pontificis, cujus eſt auctoritatis ſolius judicare, probare vel condemnare cujuſvis ſcripta, praeſertim eccleſiaſtica. At, licet ex humanis ſubductus ſit *Clemens*, tamen ſicut auctoritas, ita idem ſpiritus atque voluntas propagata intelligitur in ſucceſſores, modo vigens in *Paulo*, cujus ſicuti creatio exſtitit admiranda, ita adminiſtratio Dei arbitrio ad perfectos numeros compoſita, ſit metuenda. Ut nullo pacto paſſurus ſit labefactari leges ſacras, convelli eccleſiaſticam immunitatem, aut praeter fas juſque praeſumi vel abripi ab aliquo quidpiam, vindex ipſe acerrimus Eccle-

cleſiae jurium. Demum vero antequam finem ſcribendi faciam, ut obſervantiam meam erga Regiam Majeſtatem veſtram propenſiſſimam ampliſſimis notis ſignificem, haec adiiciam: Quod quum natus ſim ipſi ſubditus, tributum eidem quotidie perſolvendum indixi mihi ſincerae fidelitatis, caritatis de corde puro, conſcientia bona & fide non ficta, atque precum pro ſalute ſua ad Deum. Quod vero auctus ſim poſtmodum, licet immeritus, ſicut invitus, dignitate Cardinalatus, nequaquam his me volui exemptum obſequiis, & liberum ab officiis, ſed aucto foenore cenſum addidi debitum Principibus a Sacerdotibus, veritatem nimirum, quum tempus exigit & occaſio poſtulat, libere annunciandi quo munere Reges, quum magis conſueverint indigere, debent avidius exoptare, oblatum vero accipere gratius, retinere tenacius, atque cuſtodire diligentius. Quis contemnat audire monentes Sacerdotes, ejus praeſertim cardinis in quo, unitate Eccleſiae capitis, univerſus volvitur & regitur Catholicus orbis? Cujus quidem capitis, pro neceſſitate rerum, interdum aurium, ſive oculorum, interdum oris officio fungimur, ut (ſicut modo accidit) quum juſſu *Clementis*, ut ſaepe dictum eſt, ſcriptis illa mandavi. Quae licet in malam partem accepta fuerint ab ejus miniſtris, de Majeſtate veſtra abſit mihi aliud ſentire, quam ſicut de rege Catholico, Catholicae Eccleſiae defenſore, fidei Chriſtianae propugnatore, propagato atque amatore veritatis, legum cuſtode juſtitiaeque cultore ſentiendum eſt. Quem, rogo Deum & rogabo ſemper dum vixero, cuſtodiat nobis ipſe, diu multumque regnantem feliciſſime. Valeat ſemper Deo placens, hominibuſque proficiens, Catholica Majeſtas veſtra.

Datum in Tuſculano, Idibus Junii MDCV.

EPI-

EPISTOLA CLXXXIII.

CAESARI CARDINALI BARONIO

JUSTUS BARONIUS VETERACASTRENSIS. (a)

Primum ejus ſibi collata beneficia commemorat, deinde ſuam cognominis permutationem, multis rationibus ex juris civilis, & ſacrae antiquitatis monumentis petitis, egregie defendit.

EGO omni officio ac potius pietate erga te ceteris ſatisfacio omnibus, mihi ipſi nunquam ſatisfacio. Tanta enim magnitudo eſt tuorum erga me meritorum [pergo cum (1) Cicerone veſtrate alloqui, Cardinalis ampliſſime) ut quoniam tu niſi perfecta re omni, ideſt omnibus priſtini erroris mei lineamentis eraſis meque ipſo auſpicatoris tibi cognominis foedere aſſociato, de me non conquieſti: ego quia non parem tibi gratiam referre poſsum, vitam mihi eſse acerbam putem. Quamobrem mihi ſacer erit perpetuo Calendarum (2) ille Septembrium dies, cum mane mecum & cum fratre in Lateranum profectus Pontifice Maximo [quae ſingularis ejus erga nos humanitas fuit] è Quirinali eodem adventante, primumque ſolemniter ſacris ad animi etiam noſtri alimoniam operante, poſtea neglecta dudum haereticis initiationibus ſanctiſſimi (3) Chriſmatis ſignacula frontibus noſtris imprimente, tu quae Sacramenti iſtius ſolemnitas eſt, mihi patrini loco adſtare, mecumque ſpiritualem illam cognationem inire: quae vero tua longe maxima bonitas, hoc miſticae cognationis vinculum, immortali cognominis tui arrha obſignare dignatus es. Quam ego tuam longe, Illuſtriſſime Princeps erga me imum terrae filium longe prolixiſſimam humanitatem, quibus verbis efferam, quibus laudibus praedicem, penes balbutiem meam non reperio. Equidem aemulatus videris patrem (4) Evangelicum, qui ut filium lacerum pannoſumque ad ſe poſtliminio redeuntem, quam primum ejectis centonibus nova ſtola indui & annulo novo ornari, & calceamentis novis muniri

(a) De Illᵐᵒ Baronio habes nonnulla ſuperius in notis ad Epiſt. CXXXII. pag. 54.

(1) Famil. Epiſt. I. ad P. Lentul.

(2) Ann. MDCII.

(3) S. Leo Serm. 4. de Nat. Dom. c. 4.

(4) Luc. 15. 22.

niri juſſit: ita tu pertaeſus in me familiaque ſanctae Eccleſiae proſelytis turpiſſimi Calviniani nominis exuvias, conſtitutis jam ex voto reliquis; non ſatis nos novo ornari cognomine habuiſti, ſed quo in omnibus menſura amoris tui largiter redundaret, tuo etiam proprio ornaſti, tuo proprio beaſti, tuo proprio collupletaſti: infelice illo Calvino longe (1) ultra Sauromatas & glacialem Oceanum relegato. Quam rem & ſi moleſte quidam, ut audio, quidam etiam invide & acerbe ferunt, mea tamen pluris ratio facti, quam hominum malignitas intereſse debet.

Primum enim quis vel leviter juris prudens iſtud non habet perſpectiſſimum (2) nomina ad recognoſcendum ſingulos impoſita & (3) mutabilia eſse, & liberrimae inter homines liberos electionis? Statuentibus ſic duobus famoſiſſimis Diocletiano & Maximiano Imperatoribus ſicut (4) inquiunt, in initio nominis, cognominis, praenominis, recognoſcendi ſingulos impoſitio libera eſt privatis: ita eorum mutatio innocentibus periculoſa non eſt. Mutare itaque nomen, vel praenomen, ſive cognomen, ſine aliqua fraude licito jure, ſi liber es, ſecundum ea, quae ſaepe ſtatuta ſunt, minime prohiberis, nullo ex hoc praejudicio futuro. Si liber es, inquiunt. Nam ſervorum alia ratio, qui ut in (5) Jure peſſimo loco ſunt, ita nomen non in ſua, ſed in Dominorum poteſtate conſtitutum habent: cujus rei mox indicia aliquot apparebunt. Deinde fraudem quoque abeſse volunt. (6) Dolo enim malo ſeipſum adoptans, aut novum ſibi nomen imponens, poenam legis Corneliae incurrit, quemadmodum (7) ſervus ille, quaſi Fabiae filius eſset, ex Cejoni Commodi filia Palatina Domo vindicata, jubente Pertinace flagellis caeſus, Domino redditus eſt. Et (8) Herophilus Equarius medicus C. Marium ſepties Conſulem, avum ſibi vindicans, decreto Caeſaris extra Italiam relegatus eſt; denique (9) alius quidem clariſſimae Octaviae Auguſti Sororis utero ſe genitum fingens, Imperio Auguſti remo publicae triremis affixus eſt. At liberorum hominum bona fide, vel ſibi, vel ſervis ſuis, aut libertis,

(1) Juvenal. Satyr. 2.

(2) L. unic. C. de mutat. Nominis & §. Si quis in nomine inſtitut. de Legat.

(3) Ulp. l. 4. C. de legat.

(4) L. unic. C. de mutat. nomin. Addae Boſ. cap. 40. de mutat. nom. Pet. Gregor. lib. 36. Synt. cap. 4.

(5) L. 107. & 146. & 209. & 211. ff. de Reg. Jur.

(6) L. falſi nominis 13. ff. ad l. Cornel. Paul. lib. 5. ſent. tit. 25. ad l. Corn. §. Si quis ſibi.

(7) Capitolin.

(8) Val. Max. lib. 9. cap. 16.

(9) Val. Max. ibid.

bertis, aut filiis adoptivis, aut haeredibus, aut civibus a ſe factis nomen immutantium, tam conferta ſunt Romanae Hiſtoriae exempla, ut quibus ſeligendis potiſſimum inhaeream, aegre mecum conſtituam. Aulus (1) Vitellius [prima ſiquidem recenſio Imperatorum eſto] Germanici cognomen ſibi delatum, cupide recepit. Auguſti diſtulit, Caeſaris in perpetuum recuſavit. Severus Afer, ut Populo Romano placeret, cognomen Pertinacis accepit (2). Julianus ut militibus voluptuoſis ſatisfaceret, Commodi nomine uſus eſt (3). Tandem & Commodus loco ſui nominis, & pro Marci filio, Herculem Jovis filium ſe nominari voluit, depoſitoque cultu Romanorum Principum, pellem leonis ſubſtituit, ac clavam manu geſtavit, demumque ſe mille gladiatorum victorem appellari juſſit. Quam rem quoque Auſonius in Tetraſtichis tetigit:

Commodus inſequitur pugnis maculoſus arenae,
Threcidico Princeps bella movens gladio.
Eliſo tandem perſolvens gutture poenas.
Criminibus faſſus matris adulterium.

De ſervis ſervitutem adhuc ſervientibus (4) memoriae proditum eſt praenomen domini geſtare ſolitos: quod (5) Lucipores, Marcipores, Publipores, Quinctipores, ideſt Lucii, Marci, Publii, (6) & Quincti pueri teſtatum faciunt. De libertis Appellationem Patroni imitantibus, exemplo ſunt (7), M. Tullius Tiro & (8) M. T. Laurea Ciceronis liberti duo, nec non (9) Livius Andronicus Poeta, quem a Marco Livio Salinatore, cujus filios erudierat, libertate donatum Euſebius in Chronicis author eſt: denique ut multos praeteream, Eutychides Artici Servus; de quo ſic (10) Cicero: De Eutychide gratum eſt, qui vetere praenomine, novo nomine T. erit Caecilius, ut eſt ex me & te junctus Dionyſius Marcus Pomponius. Jam adoptivos (11), Dion author eſt, omnia illorum nomina ferre conſueviſſe, quorum in familiam tranſiſſent, gentilitio nomine ſuo retento qui-

(1) Sveton. in Vitell. cap. 9.
(2) Herodian. lib. 2.
(3) Herodian. lib. 1.
(4) Carol. Sigon. lib. de nomin. Rom.
(5) Polit. in Miſ. cap. 31.
(6) Quintil. lib. 1. Cap. 7.
(7) Cicer. 16. Fami. paſſim Euſeb. in Chron. Olymp. 193.
(8) Plin. lib. 31. cap. 6., & 15.
(9) Gell. 17. cap. ult.
(10) Lib. 4. ad Attic. Epiſt. 14.
(11) Lib 40. 46. & 55. Adde Manuti Comm. in lib. 1. Epiſt. Cic. ad Marc. Brut. 1. Epiſt.

dem, ſed aliqua tamen ex parte commutato & plerumque in Anus terminato, ut in exemplis P. Cornelii Scipionis [1] AEmiliani, & L. Manlii Acidini Fulviani, & P. Licinii Craſſi, & Q. Caecilii Q. F. Pomponiani Attici, & M. Terentii M. F. Liciniani, Varronis, Luculli, aliorumque plurium manifeſtum eſt. De civitate donatis eundem morem prodit antiquitas. Sic enim [2] Cicero: „ Cum Demetrio Mega mihi vetuſtum hoſpitium eſt, familiaritas autem tanta, quanta cum ſiculo nullo. Ei Dolabella rogatu meo Civitatem a Caeſare impetravit, qua in re ego interfui. Itaque nunc P. Cornelius vocatur „. Item [3] Caeſar. „ Commodiſſimum viſum eſt M. Valerium Procillum C. Valerii Caburri filium, cujus Pater a C. Valerio Flacco civitate donatus erat, mittere „. Poſtremo & haeredibus teſtamento ſaepe nova nomina impoſita [4] leges multae docent, multaque exempla. Livia enim cum Dolabellam ex parte haeredem inſtituiſſet, nomen mutare juſſit. Qua de re ſic [5] Cicero ad ſuum Atticum. „ Dolabellam video Liviae Teſtamento cum duobus cohaeredibus eſſe in triente, ſed juberi mutare nomen, eſt πολιτικὸν σκέμμα, rectum ne ſit nobili adoleſcenti mutare nomen mulieris teſtamento; ſed id φιλοσοφώτερον διευκρινήσομεν cum ſciemus quantum quaſi ſit in trientis triente „. Sic [6] Baſilius quoque M. Satrium Sororis filium cum feciſſet haeredem, nomen ſuum ferre voluit: nec non Octavius Tiberium ex parte dimidia & ſextante, & Liviam ex parte tertia haeredes inſtituens, eandem illis ferendi nominis ſui conditionem impoſuit. Quod [7] Ovidius fata Auguſti canens hiſce verſibus praedicat:

.... Inque futuri
Temporis aeterni venturorumque nepotum
Proſpiciens prolem Sancta de conjuge natam,
Ferre ſimul, nomenque ſuum, curaſque jubebit.

Atque haec ex uſu priſcae illius laudatiſſimaeque Romanorum Reipublicae inſtituto noſtro ſufficere poterant. Sed & ipſa Hiſtoria Sacra, receptuſque Chriſtianorum mos, majora nobis aptio-

(1) Idem Manut. comm. in lib. 2. Cic. Q. Fratr. Epiſt. 10.
(2) Lib. 3. fam. Epiſt. 36.
(3) Lib. 8. de bello Gallic.
(4) L. Sed & ſi & l. facta §. Si ſub nomine ff. ad Trebell.
(5) Lib. 7. ad Attic. Epiſt. 8.
(6) Cic. 3. offic.
(7) Lib. 15. Metam. Adde Briſſon. lib. 7. de formul.

Digitized by Google

aptioraque exemplorum praeſidia ſubminiſtrant. Ipſo enim Sacrorum Codicum in limine quid? non ne [1] Abram [2] fidelium pater [3] abiecto idolorum cultu, ſuſceptaque veri Dei religione (4) Abraham vocatus eſt? Et (5) Sarai uxor ejus (6) Sara? Et (7) Joſeph, Sapnathopaneas? & (8) Daniel, Balthaſar? & Ananias Sidrach? & Miſael, Miſach? & Azarias, Abdenago? Et (9) Simon Apoſtolorum Princeps, Petrus? [10] Johannes Jacobuſque fratres, Boanerges? & [11] Saulus, Paulus? & fideles denique omnes diſcipulorum nomen Antiochiae, nonne cum voce Chriſtianorum permutarunt? Quam rem ſic pulchre ſuis rationibus illuſtratam expoſuit (12) S. Athanaſius. „ Omnes (inquit) qui credebant in Domino noſtro Jeſu Chriſto, non Chriſtiani, ſed diſcipuli tantummodo vocabantur „. Et quia multi novorum dogmatum Auctores extiterunt, doctrinae obviantes Apoſtolicae, omnes ſectatores ſuos diſcipulos nominabant, nec ulla erat nominis diſcretio inter veros falſoſque diſcipulos, ſive Chriſti, ſive Doſithei, ſive Judae cujuſdam, ſive Johannis ſectatores, qui ſe quaſi Eccleſiae fatebantur, quin potius uno Diſcipulorum nomine ferebantur. Tunc Apoſtoli, convenientes Antiochiae, ſicut horum (Luca (13) narrante) Acta teſtantur, omnes diſcipulos uno nomine, ideſt Chriſtianos appellant, diſcernentes a communi diſcipulorum vocabulo, & ut divini per Iſaiam Oraculi ſermo compleretur, quo ait: Servientibus mihi vocabitur nomen novum. Hanc ergo ab Apoſtolis traditam de novis utendis nominibus formam Eccleſia tenens contra diverſos haereticos [ut ſanae fidei ratio poſtulat diverſas edidit nominum novitates]. Quae poſtrema S. Athanaſii verba, quaſi publicam & receptam hanc mutandorum in Eccleſia nominum conſuetudinem fuiſſe docent: quod & [14] Euſebius teſtatur cum ſcribit. Chriſtianos olim pro nominibus Idolorum, quae ipſis fuerant a parentibus impoſita, nova ſibi nomina alicujus Prophetae, Eliae, Jeremiae, Iſaiae, Samuelis, Danielis &c. adſciviſſe. Idque plerumque Sacramentis (uti veriſimile eſt) intervenientibus. Sic enim in baptyſmo (15)

(1) Gen. 11. v. 26. 27. 29. Gen. 12. v. 1. 4. 6. 7. Ap. ad Rom. 4. ℣. 11. 12. 16. 17.
(2) Gen. 17. S. Luc. 19. v. 9.
(3) Gen. 11. 31. & 12. 7. 8. & 13. 18. Joſ. 242.
(4) Geo. 175.
(5) Gen. 21. v. 29. 30. 31.
(6) Gen. 17. 15.
(7) Gen. 41. & 45.
(8) Daniel. 1. 17.
(9) Matth 10. 2. & 16. 18.
(10) Marc. 3. 17.
(11) Act. 13. v. 9. 13 16. Origen. Praefat. Com. in Epiſt. Rom Act. 11. 26. & 26. 28.
(12) Athanaſ. in diſput. cont. Arium.
(13) Act. 11. 26. & 26. 28.
(14) Euſeb. lib. 8. Cap. 10. 11.
(15) Baron. Tom. 2. Annal. 218. §. 15.

Adrias & Paulina a B. Stephano Epiſcopo nova nomina Neonis & Mariae acceperunt. Sic in Chriſmatis Sacramento [ne ego primus id tentaſſe videar] [1] Hermenegildus Hermenegildi Regis filius, ex haeretico Catholicus factus, Johannes vocatus eſt, & (2) Voicechus, vel ut alii legunt, Wentius in Baptyſmo dictus, Pragenſis Epiſcopus a S. Adelberto primo Archiepiſcopo Magdeburgenſi, ſacro Chriſmate injunctus, Adelberti nomen traxit. Denique Carolus IV. Imperator primum Wenceslaus dictus, idem Imperatorium nomen Pariſiis cum ſacro Balſamo recepit. Quae tanta tantorum Principum exempla (Pontificum enim Romanorum, multorumque religioſorum receptiſſimum in hoc genere zelum in praeſens omitto) hoc uno a me diſtant, quod illi propria etiam nomina, firmius ſcilicet impacta, ego ſolum cognomentum idque odioſiſſimum ac turpiſsimi haereſiarchae ſono maculoſiſsimum refigendum atque abolendum putavi. Quod potiſsimum defenſionis meae caput nunc ſequitur, ut paucis etiam pro inſtituti brevitate perſtringam.

Scribunt (3) probati authores tanta cura veteres nominum δυσφημίαν vitaſſe, ut ne Epidamni quidem aut Maleventi nomina ferrent, quin ea tandem in Dirrachii & Beneventi Appellationes commutarent: ominis ſcilicet cauſa; ut a (4) veteribus traditum eſt, ne eo locorum profecturis ipſo nomine triſte quid portendi videretur. Scribit etiam (5) Plinius, Publicis luſtris nomina victimas ducentium proſpera electa fuiſſe. Et in publicorum vectigalium locatione, lacum Lucrinum propter Lucri ſonum nomini inhaerentem primum locatum fuiſſe, Feſtus tradit his verbis: Lacus Lucrinus in Vectigalibus publicis primus locatur fruendus, ominis boni gratia, ut in delectu Cenſuve primi nominantur Valerivs, Salvius, Statorius. (Qualibus nominibus dubio procul fuerunt milites quos (6) Tacitus in Capitolii dedicatione adhibitos fuiſſe ſcribit. Ingreſsi, inquit, milites, quibus fauſta nomina, felicibus ramis). Sed majori adhuc cura haereticorum nominum δυσφημίαν Chriſtianos in Eccleſia evitare conſueviſſe, argumento eſt, quod ea ex Diptychis etiam delerent, nec memoria quidem vivere paterentur, qui unanimes in Eccleſia Dei

(1) Grego. Turon. lib. 5. cap. 8. 3.

(2) Baron. tom. 10. Ann. 980. §. 1. Ad de notas ad SS. Martyr. Abundii, Abundantis &c. Paſſiones Romae Excuſ. an. 84. f. 133.

(3) Svet. in Auguſto cap. 92. de Briſſon. lib. 2. de formul.

(4) Plin. lib. 3. cap. 11. v. 23. Pomp. Mela. lib. 11. cap. 2. Plaut. Menach. Act. 11. Scen. 1. Dion. lib. 41.

(5) Plin. lib. 28. cap. 2.

(6) Tacit. lib. 20.

Dei vivere noluiſſent. Qua de re [1] Anaſtaſium Papam audiamus, de nomine Acacii abolendo ad Anaſtaſium Orientis Imperatorem, ſic ſcribentem. Legatione fungimur pro Chriſto: ne eos propter offenſionem vel ſcandalum patiamini publice nominari, quorum merita vel actus illum Judicem latere non poſſunt, in cujus jam ſunt judicio conſtituti. (Et infra. Precamur Clementiam veſtram, ut ſpecialiter nomen taceatur Acacii, & quod multis ex cauſis ſcandalum vel offendiculum Eccleſiae concitavit, ſpeciali appellatione taceatur, cum ſicut diximus, in generalitate Sacerdotum uniuſcujuſque meritum illum judicem latere non poſſit, qui novit quid cuique tribuendum ſit pro aeſtimata diſpenſatione meritorum, cui ſoli cogitationes quaeque manifeſtae ſunt.) Digna Summo Pontifice vox, & plane adamuſsim illam Apoſtoli. [2] Ab omni ſpecie mala abſtinete vos, & iterum [3] fornicatio & omnis immunditia, aut avaritia nec nominetur in vobis ſicut decet Sanctos. O quanta mali ſpecies, Haereſiarcharum larvas infidelium coetu circumferre? Quanta [4] fornicatio, religioſae mentis niſum ab unica Chriſti Sponſa Eccleſia ad foediſſima Allophylorum proſtibula convertere? Quorum mentionem, ut in (5) Acacii, Macedonii, (6) Euphemii, (7) Flavitae, Anaſtaſii Imperatoris, (8) Zenonis, aliorumque coeleſtis pudicitiae contemeratorum nominibus damnatis abolere antiquitas voluit: ita quis neget hodie pari jure impuriſſimorum fornicatorum Lutheri, Calvini, Zuinglii, Bezae, Serveti, Gentilis, Melancthonis &c. cognomenta tanquam putrida Sterquilinia, non e ſacris tantum tabulis, ab uſu & foribus Eccleſiae, ſed è labiis etiam ac ſermone hominum eliminanda? Quis enim ex omni antiquitate haereticus ſceleratiora hiſce belvis aut fecit, aut facere potuit? Inſurrexerunt [9] adverſus teſtamenta Dei: tabulas foederis conſciderunt: fidei puritatem coinquinarunt, unitatis veſtem diruperunt, religionis medullam in pulveres, ac cineres converterunt: [10] Calvinus in primis, qui tanquam Colophon impietatis, horrendo Praedeſtinationis commento, omnibus divinae bonitatis, veritatis, miſericordiae, juſtitiae inſignibus eraſis, Buſiridem quendam aut Phalaridem, aut his etiam crudeliorem Satanam, pro Deo nobis ſub-

(1) Epiſt. de nomine Acac. abolend.
(2) 1. Theſ. 5. 22.
(3) Epheſ. 5. 3. 1. Deuter. 31. 16. Eſaiae 1. 21. Jerem. 3. v. 1. 25. Hieron. Ep. ad Ruf.
(4) Baron. Tom. 6. Ann. an. 497. §. 3.
(5) Ibid. A. 515. §. 50.
(6) Ibid. Ann. 489. §. 3.
(7) Ibid.
(8) Ibid. an. 518. §. 25.
(9) Pſal. 54. 22. Et ibid. Auguſt.
(10) Calv. l. 1. 3. inſtit. cap. 21. & 22.

ſubſtituit. Et tu tamen poſtulare audes haeretice, hujus ego ſacrum ut nomen in Eccleſia pro monili geram, cujuſque omnem memoriam ſempiterna oblivione damnavi, illi ſempiternum memoriae aſylum in capite meo conſtituam? Longe aliter (1) Pſaltes. Deleantur, inquit, de libro viventium, & cum Juſtis non ſcribantur. Aliter pia olim Eccleſia impio Anaſtaſio in loco Sancto Sepulto (2): Tollantur, inquit, oſſa Manicheorum. Aliter denique omnes hodie Chriſtiani Catholici, qui ad Calvini nomen non ſecus ac triſtiſſimi Cacodaemonis, aut perfidiſſimi Iſchariotis mentionem nauſeant, expuunt & offerveſcunt. Horum ne igitur ego ſtomachum perpetuo fomento alerem? Hunc tam capitalem Dei bonorumque omniumque hoſtem, quotidiana nominis repetitione venerarer? Abſit: nihil irreligioſius. Quin quemadmodum (3) Agnus ille in monte Sion filius hominis amictus podere & procinctus ad mamillas Zona aurea, vincentibus promittit manna abſconditum & calculum candidum, & in calculo nomen novum ſcriptum, quod nemo ſcit, niſi qui accipit, ut ſcilicet qui ſtatus converſionem conſecuti ſunt, cognomine quoque mutato fulgeant, ut verbis [4] Imperatoris noſtri utar: ita ego Catholicae Matri reconciliatus, atque omni haeretica lue expurgatus, quo ne minima quidem priſtini erroris veſtigia ſupereſſent, grato libentique animo novo me cognomine imbui paſſus ſum, ſine ulla vel Dei vel parentum meorum ignominia, quos ut etiamnum tranſplantatus libenter agnoſco, omnique divini & humani Juris veneratione totus proſequor: ita errorem eorum conſtanter damno, mentemque illis a Deo ſaniorem omnibus animi votis praecor, & opto.

Habes, Cardinalis Illuſtriſsime, quae mihi hoc tempore de nominis a te mihi facta conſonantia [ſic Anaſtaſius Papa ad Anaſtaſium Orientis Imperatorem indigitat] ſcribere libuit & licuit. Unum forte id reſtat, ut quia te ipſo (5) authore Antiochia (6) teſte, quae novo nomine Theopolis dicta, Neſtorianis blaſphemiis inquinata, Coſrois Perſae praeda effecta eſt, parum intereſt, novum nomen ſine novis moribus induere. Tibi tanti mihi beneficii authori, non ſolum omnes debitiſsimas grates, verum etiam

(1) Pſal. 68. 29.
(2) Baron. tom. 6. Ann. an. 518. §. 25.
(3) Apoc. 1. 13. & 2. 17.
(4) In ff. de rat. & methodo Juris docend. ad anteceſſ.
(5) Baron. tom. 7. Annal. ann. 528. §. 23.
(6) Evagr. lib. 4. cap. 6.

etiam [quod facio] omnia illa jura jurem, quibus me tanto ὁμωνυμίας vinculo tibi reddidiſti obſtrictum. Inter quae illud facile princeps & palmarium, ut auſpicatiſsimum Baronianum cognomen virtutibus dignitatibuſque tuis tantopere nobilitatum, omni fide, pietate, conſtantia, doctrina, induſtria, aliorumque Catholicorum ornamentorum decore, quantum poſſum, excolam & quod unice cupio, vivus, mortuuſque cohoneſtem. Vale, Moecenas Ampliſſime, meque ſemel in Clientum, atque a Deo etiam familiae tuae numerum cooptatum, quaeſo nunquam iſto albo excidi patere: qui in dies firmius inſculpe, fortius tuere, atque acrius hortare, quo majores luculentioreſque honori tuo ſemper e ſtudiis meis fructus enaſcantur. Moguntiae. Idibus Februar. MDCV.

EPISTOLA CLXXXIV.

ANTONIO TALPAE.

CAESAR CARD. BARONIUS.

Magna cum laetitia certiorem illum facit ex octo Nepotibus, quinque monaſticum habitum ſuſcepiſſe:

NON laſciarò fargli partecipe, come Dio benedetto ha talmente infuſo lo ſpirito ſuo alle mie Nepoti, che con gran riſoluzione, e molta probatione hanno eletto già eſſere Religioſe, e ſin qui otto ne ſono in cinque Religioni in diverſi Monaſterj di Roma da loro eletti per li più Santi, cioè trè in S. Maria Maddalena, una in S. Suſanna, e due in S. Giuſeppe nuovo Monaſtero delle Carmelite Scalze di Spagna della B. M. Tereſa di grande oſſervanza. Queſta ſettimana hanno fatto la profeſſione due, & una preſo il ſanto habito, ſicche *Magnificate Dominum mecum*. Me ne rimangono ancor trè, quali di minor età ſi allevano in detti Monaſterj, non dubito punto, che non habbino da fare l'iſteſſo, le ho trattate bene in dargli piu dote di quello, che ſoglino fare gli altri, cioè mille di dote, & di acconci trecento ſenza altre ſpeſe. Son ſtato forzato mettermi in debito, del quale ſperarò di uſcire; alcuni Illu-

Digitized by Google

Illuſtriſſimi mi hanno favorito a trovarſi preſenti a queſte nozze ſpirituali: Io pregato da loro ho fatto in ciaſcuna feſta il ſermone, torno a dire *Magnificate Dominum mecum*, ſaluto tutti nel Signore.

EPISTOLA CLXXXV.

ANTONIO TALPAE

CAESAR CARD. BARONIUS.

Narrat, quantum egerit, ut Pontificiam dignitatem declinaret.

HO viſto quanto V.R. mi ſcrive in darmi le buone feſte, quali rendo moltiplicate a tutti di caſa con aumento di ſpirito, di unione e pace; devo ringraziare tutti inſieme per l'orazioni fatte per me in queſto tempo turbolento, nel quale ho ſentito ſenſibile ajuto della Divina grazia in diſprezzare, fuggire, abborrire ancora quel che il Mondo ſtima ſomma felicità, à Dio l'onore, conoſco non eſſer ciò ſtata forza mia, ma mero dono, e grazia di Dio. A voler ſcrivere tutti li particolari, biſognarebbe empire molti fogli, ma io non ho tanto tempo, ſe ben per dir il vero reſto più preſto per ſcrupolo, eſſendo coſa molto pericoloſa parlar di ſe ſteſſo, ancorchè in tutte le coſe venghi data la gloria a Dio. Se un giorno ci trovaremo inſieme per paſſatempo, forſe potrei raccontargli il tutto, ora non ci reſta altro, che pregarla rendino grazie infinite per me a Dio. In quanto al nuovo Santo Paſtore, di queſto mi gloriarè manifeſtamente in Dio autor d'ogni bene, che mentre ſi trattava con fervore per me innanzi che s'entraſſe in Conclave, io per via ſecreta, come per Cuniculos cominciai a trattar per la perſona dell' Illuſtriſſimo Card. di Fiorenza per far da me diverſione, indrizzando per la via il negozio, per la quale eſſendoci caminato s'è venuto al deſiderato fine, e Dio volſe, che a me ancor toccaſſe perfezionare il negozio ſpegnendo io l'Illuſtriſſimo Aldobrandino, qual ſtava ancor titubando, non poco, qual così volendo Dio, nell'isteſſa ora ſi riſolſe, e fù finito il negozio. Ecco quanto per ora con brevità mi è parſo di ſcrivere, rendiamo grazie a Dio, che in vero a mio, & altrui giudizio in tutto il noſtro Collegio, queſto ci è parſo il meglio-

gliore, nel quale concorrono molte qualità, quali non così facilmente ſi trovavano nell'altri, ſia del tutto ringraziato Dio, quale ſia ſempre in loro ajuto. Di Roma lì 25. d'Aprile 1605.

EPISTOLA CLXXXVI.

CAESARI CARD. BARONIO

M. ANTONIUS BONCIARIUS S. P. D. (a).

Libros Seraphidos a ſe editos ejus nomini dicat.

ERant cauſſae, pariter multae, pariter graves, cur hunc foetum tibi dicarem, Baroni Cardinalis Illuſtriſſime, inter ceteras vel ante ceteras hae potiſsimum quatuor; quod me non ſemel & verbo & litteris ad hoc ſtudium es adhortatus; quod votum meum ad D. Virginem Lauretanam, (b) non teſtimonio ſolum, ſed etiam praedicatione tua dignum cenſueris; quod Antiſtes Comitolus in te adoptando ita mecum conſenſerit, ut utri noſtrum in mentem prior veneris, nec mihi liqueat, nec illi: denique (id quod ego ſperandum in primis arbitror dedicanti) quod te ſciebam erga ſanctiſſimam Dei Matrem & Seraphicum hunc Heroem, praecipuo quodam ac ſingulari ſtudio eſſe propenſum. Et haec quidem ad hunc modum mihi aſſumpta & diſcreta fuiſſe non diffiteor. Ceterum alia quaedam ratio & cauſſa me magis impulit ad te appellandum, petendumque recentibus quaſi liberis patrocinium tuum. Habeo in omnibus quod tecum pridem communicavi, Parthenida, ſive Triumphum Virginis, magnarum opus vigiliarum, quippe quod ad verſuum decem millia & eo amplius excurſurum mihi videtur; quantum quidem ex toto aedificio, cujus formam atque imaginem dimenſam animo habeo, licet capere conjecturam: confectos enim de libris quindecim tantum habeo tres priores, & extra ordinem, quintum; nec eos quidem ſatis limatos aut politos. Nunc plerique amicorum me jubent in unam eam curam totum incumbere, ut

 primo.

(a) M. Antonii Bonciarii Peruſini Seraphidos Libri III. aliaque pia Poemata ad Illuſtriſſimum ac Reverendiſſimum S. R. E. Cardinalem Baronium Peruſiae, apud Academicos Auguſtos MDCVI. in iis Baronio dicati tantummodo libri Seraphidos: reliqua Poemata aliis. Vide quae de Bonciario diximus in notis ad Epiſt. XCIII. tom. I. pag. 409.

(b) Illud Poema extat in laudata Peruſina editione, nuncupatumque fuit a Bonciario, Neapolioni Comitolo Epiſcopo Peruſino Kal. Octob. MDCIII. heic denuo recuſum.

primo quoque tempore abſolvam Canticum illud graviſsimum ; & haec interim vetant praeludere poemata leviora. Cauſſas afferunt conſilii ſui duas; primum amplitudinem operis, quam vix decennium implere poſſe videatur ; deinde anguſtias vitae, homini ſemimortuo & ſic affecto magis timendas. Inepti : qui alumnos & cultores Muſarum exiſtimant poſſe aliorum arbitrio canere, qui non poſſunt ſuo. Ceteros enim Scriptores facile inducas ad ea meditanda & mittenda in litteras, quae amicus rogat, aut princeps jubet, aut quaeſtus invitat : poetis vero furor tantum & Phoebus imperant.

Sed ego quum horum in numerum venire non poſsim, tuo me ſum tutatus exemplo, Cardinalis ſapientiſsime ; qui totos quatuor & viginti annos natu major quam ego ſim, & non ſolum aetate ingraveſcente, ſed etiam magno negotiorum pondere fatigatus, intra illud vitae ſpatium quod ego ingreſſus adhuc non ſum, rem multo magis laborioſam, magis arduam, & magis longam feliciter abſolviſti: undecim, dico, Annalium Eccleſiaſticorum grandia volumina, immortalitate digniſsima. Quod tantum opus ab uno aliquo potuiſſe confici, doctiſsimis quibuſlibet incredibile videretur, niſi hoc percrebuiſſet quod certi auctores pro explorato confirmant, affuiſſe tibi ſcribenti praecipuum ac peculiarem Deiparae Virginis favorem, quae ſimul animos faceret, ſimul vires ſufficeret, ad tam grave munus aggrediendum & ſuſtinendum ; neque interim tamen aliquid obſtitit, quo minus alia ſuſciperes, & ad finem perduceres, argumenta operae levioris. Tametſi autem ego dignus non ſum, cui Mater & Patrona omnium ſic indulgeat : ſpero tamen quum adſit propitia omnibus qui Caelitum aliorum laudes canunt, non longe abſuturam ab eo qui canit ſuas ; praeſertim ſi te habeam deprecatorem atque in troductorem, Praeſes integerrime, vir humaniſsime, amicum illi tam intimum, & patronum mihi tam liberalem. Quod ſi nihilominus mea me ſpes fruſtrabitur, & Deo ſic jubente, ad exitum prius viaae, quam operis veniam : hoc me movere quidquam non debet, ſi rem defero incboatam, quia me non animus deſerit, ſed anima. Eſt enim contraria hominibus natura Caeleſtium : illi non debent operario ullum honorem aut gratiam, niſi confectum opus aſpiciant : hi vero etiam grata habent, & remunerant efficiendi voluntatem. Accedit, quod me mors melius & honeſtius occupatum offendere non poteſt, quam in pia praedicatione Sanctorum. Imperator Veſpa-

Veſpaſianus morti proximus cuncta obibat regum munera, & rogatus a ſuis, ut lecto decumberet ac ſibi parceret: Non faciam, Quirites, inquit; privatorum eſt iſta mollities morientium in pluma: Regem ſtantem atque agentem deficere, par eſt. Sic ego dixerim: utcumque alii moriantur; Chriſtianum vatem aut quaſi vatem, mori convenit canentem, & canentem divinas laudes; te vero cantorem multo optimum & peritiſsimum, diu opto & voveo ſupereſſe. In Auguſta Peruſia, ex Collegio S. Bernardi, Calendis Sextilibus. MDCV.

EPISTOLA CLXXXVII.

AL CARD. CESARE BARONIO

FILIPPO GERMIN. BARONIO.

De iis, quae in Chronica quadam veteri Siciliae circa illius Monarchiam habentur, eum certiorem facit.

IL meſe paſſato ſcriſſi a V. S. Illuſtriſsima che un Cavaliero di Caſa Vintimilia aveva una Cronica di Sicilia, ſcritta a penna, ora ho ſaputo l'Autore, che fù Nicolò Speziale, e dice (per quanto m'è ſtato riferito) quanto di ſotto intenderà.

L'Inquiſitor Paramo ha ſcritto con l'agiuto di tutti queſti Officiali Regj per ordine di queſto Vicerè, & adeſſo l'Opera ſi ſtà copiando in Camera ſua, con la ſua preſenza, da un valente Scrittore diſcepolo di Luca di Fano Scrittore Apoſtolico, e la ſcrive in Carta pecora, il foglio è di grandezza della carta reale baſtarda, e ſaranno al numero di cento, e ſei Carte e li fa ſcrivere con queſtâ diligenza per inviarſi a Spagna a Sua Maeſtà e ſtaranno aſpettando la riſoluzione per ſtamparla. E non ſi può far penſiero in modo alcuno poterne aver copia ne vedere l'originale, con tutta l'eſquiſita diligenza, che hò fatto, che l'avria pagato del proprio ſangue; ma da un Vecchio grande amico mio, che per le virtù, e lettere ſue, è amato e cercato dal Paramo & da queſti Officiali Regj ho inteſo in parte il penſier loro, e dove ſi fondano, che è queſto.

Andò Ambaſciatore il Conte Federico Ventimilia ad iſtanza di Friderico Primo Re di Sicilia figliolo di Re Pietro d' Ara-

Aragona, a Papa Benedetto, il quale fece un orazione diſendendo il ſuo Re, e le ſue ragioni della ſucceſsione nel Regno, e la ricaduta dell'Imperatore Friderico, e moſtrando, che Manfredo [Padre di Coſtanza Moglie del Re Pietro d' Aragona e Madre del detto Re] fu vero e legittimo Re, & Herede dell' Imperatore Friderico, quanto ancora, cl e il detto Imperatore non havea ricaduto dal Regno di Sici ia per la fellonia, ne per altro eceſſo, la qual ricaduta pretendino far declarar nulla per fondare più liberamente la loro intenzione; e ſopra queſto ſi fondano che il detto Re Manfredo ſia ſtato legittimo Herede del Regno, e dicono che Sua Santità acquieſciò a queſto non avendo fatto motto neſſuno circa la ſucceſsione, ma ſulamente ſopra la ricaduta dell' Imperatore, e li riſpoſe, che troppo ſi moſtrava apaſsionato al ſuo Re, e queſto riferiſce Nicolao Speziale Cavaliero Panormitano nella ſua Cronica ſcritta a penna nell'iſteſſo tempo, il che mi ha riferito il ſuddetto amico mio.

Io trovo in una Cronica antica di Fra Michele di Piaccia Siciliano ſcritta a penna l'anno 1324. a tempo di Papa Giovanni XXII. che fu mandato Ambaſciatore al detto Pontefice il Conte Franceſco Vintimilia dal detto Friderico primo Re di Sicilia per eſporre la genealogia degli Re di Sicilia, e fra l'altri deſcendenti di Frederico Imperatore ci nomina per vero e legittimo Succeſſore del Regno Manfredo, ma il buon Papa non ne fece nulla di quanto l'eſpoſe ne meno ottenne altro dal Succeſſore che fu Benedetto XII. con tutto che li mandò tanti Anbaſciatori, dal quale ſperava l' intento, quale Ambaſciarie, & altre mandate dalli Pontefici ſudetti al detto Re mando a V. S. Illuſtriſsima eſtratte dal libro originale di Fra Michele di Piaccia, che l'ho in caſa, il qual libro è d'un Cavaliero amico mio, e lo tiene con molta ſtima, e queſti che ſcrivono non ne hanno avuta notizia.

E dicono di più, che in quanto alla ricaduta di Frederico Imperatore non importa, che già agli Succeſſori li Sommi Pontefici gli diedero l'Inveſtitura del Regno. Per lo *reaſſunto* dalle Hiſtorie di Sicilia, che mando qui gionte V. S. *Illuſtriſſima* vederà chiaramente Manfredo eſſere baſtardo, quale copie l' hò tutte cavate dal detto libro di Fra Michele, il quale dal tempo delli Franceſi in qua ſcrive diffuſamente mentre viſſe a quel tempo, & l' opera è di grandezza d'un Calepino.

An-

Ancora ſi fondano in quanto alla ſucceſſione del Regno per il teſtamento dell' Imperatore Friderico, eſſere Manfredo figlio legittimo, & non naturale, mentre lo nomina nel teſtamento per terzo Herede & Suſtituto poi della morte di Corrado, & Corradino ſuoi fratelli, inferendo da queſto, che il detto Manfredo, era legittimo, e non naturale, poichè Friderico Imperatore haveva molti figliuoli baſtardi, che ſe Manfredo foſſe ſtato baſtardo, averia chiamato alla Succeſſione gli altri figliuoli naturali, doppo la morte del detto Manfredo, per continuare la ſua linea. Copia del qual teſtamento dell' Imperatore ſuddetto mando qui gionta, eſtrattata pure dalla detta Cronica di Fra Michele, acciò queſti non mutino il ſenſo.

Dicono che il Papa non ebbe mai giuriſdizione nel Regno, ne Vaſſallaggio in quanto al temporale per la ſucceſſione, negando & dicendo, che non vi ſono pagamenti di tributo, *&* *quatenus* diceſſero, che ſe ne trovano alcuni, ſon coſe fittitie & falſe trovate nelli loro Archivi & Cancelleria. Et dicono, che ſe la conceſſione della Monarchia non è vera, loro negano che la donatione di Conſtantino, della quale pretendino aver raggione, è falſiſſima, ſeguitando l' opinione del Valla. Mando la relazione di quel Monaco Zoccolante, che fece a Palermo goffiſſima, & è quello, che dicono che fà la Cronica del Mondo. Del reſto, quello, che potrò avere in queſta materia, manderò con ſicura commodità a V. S. Illuſtriſſima, la quale ſupplico farmi ſapere della ricevuta di queſte. Et il Signore Iddio conceda a V. S. Illuſtriſſima lunga & feliciſſima vita & ſalute, come io in ogni mia buona atione ne la priego, & le bacio le mani. Da Palermo li 12. d' Auguſto 1605.

EPI-

EPISTOLA CLXXXVIII.

CAESARI CARD. BARONIO (a)

LAURENTIUS PIGNORIUS. (b)

Menſae Iſaicae explicationem Venetiis impreſſam, ejus nomini inſcribit.

PRimitias fructuum Regibus offerri antiquiſſimi, ut audio, moris fuit, eo, ni fallor, conſilio, ut praeſtantiſſimae inter homines dignitati, & ad divinam illam proxime accedenti juſtus ea ratione, & legitimus honor perſolveretur. Id mihi inſtitutum adeo placuit, ut quum pridem adhortatione Marci Velſeri II.

tas Jacobus Philippus Thomaſinus in *Laurentii Pignorii* Bibliotheca & Muſeo refert, in ipſius *Pignorii* Iconotheca, inter Imagines Cll. V.V. principem locum obtinuiſſe Imaginem *Caeſaris Baronii S. R. E. Cardinalis & Hiſtorici praeclariſſimi*.

(b) Patavii ortus anno 1515. die duodecima menſis Octobels, ac liberalibus ſtudiis ab ineunte aetate delectatus, praeceptores habnit praeclaros, in humanioribus litteris *Benedictum de Benedictium* & *Candidum Aemilianum*, in Dialectica vero & Philoſophia *Joannem Baptiſtam Scortiam* Genuenſem, cujus extant libri duo *de natura & incremento ſtili*, & *Hieronymum Dardinum* Ceſenatem, cujus labor eſt liber *de corpore animato*.

Hinc ad *Franciſcum Piccolomineum* ac *Jacobum Zabarellam*, publicos ejuſdem facultatis interpretes in Academia publica Patavina audiendos tranſiit. Philoſophiae ſpatia emenſus, ad amoena literarum & antiquitatis ſtudia animum appulit: at exhortante patre, ad Juris prudentiam amplexandam non invitus acceſſit, & Legum illius aetatis maximos Coryphaeos ſectatus eſt, *Guidum Pancirolum*, *Angelum Mattheucium*, *Ottonellum Diſcalcium & Marcum Antonium Ottellium*. Anno MDCII. ſacris ordinibus initiatus eſt a *Marco Cornelio* Epiſcopo Patavino, a quo etiam Romam deductus eſt anno MDCV. ubi biennio degens, cum viris omni doctrinae genere clariſſimis, familiaritates ſuſcepit, *Angelo Roccha* Epiſcopo Tagaſti; *Scipione Cobellucio*, poſtea Cardinali, cui libros duos, *de Servis* unum, *de Patavinis Originibus* alterum inſcripſit; noſtro CAESARI BARONIO cui dicavit *Menſam Iſiacam*, & *Joſepho Caſtillionaeo* J. C. praeclariſſimo, a quo ad aulam quoque *Pauli V.* Sum. Pont. accitus eſt. Patavium inde rediens Rector primum electus Eccleſiae Parochialis S. Laurentii, deinde Clericatu S. Clementis potitus, tandem anno 1630. Tarviſinum Canonicatum liberalitate Eminentiſſimi Cardinalis *Franciſci Barbarini* adeptus peſte ſublatus, obiit anno MDCXXXI. idibus Junii, quum vixiſſet annos LIX. menſes octo. Vir totius antiquitatis indagator acerrimus, & in vetetum numiſmatibus interpretandis oculatiſſimus. Commendat illum in primis ubertas ſcribendi, cui nulla fere par alibi ejus aevi. Quae ob dotes exterorum gratia floruit maxima; indeque factum, ut a Magno Etruriae Duce humaniorum litterarum & Eloquentiae in Piſano Gymnaſio per Galilaeum Mathematicum inſignem ipſi oblata fuerit; quam tamen conſtanter renuit, quietis, & patriae ſuae ſtudio, cujus ergo animo plane ingenuo hujuſmodi plura evitavit. Ex *Jacobo Philippo Tomaſino* in vita ipſius, Bibliothecae & Muſei ejuſdem *Pignorii* praefixa, Edit. Venetae 1632. Vide Niceronium Tom. 21. & Bandurium Bibl. Num. pag. XXIII.

ri II. Viri Auguſtani, Menſae antiquiſſimae explicationem tum inſtituiſſem tum abſolviſſem; eaque Bibliothecae tenebras pervaſa lucem publicam cogitare incoepiſſet, decreverim ego ingenii mei novitium [utinam non praecocem] foetum ampliſſimo nomini tuo Caeſar Cardinalis inſcribere. Deterruit me aliquantiſper conſcientia imbecillitatis meae; ut moras nectentem impulit eximia primum probitas tua, quae Clementis VIII. Pont. Opt. Max. qui nunc felici imperio Chriſtianum Orbem moderatur, benevolentiam ad invidiam uſque & allicuit & retinuit partam: tutela deinde ſtudiorum noſtrorum, quorum tu non modo es ἀφροδίτη καὶ λύρα, ſed & Pater & Rex. Quotus enim quiſque eorum, qui in his ſtudiis, tamquam ad Sirenum ſcopulos, conſenuerunt, opes haſce humaniorum litterarum adjecit ad ea ſacrarum litterarum monumenta illuſtranda, quibus tu magno rei Chriſtianae bono veteres illos Patres aemulatus antiquitatis tenebras deterſiſti? Factum eſt per egregias lucubrationes tuas, ut Caii, Hegeſippi, Africani, Euſebii operoſa illa nobiliaque volumina periiſſe minus moleſte feramus; &, quod caput eſt, inſanas te Novatorum ſubſtructiones admotis Annalibus tuis quotidie evertentem, boni omnes ſuſpiciunt & admirantur. His accedat, deberi tibi ſummo jure haec ab eo, qui Marco Cornelio maximi exempli Epiſcopo Patavino, qui ſe jampridem totum ſuaque tibi addixit, omnia debeat. Laudabit ille familiaris ſui propoſitum, qui obſcuritati ſcriptorum ſuorum lucem clariſſimam praetenderit nominis tui. Verum, ne longiori ſermone morer tua tempora, quorum etiam momenta in utilitatem publicam impenduntur, haec omnia me impulerunt, ut Commentariolum meum (a) tibi dicarem, cui me quantus quantus ſum, jamdudum deſtinaram. Tu me pro humanitate tua patere in clientum tuorum album referri: ego viciſſim quatenus licuerit dabo operum, ut non indignum omnino in clientelam tuam recepiſſe videare. Vale. Patavii MDCV.

EPI-

(a) In *Menſam* ſcilicet *Iſiacam*, quae Venetiis apud Joannem Antonium Rampazettum anno 1605. prodiit in 4. ſub hoc titulo: *Vetuſtiſſimae Tabulae aeneae, ſacris Aegyptiorum Simulacris coelatae, accurata explicatio, in qua antiquiſſimarum ſuperſtitionum origines, progreſſiones, ritus ad Barbaram, Graecam Romanamque hiſtoriam illuſtrandam enarrantur, & multa Scriptorum veterum loca qua explanantur, qua emendantur*. Acceſſit *auctarium*, *in quo ex antiquis Sigillis Gemmiſque ſelectiora quaedam ejus generis, & veterum Haereticorum amuleta exhibentur*. Hac de re vide Zomium Cenſura Eclogar. Mayeri pag. 528. qui corrigit J. Fabricium P. 3. Hiſt. Biblioth. Fabr. pag. 482.

EPISTOLA CLXXXVIII.

CAESARI CARD. BARONIO (*a*)

LAURENTIUS PIGNORIUS. (*b*)

Menſae Iſiacae explicationem Venetiis impreſſam, ejus nomini inſcribit.

PRimitias fructuum Regibus offerri antiquiſſimi, ut audio, moris fuit, eo, ni fallor, conſilio, ut praeſtantiſſimae inter homines dignitati, & ad divinam illam proxime accedenti juſtus ea ratione, & legitimus honor perſolveretur. Id mihi inſtitutum adeo placuit, ut quum pridem adhortatione Marci Velſeri II.

sat Jacobus Philippus Thomaſinus in *Laurentii Pignorii* Bibliotheca & Muſeo refert, in ipſius *Pignorii* Iconotheca, inter Imagines CII. V.V. principem locum obtinuiſſe Imaginem *Caeſaris Baronii S. R. E. Cardinalis & Hiſtorici praeclariſſimi*.

(*b*) Patavii ortus anno 1571. die duodecima menſis Octobris, ac liberalibus ſtudiis ab ineunte aetate delectatus, praeceptores habuit praeclaros, in humanioribus litteris *Benedictum de Benedictium* & *Candidum Aemilianum*, in Dialectica vero & Philoſophia *Joannem Baptiſtam Scortiam* Genuenſem, cujus extant libri duo *de natura & incremento Nili*, & *Hieronymum Dardinum* Ceſenatem, cujus labor eſt liber *de corpore animato*.

Hinc ad *Franciſcum Piccolomineum* ac *Jacobum Zabarellam*, publicos ejuſdem facultatis interpretes in Academia publica Patavina audiendos tranſiit. Philoſophiae ſpatia emenſus, ad amoena literarum & antiquitatis ſtudia animum appulit: at exhortante patre, ad Juris prudentiam amplexandam non invitus acceſſit, & Legum illius aetatis maximos Coryphaeos ſectatus eſt, *Guidum Pancirolum*, *Angelum Matthaeucium*, *Ottonellum Diſcalcium* & *Marcum Antonium Ottellium*. Anno MDCII. ſacris ordinibus initiatus eſt a *Marco Cornelio* Epiſcopo Patavino, a quo etiam Romam deductus eſt anno MDCV. ubi biennio degens, cum viris omni doctrinae genere clariſſimis, familiaritates ſuſcepit, *Angelo Roccha* Epiſcopo Tagaſti; *Scipione Cobellucio*, poſtea Cardinali, cui libros duos, *de Servis* unum, *de Patavinis Originibus* alterum inſcripſit; noſtro CAESARI BARONIO cui dicavit *Menſam Iſiacam*, & *Joſepho Caſtillionaeo* J. C. praeclariſſimo, a quo ad aulam quoque *Pauli V.* Sum. Pont. accitus eſt. Patavium inde rediens Rector primum electus Eccleſiae Parochialis S. Laurentii, deinde Clericatu S. Clementis potitus, tandem anno 1610. Tarviſinum Canonicatum liberalitate Eminentiſſimi Cardinalis *Franciſci Barbarini* adeptus peſte ſublatus, obiit anno MDCXXXI. Idibus Junii, quum vixiſſet annos LIX. menſes octo. Vir totius antiquitatis indagator acerrimus, & in veterum numiſmatibus interpretandis oculatiſſimus. Commendat illum in primis ubertas ſcribendi, cui nulla fere par alibi ejus aevi. Quas ob dotes exterorum gratia floruit maxima; indeque factum, ut a Magno Etruriae Duce humaniorum litterarum & Eloquentiae in Piſano Gymnaſio per Galilaeum Mathematicum inſignem ipſi oblata fuerit; quam tamen conſtanter renuit, quietis, & patriae ſuae ſtudio, cujus ergo animo plane ingenuo hujuſmodi plura evitavit. Ex *Jacobo Philippo Tomaſino* in vita ipſius, Bibliothecae & Muſei ejuſdem *Pignorii* praefixa, Edit. Venetae 1632. Vide Niceronium Tom. 21. & Bandurium Bibl. Num. pag. XXIII.

ri II. Viri Auguſtani, Menſae antiquiſſimae explicationem tum inſtituiſſem tum abſolviſſem; eaque Bibliothecae tenebras pervaſa lucem publicam cogitare incoepiſſet, decreverim ego ingenii mei novitium [utinam non praecocem] foetum ampliſſimo nomini tuo Caeſar Cardinalis inſcribere. Deterruit me aliquantiſper conſcientia imbecillitatis meae; ut moras nectentem impulit eximia primum probitas tua, quae Clementis VIII. Pont. Opt. Max. qui nunc felici imperio Chriſtianum Orbem moderatur, benevolentiam ad invidiam uſque & allicuit & retinuit partam: tutela deinde ſtudiorum noſtrorum, quorum tu non modo es ἀφροδίτη καὶ λύρα, ſed & Pater & Rex. Quotus enim quiſque eorum, qui in his ſtudiis, tamquam ad Sirenum ſcopulos, conſenuerunt, opes haſce humaniorum litterarum adjecit ad ea ſacrarum litterarum monumenta illuſtranda, quibus tu magno rei Chriſtianae bono veteres illos Patres aemulatus antiquitatis tenebras deterſiſti? Factum eſt per egregias lucubrationes tuas, ut Caii, Hegeſippi, Africani, Euſebii operoſa illa nobiliaque volumina periiſſe minus moleſte feramus; &, quod caput eſt, inſanas te Novatorum ſubſtructiones admotis Annalibus tuis quotidie evertentem, boni omnes ſuſpiciunt & admirantur. His accedat, deberi tibi ſummo jure haec ab eo, qui Marco Cornelio maximi exempli Epiſcopo Patavino, qui ſe jampridem totum ſuaque tibi addixit, omnia debeat. Laudabit ille familiaris ſui propoſitum, qui obſcuritati ſcriptorum ſuorum lucem clariſſimam praetenderit nominis tui. Verum, ne longiori ſermone morer tua tempora, quorum etiam momenta in utilitatem publicam impenduntur, haec omnia me impulerunt, ut Commentariolum meum (1) tibi dicarem, cui me quantus quantus ſum, jamdudum deſtinaram. Tu me pro humanitate tua patere in clientum tuorum album referri: ego viciſſim quatenus licuerit dabo operum, ut non indignum omnino in clientelam tuam recepiſſe videare. Vale. Patavii MDCV.

EPI-

(a) In *Menſam* ſcilicet *Iſiacam*, quae Venetiis apud Joannem Antonium Rampazettum anno 1605. prodiit in 4. ſub hoc titulo: *Vetuſtiſſimae Tabulae aeneae, ſacris Aegyptiorum Simulacbris celatae, accurata explicatio, in qua antiquiſſimarum ſuperſtitionum origines, progreſſiones, ritus ad Barbaram, Graecam Romanamque hiſtoriam illuſtrandam enarrantur, & multa Scriptorum veterum loca qua explanantur, qua emendantur. Acceſſit auctarium, in quo ex antiquis Sigillis Gemmiſque ſelectiora quaedam ejus generis, & veterum Haereticorum amuleta exhibentur*. Hac de re vide Zomium Cenſura Eclogar. Mayeri pag. 528. qui corrigit J. Fabricium P. 3. Hiſt. Biblioth. Fabr. pag. 482.

EPISTOLA CLXXXIX.

CAESARI CARD. BARONIO.

M. ANTONIUS BONCIARIUS.

Rogat, ut ſibi licentiam a Summo Pontifice obtineat legendi libros Eraſmi.

EXcidiſſe ſuſpicor tibi, neque miror in tanto cumulo ingruentium occupationum, quod menſe proximo ſuperiore Praeſes Comitolus meo nomine coram egerat tecum, & cum P. Pico Dominicano, de indulgenda mihi facultate librorum Eraſmi legendorum: cauſſa erat, quam ſcripſi tunc ad Comitolum, ſuſcepta multorum rogatu a me provincia, inſectandi laſcivos verſificatores, & vindicandi (quantulum meae vires ferrent) a turpitudine abutentium piam artem & caeleſte inventum, Poeſim. Laudari abs te audio noſtrum conatum, & accedere judicia Principum tui ſimilium, hoc eſt non tantum dignationis, ſed etiam eruditionis & ſapientiae. Utinam ſic propediem comprobare poſſitis eventum. Litteras ad Comitolum meas Picus ſibi retinuit memoriae cauſſa, ut dicebat. Quo fui brevior; & in negotio exponendo quod epiſtola narrat; & in re flagitanda, quam Epiſcopus rogat. Deum potius obſecrabo, ut quem hodie ingredimur, feliciter tibi decurrat annus ſextus ſupra milleſimum ſexcenteſimum.

EPISTOLA CXC.

CAESARI CARD. BARONIO.

FEDERICUS METIUS.

Multa agit de patria ac ſcriptis Nicetae Choniatis, mittitque ad eum alias Georgiae Metropolitae Corcyrenſis Epiſtolas.

MAndai con le paſſate a V. S. Illuſtriſſima cinque lettere di Giorgio Metropolita Corcyrenſe, due delle quali io credei, come avviſai, che fuſſero di Niceta Choniate Autore delli Annali Coſtantinopolitani de ſui tempi, & delli cinque libri, che

che vanno ſotto nome di teſauro della fede Orthodoxa, de' ventiſette, ch'egli ſcriſſe. Ma avendo io poi fatto ſopra qualche rifleſſione, mentre quel Choniate, a chi ſcrive il Coregrenſe, ſi dice, che ſia patria ſua Megalopoli, mi ci hà fatto penſare, come poſſa ciò eſſere, giacchè Megalopoli è ſito in Arcadia nell'Europa, & Chonc in Phrigia in Aſia, & che Chonc ſia patria di Niceta, oltre il nome, ch'egli porta lo manifeſta, & lo afferma ancora egli ſteſſo più d'una volta: & prima negli ſuoi Annali nel principio del ſeſto libro dell'Imperio di Manuele Comneno dice che Chonc, altre volte chiamata Colaſſe ſia patria ſua. L'iſteſſo afferma nel principio del terzo libro dell'Imperio de Iſaacio Angelo; e parimente verſo la fine degli Annali dice, che Chonc patria ſua ſia preſſo Laodicea di Phrygia, à canto al fiume Meandro. Nel teſauro poi della fede Orthodoxa nel 4. lib. nel cap. 22. chiama i Colaſſenſi ſuoi patriotti, ſoggiongendo di eſſer ſtati degni, che loro ſcriveſſe il glorioſo S. Paolo, come parimente, che Megàtopoli ſia in Europa, & Chonc, ò Coloſſe in Aſia, lo dicono tutti li Coſmografi, & Ecografi greci, & latini, e mentre ſtò col cervello così intricato, mi hà più confuſo Michaele Coniate fratello di Niceta, Arciveſcovo di Athene, molto ſtimato in quei tempi, come nella fine degli Annali di Niceta, & nel principio dell'Imperio di Balduino ſi vede; il qual Michele nella ſua orazione funerale di Niceta ſuo fratello nella metà à punto, parlando di molti, che dopo la preſa di Conſtantinopoli, in compagnia di Niceta ſi erano ritirati a Nicea di Dul-Gynia, dice: *Megalopolitae illi noſtri*. Benvero che nella margine ſta notato: *Megalopolitanorum nomine Conſtantinopolitanos intelligit*, & appreſſo verſo la fine della detta orazione dice: *Cum primum Megalopolis noſtra capta eſt*, & pure nella margine ſta notato: *Conſtantinopolim intelligit*, com'è neceſſario che s'intenda dalle coſe che ſi trattano. Perlochè io ſono entrato in qualche penſiero, che ſe Michele Choniate chiama Megalopoli Conſtantinopoli con una hyperbole greca, che forſe parimente con adulazione greca il Corcyrenſe Giorgio abbia voluto chiamare Chonc padre del Choniate Megalopoli, del che ne hò voluto dar conto a V. S. Illuſtriſsima per aver da lei il ſuo prudentiſsimo giudizio, & non reſtar io in queſta confuſione di aver il Choniate per Megalopolitano, mentre egli ſteſſo in tanti lochi ſi dichiara. S'io ſcriveſsi, ad altri, che a V. S. Illuſtriſsima alla quale a pena ſono

io buono a ſpolverar i libri, averei detto molte coſe del Choniate: ſpecialmente della rabbia contro Latini, ma mentre queſto è comune a tutti: greci ſpecialmente di quei tempi, tanto piu per le loro freſche ſciagure, & il Choniate poi non la perdona manco ai ſuoi greci, perciò non occorre dir altro. Quello ben mi pare, ch' io non debba tralaſſare la beſtemmia, ch' egli dice nel terzo libro dell' Imperio di Aleſsio Angelo fratello di Iſaacio, dove parlando di Aleſsio Angelo figlio di Iſaacio dice: *& quod majus eſt, ac longe abſurdius, latinorum depravatam Religionem amplectitur*. Nei libri poi del teror della fede orthodoxa dice molte coſe, che hanno biſogno di cenſura. poichè ſebbene ſi moſtra uomo di molta lezione & ingegno, come lo abbia ancora il fratello Michaele nella detta orazione funerale; pure ſimili materie non ſono paſtura per tutti: & i gran maeſtri hanno parlato & ſcritto con molta riſerva, & perciò ſe nella farina di coſtui ci ſtà della furfura, & della cruſca, e dell' oglio greco, non è maraviglia, per non eſſer arte ſua: tanto piú che tiene lo ſtomaco guaſto; il che ſi conoſce molto più negli altri libri, li quali ancora non ſono tradotti; poiche in queſti cinque libri nelli quali tratta coſe innanti lo ſchiſma, & dove li vien fatta, ſempre tira l' acqua al ſuo molino, or che ſarà dopo lo ſchiſma con il ſuo Photio, del quale parlando nel quinto libro al cap. 28. dice: *Patriarcha Photius hujuſmodi ſcholion huic capiti obiter inſeruit. Motam Romanae, Alexandrineque Sedis vehementem adverſus Flavianum concitationem, quae nihil tamen facta, quod praeter rationem facta videtur*. Laſſo ſtare, che il 21. libro tutto lo conſuma a trattar della proceſſione dello Spirito Santo contro Latini. Nel principio delli Annali nomina con qualche lode Anna Ceſariſſa figlia di Aleſſio Comneno il vecchio, la quale ſcriſſe venti libri delle geſta del padre, li quali ſe V. S. Illuſtriſſima avrá viſto, avrà ſentito guſto. Gioanne Curoparalarte ancora ſcrive dalla morte di Niceforo fino a' tempi di Iſaacio: ma queſto non sò ſe ſia tradotto; sò bene che ci ſia più di una copia nella Libraria del Cardinale Sirleto ſanta memoria: ne ſaprei io dire ſe ſia l' iſteſſo col . . . . che ſà *de Officialibus palatii Conſtantinopolitani* tanto mal tradotto, ò per ignorantia, o per malizia, & iniquità eretica. Niceforo Blemmide, & ancora Gioanne Bero Patriarca Conſtantinopolitano autori Cattholici ambidui, & perciò ancora ambidui perſeguitati, & diſcacciati

ciati da greci perverſi, l'un & l'altro ſono nel Vaticano, & ſpero che daranno guſto a V. S. Illuſtriſſima, come io all'incontro ſento pene non poterla ſervire di perſona, come io vorrei & dovrei. Contuttociò mando per adeſſo quelle miſerie, che ſi ponno avere da qua, trè altre epiſtole del Corcyenſe, una per Trancredi Arciveſcovo di Otranto, il quale io pretendo, che ſia Latino, mentre in un altra epiſtola piena di adulazioni & vanità greca, fà menzione di diverſo idioma, oltre che i Greci non chiamano Arciveſcovi, ſe non i loro primati, e quel diſtinto poi adulandolo ſi và intricando, per cavarne qualche coſa per il ſuo Imperatore, del quale egli ſi moſtra tanto intereſſato, che perciò procurava di aver intelligenza con tutti, anco dall'altri due ſi vede; mi occorre ben dire, che il Choniate parlando de Choniati nel principio del ſecondo libro dell'Imperio di Manuele Comneno, dice, che ſiano, *omnis prudentiae expertes*, come pare, che il Arupenſe ancora l'abbia per tali. Sono ſtato più lungo di quel che io credea, mentre mi trovo un poco male affetto, non ſolo dalla ſolita poca ſalute, ma molto più da guai domeſtici. Et perciò delle mie coſe non dirò altro, tanto più che il foglio è pieno, ne voglio eſſer più moleſto a V. S. Illuſtriſsima, ſapendo con quanta carità più che paterna hà protezione di me ſuo minimo ſervo. Della libraria diſsi a V. S. Illuſtriſsima, che io non hò ne devo aver altro intereſse, che quello di V. S. Illuſtriſsima, con tutto che queſti miei non mancano, come avviſai con le paſsate, intricarmi, & mettermi il cervello a partito, che Dio loro perdoni, & a me doni pazienza col petto loro, & a V. S Illuſtriſsima fò umiliſsima riverenza. Da Santo Pietro Galatino queſto dì del glorioſo S. Tommaſo d'Aquino del *1606*.

EPISTOLA CXCI.

CAESARI CARDINALIS BARONIUS.

JACOBUS VITUS
VICARIUS APOSTOLICUS LISMOREN. ET VATERFORDIENSIS.

De excitata ab Angliae Rege in Catholicos ac praeſertim Sacerdotes perſequutione, plura diſſerit.

SCripſi aliquoties ad Illuſtriſſimam & Reverendiſſimam Dominationem veſtram a tempore, quo appuli in afflictiſſimam hanc Inſulam de ſtatu fidei, ac Religionis Catholicae, praecipue vero in menſe Octobri proxime elapſo, ſtatim a publicato edicto contra Catholicos omnes, ſive de Clero, ſive de Populo. Quo edicto ſtrictiſſime praeceptum fuit, ut ante diem decimam Decembris ſuperioris anni, omnes omnino Jeſuitae, Seminariſtae, Sacerdotes quicumque, & Epiſcopi extranea auctoritate ordinati (ſic enim ſunt verba edicti) exirent ex univerſo hoc regno, & ſingulis ejus partibus ſub poena ſupremae indignationis Majeſtatis Regiae, aliiſque pro arbitrio infligendis. De cujus edicti rigore ſperabamus aliquid detrahendum hactenus, tamen nihil factum eſt, immo vero adeo rigide executioni mandatur, ut non ſit fere ubi catholicus conſiſtat. Nam impius miles Sacerdotes innoxios nocte dieque inſequitur, & ſine miſericordia perſequitur: hactenus tamen tres tantum comprehenderunt, ex quibus unus ſervatur in vinculis in Caſtro Dublinenſi, alter in civitate Corcagenſi, tertius vero omnium feliciſſimus nunc, ut ſpero, triumphat in Coelo cum Chriſto Domino, nam in furore militum ſine ulteriori proceſſu, hoc ſolo, quod ſe Sacerdotem eſſe faſſus eſt, ſuſpenſus eſt patibulo. Sit foelix, & fauſtum initium hoc, & omen, talibus enim hoſtiis ſperamus Deum noſtrum ex alto Sancto ſuo proſpecturum, noſtrique miſerturum. Interea det nobis gratiam, ut in fide ſalutifera S. R. E. ita radicemur, ne vel in minimo a portis inferi ſuperemur. Uti Sacerdotes ſunt praeda crudelium militum, ita & Catholici e Populo (modo rebus abundent Aulicorum quorundam avarorum) quos inceſſanter vexant mulctis, carceribus, vinculis, minis, inſolitis inhumaniſque tractant modis, donec eos in extremam paupertatem,

ſtatem, & penuriam adigant. His tamen preſſuris non obſtantibus currit verbum Domini, nec neceſſarium, quoad fieri poteſt ovibus miniſterium deeſt. Praeclarum plurimi fidei catholicae dant teſtimonium, parumque (Deo laus) hactenus profecit, aut lucratus eſt fidei Catholicae adverſarius, & hoſtis. Fuſius de ſtatu noſtro praeſenti ſcripſi ad Reverendiſſimum noſtrum Ardmachanum, & ad Patres Societatis Jeſu, qui & plene Illuſtriſſimae Dominationi Veſtrae totius rei ſeriem referent. Interea quum ab importunis, & malis vexemur hominibus, rogamus, ut pro nobis fiant orationes in civitate illa ſancta coram Sanctorum exuviis, noſque, quoad fieri poteſt, juvet Petri Succeſſor Chriſti Jeſu Vicarius. Inde enim fidem accepimus, inde etiam obſecramus tueatur. Noſtro per Chriſti gratiam non deerimus officio. Plurimos, & praeclaros hic habemus operarios e ſecularibus, & religioſis ordinibus, e Societate Jeſu maxime, qui ſingulariter ſe ſe in hoc opere gerunt. Siſtere nunc cogor, imminentis cujuſdam admonitus, periculi. Chriſtus Jeſus Dominum meum Illuſtriſſimum nobis, & Eccleſiae ſuae Sanctae diu incolumem conſervet. Waterfordiae in Regno Hiberniae. Kal. Maii MDCVI.

EPISTOLA CXCIX.

CAESARI CARDINALI BARONIO

JACOBUS VITUS VICARIUS APOSTOLICUS.

De eadem perſequutione multis agit, petitque ut Societatis Jeſu Praepoſitus Generalis aliquot ex ſuis ad illam Inſulam mittat.

IN menſibus Octobris, & Aprilis proxime elapſis, per viam Oliſſiponenſem in Luſitania, ſcripſi ad Dominationem Veſtram Illuſtriſſimam. Rerum ſtatum in negocio fidei Catholicae tunc ſignificavi, modo vero in longe majoribus verſamur anguſtiis. Superiori ſiquidem hebdomada nova quaedam locis publicis affixa ſunt edicta, ut Sacerdotes omnes quotquot comprehenſi fuerint, abſque ambagibus, aut ulteriori proceſſu in viciniori arbore, aut patibulo ſuſpendantur. Sit nomen Domini Jeſu benedictum, qui palmitem omnem ferentem fructum purgare ſolet, ut

ut fructum plus afferat, cujus divini amoris iſta ſunt evidentiſſima indicia, & certiſſima pignora, quando a ſceleratis haereticis eodem afficiuntur corporis membra dedecore, quo a perfidis Judaeis quondam affectus fuit, qui caput noſtrum eſt Chriſtus Dominus in propria ſpecie. Nunc ferrum, funeſque data ſunt impiis, & ſine fide militibus, ut Sacerdotes Chriſti confodiant; & ſtrangulent. Nuperrime tres Catholicos comprehenſos, quos perſecutores ſuſpicabantur fuiſſe Sacerdotes, extremo affecerunt ſupplicio, e quibus unus erat vere Sacerdos, reliqui duo erant laici, uti nunc plane conſtat. Sit felix, & fauſta iſta eorum nativitas, ſitque precor modo foecunda martyribus contrita Inſula iſta, quae olim emicuit Confeſſoribus, & Virginibus. In tantas anguſtias redacti ſunt Sacerdotes noſtri omnes, ut non ſit unus, cujus vita non periclitatur per ſingula momenta. Hactenus ſemper adfuit Chriſtus, quem in finem uſque nobis non defuturum confidimus. Praeclare ſe hactenus geſſerunt Catholici laici, qui cum ſquallore carcerum, aequanimiter etiam ferunt bonorum, & fortunarum rapinam. Furori huic occaſionem dediſſe videtur adulterina quaedam bulla Vicarii Chriſti nomine a falſariis & maledictis haereticis conficta; quam non ſolum in judiciis publicis Judices ipſi coram populo legere ſolent, ſed & miniſtri etiam in Cathedris in odium Sedis Apoſtolicae auditoribus ſuis praeponere, & oſtendere. Cujus figmenti tranſumptum ad Dominationem Veſtram Illuſtriſſimam his junctum Suae Sanctitati (ſi ita viſum fuerit) oſtendendum tranſmitto, ut videat in tali caſu, quid factu ſit opus. Interea det nobis vires viriliter agendi in negocio animae. Et licet apud veritatis amatores tale commentum nullam habeat fidem, propterea quod ſtylus ſit plane apoſtaticus, & Calviniſticus, tantumque differat ab Apoſtolici oris oraculis, quantum diſtat haereticus a Catholico, & Apoſtata ab Apoſtolo, nec minimum quod contineat, unde a Sanctiſſimi D. Noſtri ore proficiſci putetur, pergunt tamen perſecutores noſtri, & tali fundamento innixi, funditus nos perdere, & extinguere decreverunt. Praeter alia multa, quae in hoc commento adverti poſſunt, nec nomen Sanctiſſimi Domini Noſtri habetur, neque Secretarii ejuſdem, nec mentio alicujus ſigilli, anni Domini, aut Pontificatus Sanctiſſimi. Inſuper totus diſcurſus nihil aliud eſt, quam verborum ineptorum confuſio, ſine ordine, methodo, & in multis ſine ullo omnino ſenſu. Denique hoc ſolo comprehenduntur auctores hujus figmenti, quod dicatur Con-

Conſiſtorium ibi habitum fuiſſe in die omnium Sanctorum, eoque tunc perveniſſe edictum publicatum contra Catholicos omnes hoc in loco die XXVI Octobris. Fieri ne autem poteſt ut hinc in urbem volare potuerit quinque dierum ſpatio? Tranſumptum illud prout circumfertur, tranſmitto, quod facile in latinam, aut Italicam transferet Reverendiſſimus noſter Ardmachanus, aut alius quiſpiam linguae Anglicae peritus. Cum igitur in tantis pro gloria Chriſti Domini verſemur periculis, neſciamuſque qua hora in collo comprehendendi ſimus a tenebrarum miniſtris, & militibus, extenſis brachiis benedictionem Sanctiſſimi Domini Noſtri petimus, utque pro nobis oret Deum Optimum Maximum, ne in tantis periculis nobis deſint vires, quibus contra veritatis hoſtes viriliter decertemus. Si fieri poteſt, obſecro, dignetur dominatio veſtra Illuſtriſſima agere cum Reverendo Patre Claudio Aquaviva Societatis Jeſu Generali Praepoſito, ut è ſuis aliquos ad nos mittat, nam quotquot ex ipſius filiis hic ſunt, ſingulares ſunt, in hoc in quo pro gloria Chriſti verſamur certamine, & ſi juvari poſſumus, juvemur obſecro. Chriſtus Dominus dominationem veſtram Illuſtriſſimam & Reverendiſſimam Eccleſiae ſuae Sanctae diu incolumem conſervet. Raptim Waterfordiae in Hibernia V. Kal. Junii MDCVI.

EPISTOLA CXCIII.

CAESARI CARD. BARONIO

ABBAS S. GALLI ORDINIS S. BENEDICTI.

Agit de Breviario Monaſtico reformando.

ABbas S. Galli, ceterique per Helvetiam, & Sveviam Ordinis Sancti Benedicti Abbates, in reformandis Monaſteriis, erigendaque diſciplina monaſtica pro virili operam dum navant, reperiunt, inter alia, Breviaria quibus Benedictini paſſim hactenus fuerunt uſi, non modo in multis defectuoſa, ſed & apocryphis interdum, aliiſque parum decentibus conſperſa; adeo ut neceſſarium omnino putent hujuſmodi Breviaria aut corrigere, aut certe iis deſertis aliud eligere. Verum quia perſcriptum a S. Benedicto, atque ab Eccleſia ipſa approbatum, jamque mille pene annis obſervatum divinorum Officiorum ordinem non putant deſerendum, libentiſſime vero cum Eccleſia Romana quoad hoc etiam ſe ſe conformarent, decreverunt accipere Breviarium Romanum non tantum quoad officia propria, & communia

nia Sanctorum, ſed etiam quoad Officia de Tempore &c. at ita quidem, ut ea omnia quae habentur in Breviario Romano, accomodarent & diſponerent ad modum a ſancto Benedicto traditum, ita ut Breviarium iſtud Benedictinum re ipſa & materialiter idem eſſet cum Romano, forma autem & modo diverſum, ac tribus ſolum noſtr. Sanctorum ad ſummum feſtis auctius, Miſſali vero Romano in omnibus correſpondens, quo & ſolo in poſterum uterentur, & hujuſmodi Breviarium curarent typis deſcribi.

Modo humillime & enixe rogant Illuſtriſſimae V. D. conſilium, an putet ita faciendum? & an a Sancta Sede Apoſtolica ſperari poſſit hujuſmodi Breviarii inſtitutique approbatio, & confirmatio &c.

EPISTOLA CXCIV.

HENRICO SPONDANO (a)

CAESAR CARD. BARONIUS.

Gratias agit de Epitome Annalium Eccleſiaſticorum ab eodem elaborata.

QUOD de Annalium noſtrorum Epitome, opera & ſtudio, tuo elaborata ſignificaſti, non gratum mihi, acceptumque eſſe non potuit. Etſi enim re vera totum hoc breviandi genus probare vix ſolemus, rarumque ſit, ut ex animi ſententia lectoribus procedat, ea tamen de prudentia, fide, ac diligentia tua noſtra eſt fiducia, ut, quod abs te profectum ſit, id omnibus placere poſſe arbitremur. Quare quod ad Epitomes tuae editionem ſpectat, ne mora ſit Sedis Apoſtolicae decretum, quo cautum eſt, ne quid ejuſmodi, niſi permiſſu noſtro exeat in lucem, plenam tibi, liberamque poteſtatem damus; ejuſque indices ac teſtes, has litteras eſſe volumus. Vale. Romae prid. Kal. Sept. MDCVI.

EPI-

(a) Henricus Spondanus Mauleoſolenſis Gallus ex Calviniſta Catholicus & Epiſcopus Appamienſis, pietate, ac zelo illuſtris, aetat. 75. an. MDCXLIII. mortuus eſt.

EPISTOLA CXCV.

CAESARI CARD. BARONIO

SEVERINUS BINIUS. (a)

Novam Conciliorum omnium collectionem a ſe in lucem editam tranſmittit.

AMpliſſima, & graviſſima auctoritate tua, Cardinalis Illuſtriſſime ſcriptiſque litteris a Reverendo & doctiſſimo Viro Antonio Poſſevino Societatis Jeſu Theologo celeberrimo acceptis permotus, in lucem emitto novam Conciliorum omnium collectionem, cui ſingulorum Pontificum vitas magna ex parte a me deſcriptas, una cum omnibus eorumdem Decretalibus Epiſtolis, pro ratione temporum ſuis locis opportune inſerui. Tuo inquam monitu, qui veterem illam mendoſam, mutilam & confuſam compilationem mille locis illuſtraſti, arguiſti, emendaſti, ad hos labores ſuſcipiendos inductus, tuiſque diſſertiſſimis & foecundiſsimis Annalibus mihi inſtar luculentiſsimae facis praelucentibus plurimum adjutus, opus maxime arduum, poſtpoſita omni difficultate, alacriter ſum aggreſſus: cumque idem poſt trium annorum laborem fere continuum, pro conatu ac viribus quibus potui maximis, abſolverim, aequiſsima ratio Jure meritoque a me exigit, ut cum hoc qualecunque tandem eſt opus, laborioſum ſane & multarum vigiliarum aliquid adjumenti ad aedificationem templi Dei, quod eſt Eccleſia Sancta Catholica, allaturum videatur, primum quidem Deo Optimo bonorum om-

(a) Hic Randelradii; Juliae oppido patre Quaeſtore natus, poſt publicam multorum annorum apud Ubios profeſſionem, Sacrae Theologiae doctor, primo B. Mariae od gradus, deinde S. Gereonis, ac demum Eccleſiae Metropolitanae Presbyter Canonicus. Objit circa annum MDCXVIII. Cum Ven. Card. Baronio familiariter uſus eſt, eoque hortante, ac juvante edidit poſt Merlinum, Crabbium & Surium Conciliorum tomos IV. notis doctiſſimis illuſtratos, qui totam antiquitatis eccleſiaſticae ſeriem (ut Poſſevinus ait) egregie explicant, atque haereticorum impoſturis ubique occurrunt. Editae ſunt Coloniae MDCVI. Item MDCXVIII. IX. Vol., cui editioni graeca quaedam Concilia acceſſere. Nam in priore nonniſi latina habebantur. Haec autem collectio a Gretſero, Frontone Ducaeo, Poſſevino plurimum laudata fuit: atque in primis a Labbaeo & Coſſartio, qui pluribus Conciliis eandem auxerunt anno MDCLXXII. tomis XVII. Diſplicuit tamen Jacobo Uſſerio, pſeudo Archiepiſcopo Armachano, qui Binium vocare praeſumpſit contaminatorem Conciliorum. Porro quae emendanda occurrunt, citantur in libro gallico, cui titulus: *Traite de l'etude des Conciles* in 4. Pariſiis pag. 456. multiſque ſequentibus. Extat etiam auctore Binio Diſſertatio de Joanna Papiſſa in Conciliis Labbaei tom. VIII.

omnium auctori, deinde etiam tibi pro impenſis hanc in rem ſubſidiis, & auxiliis plurimis, immortales gratias perſolvam. Suſcipe igitur Clientuli tui obſervantiſsimi, labores in fidem & tutelam tuam, ut te patrono commendati, a Zoilorum calumniis & injuriis liberi tutique efficiantur. Interea Deum oro, ut quod agis, diu agas & de Eccleſia, de ſacris ſtudiis, de viris Eruditis, & piis, tu pietate & eruditione excellens ſemper optime merearis.

Coloniae Agrippinae, Anno reparatae ſalutis ſupra Milleſimum ſexcenteſimum ſexto. Quinto Idus Septembris.

EPISTOLA CXCVI.

CAESARI CARD. BARONIO

FRANCISCUS SALESIUS EPISCOPUS GEBENSIS. (a)

De beneficiis ſibi collatis dum Romae moraretur grates ei reddit; ejuſque auxilium ac auctoritatem adverſus haereticos implorat; atque in ejus laudibus immoratur.

BEnevolentia illa, & ſancta humanitas, qua me dum Romae verſarer excepiſti, audentiorem nunc efficit ad opem, operamque tuam implorandam. Cum fratrem iſtum meum germanum

(a) Sanctus hic Epiſcopus natus eſt anno 1568. Aneſiaci in Sabaudia; primam aetatem Lutetiae in Claramontano S. J. collegio tranſegit virtute ac pietate ſingulari, ut omnes quid eximium de eo praeſagirent. Exinde Patavium miſſus, ut juris prudentiae operam daret, a ſodalibus alio praetextu ad feminam ſpecioſiſſimam ductus, & ſolus cum ſola relictus, atque ad flagitium ſollicitatus, Gregorii Neoceſarienſis, Thomae Aquinatis, Philippi Nerii, & aliorum Sanctorum exemplo, non modo immotus perſtitit, ſed & jam caſtigatum acribus verbis ſcortum & ſaliva defoematum a ſe abegit, glorioſo de laſcivia ac procacitate triumpho. Lauretana exinde domo viſitata, & Vrbe Roma illuſtrata, in patriam redux, coeleſti prodigio motus, a ſeculari vitae genere ad Eccleſiaſticum tranſiit, & ſtudiis theologicis imbutus, ſacriſque initiatus, in concionibus ad populum habendis, atque in Calvinianis praeſertim ad Eccleſiae orthodoxae caſtra revocandis, emicuit. Quos quidem indefeſſo ſtudio cum privatis, tum publicis diſputationibus fregit, & alloquiis melle dulcioribus adeo ſibi devinxit, ut plurimi ejuratis erroribus Catholicam doctrinam amplecterentur. In his Theodorum Bezam Clementis VIII. Pont. Max. voluntate tentatum, adeo inflexit, ut niſi illaudatus pudor obſtitiſſet, quam judicio veram agnoſcebat, Religionem Catholicam facto etiam amplexus, & ore profeſſus fuiſſet. Haec & alia in Eccleſiam ſtudia effecerunt eum Genevenſem Epiſcopum Claudii Granieri anteceſſoris voluntate & Clementis VIII. gratia. Variis inde legationibus Monaſteriorum reformationibus, Religioſorum Ordinum inſtitutionibus atque miraculis inclaruit. Egregia volumina ſtylo ſancto lacteoque calamo conſcripſit, quae piorum omnium manibus teruntur, quibuſque multiplici idiomate cudendis, ac recudendis, noſtratia & externa praela frequenter caluerunt. Lugduni obdormivit in Domino die 28. Decembris MDCXXII.

num Eccleſiae meae Canonicum cum ad viſitanda SS. Apoſtolorum limina, & pleraque hujus Eccleſiae inſtaurandae neceſſaria remedia a Sancta Sede Apoſtolica impetranda mitto. Neque eſt quod apud Illuſtriſsimam & Reverendiſsimam Dominationem tuam multis explicem quanta ſit aut oneris gravitas; aut provinciae difficultas, aut diaeceſis neceſsitas, paucis dicam, cum Genevam filiam illam Babilonis miſeram conſpicio, aliaque circum oppida haereticorum faucibus abſorpta, non poſſum non cogitare miſſum me ad gentem apoſtatricem, duram facie, indomabilem corde, ad domum exaſperantem, & ad ſcorpiones; quare rogo te Illuſtriſsime & Reverendiſsime D. conſurge mihi adverſus malignantes, & ſta mihi apud Sanctam Sedem adverſus operantes iniquitatem. Sic enim fiet, ut quemadmodum ſpiritum oris Chriſti, ac gladium illum ancipitem ex Annalibus tuis ſuper aurum & topation pretioſis tam facili ſucceſſu hactenus vibraſti, ſic etiam nunc qua polles, auctoritatem exeras ad faciendam vindictam in nationibus ſchiſmaticorum & increpationes in populis haereticorum. Vale Illuſtriſsime ac Reverendiſſime Cardinalis, & me cultorem tuum addictiſsimum tua benevolentia complecti, ac fovere non deſine, Chriſtumque in omnibus habeto propitium. Anneſii Allobrogum die XXVIII. Novembris MDCVI.

EPISTOLA CXCVII. (a)

FRANCISCO BARBARO PATRIARCHAE AQUILEAE (b)

CAESAR CARD. BARONIUS.

Quod in duodecimo Annalium Tomo typis imprimendo, occupatus, negotium de Lectionibus SS. Hermagorae & Fortunati nondum conficere potuerit, excuſationem affert: quod tamen ſe quamprimum facturum pollicetur.

Illuſtriſsimo, e Reverendiſsimo Signore. Alle molte, & gravi occupazioni, che di continuo mi tengono impedito, ſi è hora aggiunta quella della ſtampa del duodecimo Tomo de' miei Annali, che mi occupa in tal maniera, che non mi laſcia tempo non dico di attendere ad altro, ma nemeno di penſare. Per queſto V. S. non ſi maraviglierà, ſe nel negotio delle Lezzioni de' Santi Hermagora, & Fortunato non è anco ſtata ſervita da me, come havrei deſiderato per ſodisfare in parte & alla devozione di coteſto Popolo, & a me ſteſſo, che ſommamente deſidero di corriſpondere alla molta amorevolezza di V. S., anzi la prego ad avermi per iſcuſato almeno inſino a tanto, che do fine a quello, che ſenza grandiſsimo incommodo non poſſo tralaſciare. Dico a V. S. liberamente le mie occupazioni, acciò tanto più ella corteſemente mi eſcuſi: & non attribuiſca la cauſa al poco deſiderio che io abbi di ſervirla, ma al molto che io tengo da fare. Prego a V. S. duplicatamente dal Sig. Iddio felici le Feſte & l'Anno novo con l'abbondanza di tutte le grazie celeſti. *Mi ſforzerò preſto ſatisfarla, ſia ſecura del mio buon animo.*

Di Roma alli 28. di Decembre 1606.

EPI-

(a) Hujus Epiſtolae authographum extat Aquileae in Archivo Patriarchali, in codice, qui complectitur Kalendarium, novaſque Breviarii lectiones, quas ipſe Franciſcus Barbarus Patriarcha confecerat, pro *Officiis* peculiaribus Sanctorum ſuae Diœceſis. Scripta eſt autem epiſtola a *Secretario* Cardinalis Baronii, cujus manu tamen exarata ſunt ea ultima verba, quae idcirco diverſo charactere excudenda curavimus.

(b) Hic tertius nobiliſſimae ſuae gentis Aquilejenſis Patriarcha, Aloyſio Juſtiniano in coadjutoris munere, ſuperſtite Joanne Grimano anno MDLXXXV. ſucceſſit: quo vita ſuncto an. MDXCII. patriarchalibus infulis eſt decoratus. Hoc autem munus magna integerrimi Praeſulis laude geſſit Franciſcus ad annum uſque MDCXV. quo ingenti bonorum omnium moerore ex hac vita diſceſſit, & Hermolao fratri ejus coadiutori liberas Patriarchatus habenas reliquit. Plura de eo habes apud Ughellium Italiae Sacr. tom. 5. edit. vet. col. 159. & ſeq.

EPISTOLA CXCVIII.

CESARI CARDINALI BARONIO.

BENEDICTUS PERERIUS SOC. JESU. (*a*)

Selectarum diſputationum in S. Scripturam tertium Tomum ad eum mittit, ejuſue ſtudiorum labores laudat.

TErtium Tomum Selectarum diſputationum mearum in Sacram Scripturam (*b*) mitto ad te Illuſtriſſime Baroni. Litterarum ſcilicet munuſculum, meiſque conveniens ſtudiis, nec futurum tibi non jucundum, qui pro tuo divinarum litterarum ſummo amore, ac reverentia, & commentariis, & aliis quibuſcumque Sacrae Scripturae tractationibus non ineptis, neque ineruditis majorem in modum delectaris. Mihi ſane viſum eſt, cujus nomini ſuperioribus annis inſcripſiſſem Commentarios meos in Geneſim, primum nempe librum divinae ſcripturae: Eidem quoque nunc dicare ſelectas Diſputationes in librum Apocalypſis; qui extremum in Sacrorum voluminum diſpoſitione

(*a*) Hic natione Hiſpanus, patria Valentinus anno ſalutis MDXXXVII. natus vix adoleſcentiam ingreſſus Clericorum Regularium Soc. Jeſ. Familiae nomen dedit anno MDLII. inde in Siciliam, mox Romam miſſus, ubi dicendi artem publice profeſſus eſt, in omni ſcientiarum genere ſe exercuit, eximiamque eruditionem eſt conſequutus. Nam Graecis latiniſque litteris ad miraculum imbutus, egregiaque omnium hiſtoriarum cognitione ſibi comparata, adeo in utriuſque Philoſophiae ſtudiis profecit, ut cum inſignioribus ſui temporis Theologis facile poſſit comparari: idque non modo Poſſevini, Beſoldi aliorumque clarorum virorum de eo judicia, ſed etiam quae ipſe poſteris reliquit, praeclara ingenii monumenta teſtantur. Etenim praeter ingens opus *ſelectarum diſputationum in ſacram Scripturam* in quinque volumina diſtributum, de quo in hac Epiſtola occurrit mentio, edidit Pererius, quatuor tomos *Commentariorum & diſputationum in Geneſim*, & in *Danielem Profetam* libros quindecim, in quibus chronographiae hujus libri rationem accurate eſt perſequutus, libros item quindecim *Phyſicorum, ſive de principiis rerum naturalium*, nec non tres libros *adverſus fallaces & ſuperſtitioſas artes, hoc eſt, de magia, & obſervatione ſomniorum, & de divinatione Aſtrologica*. Scripſit praeterea Pererius alia multa, quae nondum typis impreſſa in manus hominum pervenerunt. Haec autem ejus opera manuſcripta in Bibliotheca Ambroſiana abdita latere, teſtatur vir cl. Nicolaus Antonius Biblioth. Script. Hiſp. tom. 1. pag. 166. nimirum, *Lucubrationes in Evangelia. De Avaritia. In Decalogum. Propoſitiones ex I. & II. Phyſicorum. In libros Metaphyſicorum. Ratio brevis ſtudendi. In libros de anima. De Trinitate; de creatione de Angelis, & de Incarnatione. In primam partem D. Thomae*, quod idem videtur cum ſuperiore commentario. Logica inſtitutio, & alia. Obiit vir maximus Romae anno MDCX.

(*b*) Prodiit tertius iſte Tomus Lugduni an. MDCVI. unde quamquam in hacce Epiſtola nota temporis deſideretur, tamen quando ad Baronium data fuerit, ex hoc colligere licet.

ne locum tenet. Ac nos quidem ex paupere ſtudiorum noſtrorum penu tenui haec promimus, & quaſi levidentia munera, craſſo filo, ut dixit ille in publicum damus. Tu vero ineſtimabili Eccleſiaſticorum Annalium theſauro pergis in dies magis Eccleſiam Chriſti locupletari; ingenti & tuo apud Deum merito, doctorumque hominum, qui ſunt quique omni poſt aevo futuri ſunt, gaudio, atque emolumento. Cogis itaque omnes, qui Catholicae Eccleſiae, ab ejus uſque primordiis, doctrinam, & inſtituta, atque conſuetudines exploratè cognitas, & perceptas habere cupiunt obnixe Deum rogare, ut ſalvum te multos annos, atque incolumem Eccleſiae ſuae praeſtet; quoad iſtud tanti laboris, tantaeque utilitatis opus, ad uſque noſtra haec tempora, qua feciſti, adhuc eruditionis copia, & diſputandi ſubtilitate, ac diligentia refertum atque elaboratum limatumque deducas. Vale.

EPISTOLA CXCIX.

PAULO V. PONT. MAX.

CAESAR BARONIUS.

Duodecimum Annalium tomum ei offert.

EN tandem Beatiſſime Pater, duodecimum Tomum Annalium Eccleſiaſticorum, quem tibi Principi Sacerdotum ceu tertias, ac noviſſimas frugum noſtrarum primitias ex lege repraeſento. Neque enim mihi fas fuit in hoc longo & laborioſo duodecim voluminum, totidemquem non menſium, ſed ſaeculorum magni anni curriculo, non ter in conſpectu Domini coram ejus Sacerdote, nec manibus vacuis apparere. Primum itaque Sixto V. praedeceſſori tuo binos Tomos, primitiva operis noſtri, velut recentium ſpicarum manipulum ineuntis ſacri anni auſpiciis conſecrandum obtulimus. Deinde Clementi Octavo in medio ſtadii curſu, cum per Eccleſiaſticae hiſtoriae campos ſegetem uberrimam per ſummos laborum aeſtus, Divina favente aura, colligeremus, alterius oblationis, quae poſt meſſem praecipiebatur, haud immemores, non duos tantum Codices, ſed quinque, hoc eſt, pro duobus primitiarum panibus quinos dedicavimus. Reſtabant, quas Sanctitatis tuae nunc exhibeo, poſtremae omnium fructuum primitiae, in exitu anni ſolven-

vendae, quando cuncta conduntur. Nam ut collectos jam & conditos in hoc Volumine ſtudiorum noſtrorum fructus augurer, nec ultra laborum ſpem intendam, facit aetas annis gravis, & afflicta ac pene proſtrata valetudo, quae velocem tabernaculi mei depoſitionem non vana praeſagitione denuntiat. Suſcipe igitur, Summe Sacerdos, quam jure tibi vindices univerſarum frugum noſtrarum non ſexageſimam, ut olim, aut quadrageſimam, ſed duodecimam partem. Tomum, inquam, duodecimum Annalium noſtrorum. Qui ſi lentius fortaſſe, ac longiore quam alii ſolebant intervallo, in lucem exire videatur, tarditatis veniam, non injuſta, opinor, multiplicium morarum excuſatione promeretur, tum quia nos inter ſcribendum non ſemel nec mediocriter remorata eſt illa, quam dixi gravior aetas, & foecunda morborum ſenectus: quae tot uno partu, & tanta incommoda nobis effudit, ut veram expertus ſim Gregorii noſtri querelam fuiſſe, cum diceret.

Jam premor ipſe ſenecta
Quae gravior ſiculis dicitur eſſe jugis

Tum quia opere perfecto, cum ad editionem accingeremur, ſuborta repente, quae Apoſtolicam Sedem inceſſeret, emergentium fluctuum tempeſtate, alio nos tantiſper, ut in eadem poſitos navi, curae cogitationeſque traxerunt: tum denique quod Appendicem de more aggreſſis, dum ex racemorum ubertate opulentior ultro vindemia conſurgit, prolixiore aliquando, ſed non injucundo, ut ſperamus, nec inutili auctario, latius excurrendum, & comperendinandum fuit. Ita factum ut volumen in ipſis propemodum electionis tuae ſolemnibus abſolutum, tibique jam inde quod perorando teſtati ſumus oppignoratum, vix nunc demum evoluto biennii ſpatio exſolvere, fidemque nexam liberare licuerit. Sed hoc nobis, Beatiſſime Pater ex hac ipſa cunctatione oblatum eſt commodi, quod qui tum, quando ad Summi Pontificatus apicem, evectus es, ſi promiſſum munus ſtatim obtuliſſemus, praeter ſpem & vota nihil habebamus; nunc poſtquam in hoc biennii tui decurſu ſpes noſtras firmavit eventus, & votis facta ſucceſſerunt, eſt quod Deo immortali ſummas gratias agamus, qui maximas & ſingulares iſtas virtutes tuas, quae te jam olim hominum judicio & praeſentione Apoſtolico Throno deſtinabant, atque in eodem poſtea divina prorſus, & admi-

admiranda vocatione collocarunt, ex ſuprema Eccleſiae ſpecula ſplendidiſſimis facibus emicare, orbique univerſo irradiare videamus: & locus erat profecto, ut de his paulo ſuſius aliqua, liberiuſque diceremus: niſi nos non tam quaeſitae aſſentationis ſuſpicio, quae in veris ſinceriſque laudibus ſui ſecura eſt, quam immenſae, quae ceteras laudes tuas ornat modeſtiae, pudoriſque tui ratio prohiberet. Harum igitur omnium, ſed indulgentiſſimae inprimis lenitatis benignitatiſque tuae fiducia, quaſi blando arridentis patris vultu illectus, ſecurior ad pedes tuos adrepit tenellus hic ultimus foetus noſter, & qua poteſt voce rogat, uti ſe, ac ſecum reliquam majorum natu fratrum familiam, parentis ſolatio brevi carituram, in tutelam tuam recipias ope adjuves, auctoritate & patrocinio tueare. Omnes te patronum advocant, omnes tibi commendo; ſed hunc minimum praecipue qui lucem nunc primum aſpicit, nomini tuo mancipatum, numero atque ordine Beniamin noſtrum, effoeto patri, ut in ſenectute genitum, ita non ſine dolore natum, qui ut dextrae filius juxta nomen evadat, ſanctiſsimae dextrae tuae benedictionem ſupplex implorat, ſed eximiam, ſed ſingularem, & quae in parentem ipſum redundet, cujus ſcilicet beneficio ad illius dexteram, cujus vices in terris geris, inter lucis filios aliquando cenſeatur. Ita & tu, Beatiſſime Pater, Pauli Apoſtoli de tribu Beniamin Deo gratiſſima, ut nomen, ſic robur & ſpiritum ſortiare. Ita te parvulus hic noſter inter fauſta inaugurationis tuae exordia formatus, inter laetas jam expertae moderationis gratulationes editus, perpetuis feliciſsimi & pacatiſsimi Pontificatus ſucceſsibus gaudentem, diutiſsime proſequatur. Romae Nono Kalendas Junii MDCVII.

S. GRE-

CAESARIS BARONII
DE VITA
S. GREGORII
NAZIANZENI
LIBER.

LECTORI.

Quamquam haec S. Gregorii Nazianzeni Vita, accurate ſane neque ineleganter a Ven. noſtro Cardinali Baronio quum adhuc florente eſſet aetate conſcripta, atque ex ipſomet S. Gregorio & optimis quibuſque Scriptoribus Eccleſiaſticis collecta; jamdiu typis impreſſa fuerit; quoniam tamen in eo opere edita reperitur, quod opus propter infinitum propemodum voluminum numerum, non adeo frequens in manibus hominum eſſe poteſt, operae pretium duximus eam heic iterum diligentius in publicam lucem communemque utilitatem proferre. Fuit autem iſte de S. Gregorii vita liber ex Codicibus Manuſcriptis Bibliothecae noſtrae Vallicellanae deſumptus, a noſtraeque Presbyteris Congregationis, Bollandianis Godefrido nimirum Henſchenio, & Danieli Papebrochio communicatus, qui eumdem in lucem protulerunt in Actis SS. ad diem nonam Maii, doctiſſimis additis adnotationibus, quas in hac noſtra editione omittere, piaculum duximus. Quae vero praefixa eaedem Vitae legitur authoris Epiſtola nuncupatoria ad Gregorium XIII. Pontificem Maximum, eam haud hoc loco inutiliter repetendam exiſtimavimus, quum legatur inter Epiſtolas Selectas Tom. I. num. 11. pag. 165.

S. GREGORII NAZIANZENI VITA

Ex ipſius potiſſimum ſcriptis collecta.

CAPUT I.

Patria, parentes, educatio, caſtitatis amor viſione roboratus.

GRegorius hic noſter, Nazianzenus dictus, quod Nazianzi (*a*) ortus ſit. Erat enim Nazianzum civitas in provincia Cappadociae, quam Pontum (*b*) appellabant, ſub Metropoli Caeſareenſi, de qua ſic ipſe:

Ponte mihi longe cariſſime, patria tellus.

Cum autem poſtea Cappadocia in duas provincias eſſet diviſa,

(*a*) *Nicetas in Comm. ſuper Orat.* 25. *ejuſdem Sancti Gregorii ex Billii verſione*, *dicitur* Arianzus, ipſius *S. Gregorii* natalitius pagus, ſitus in regione Tiberina, *quam ſuburbanam Nazianzo ſuccenſeri cenſet Hermant*, *quia ipſa grandine vaſtata*. *Nazianzenos ad poenitentiam oratione illa hortatur Gregorius*, *ut quos ea calamitas proprius ſpectaret*. *Hauſta ſunt haec ex Collat.* 5. *Synodi V.*, *ubi Euphrantas Epiſcopus Thyanenſis*, Arianzus quidem praedium eſt, *inquit*, unde ortus fuit Gregorius, ſub Nazianzo conſtitutus: *quod non video cur debeat ad divinitatem referri*, *cum ſufficiat*, *ſi ex illo ſuae poſſeſſionis praedio Gregorii pater aut avus in ipſam Nazianzenam civitatem migravit*, *ibique Gregorium filium peperit mater*: *unde ridem Gregorio ſcribens Theodorus Mopſueſtenus*, in Arianzis, *inquit*, tuis celebramus annualem ſanctis Martyribus honorem. *Praeterea Arianzus non praedium fuiſſe videtur*, *ſed pagus*, *in quo praedium Gregorius habuit*, *idque a quodam Rhegino emptum*, *cum forte mediae aetatis jam eſſet Gregorius*.

(*b*) *Nemo*, *quod ſciam*, *ullam Cappadociae*

viſa, Pontus ſecunda Cappadocia eſt appellata. Porro Nazianzi (*a*) nomen adeo obſcurum fuit, ut nullus antiquorum ejus meminerit. Alio tamen nomine Diocaeſaream invenimus nuncupatam; ipſe enim ait de ipſo agens:

----- Quem parva feraci
Cappadocum in terra tulit urbs Diocæſareenſis)

Et alibi

Parvae quidem urbis, hoc eſt Diocaeſareae cives ſumus: [1]

Idemque ad Olimpium [2] ſcribens, ſuam patriam eſſe dicit Diocaeſaream: quod quidem nomen antiquis optime notum fuit. Sicut enim Caeſarea, ejus provinciae Metropolis, Mazaca dicebatur; ita etiam Nazianzum Diocaeſarea dictum fuit. [3] Erat tamen adeo exigua civitas, ut Ariani, adverſus quos acre certamen ſuſceperat, patriae ignobilitatem eidem conſueverint exprobrare, prout his illorum verbis Gregorius ipſe ſignificat; [4] (Par-

docine partem appellavit Pontum, *nec appellare potuit: cum ipſe per ſe provinciam, imo duas provincias conſtituerit ſub Amaſeno & Neocaeſarienſi Metropolitis, quemadmodum ex altera parte ad mare mediterraneum duplex erat Pamphylia, inter quam & Pontum mediterranea jacebat Cappadocia, aetate Nazianzeni biſariam, poſtea autem triſariam diviſa a Juſtiniano Imp. a quo* Cappadociae tertiae *Metropolis conſtituta* Mociſſus, *dicta eſt exinde* Juſtinopolis. *Errandi cauſam, & Pontum cum Cappadocia confundendi Baronio praebuit ineptiſſima verſio.* Ponte mihi longe cariſſime, patria tellus, *cum Graece ſit.*

Χαῖρε φίλη καὶ Πόντε, πάτρης πέδον ἀλλοδαπῆς τε.
Tellus cara & Ponte, patriae & alienae terrae ſolum.

Ubi clare patet conditinguí inter ſe utramque regionem. & uti πάτρης πέδον *appellatur* γαῖα φίλη, *ſic* τὸ ἀλλοδαπῆς *referri ad* Pontem: *quemadmodum in ſequenti mox verſu diſtinguatur.*

Καὶ νεότης πολιή τε, Juventus, & ſenectus;

...ἀπρεπέες μῦθοι... ὧν πνεῦμα φέρει,
Leves fabulae & quos Spiritus genuit, ſermones:

Καὶ πόλιες σκόπελοί τε, urbes, & deſerta

Quae omnia per elegantem antitheſim inter ſe comparata appellat initio Carminis Sanctus, tamquam totius vitae ſuae teſtes; ſed difficile fuerit Latino verſu ſingula ſic reddere, ut eadem maneat elegantia: hanc igitur perdidit interpres dum ſectatur illum; & rem totam vehementer obſcuravit, ut facile patebit conſideranti, & Graecum textum cum verſione Latina conferenti.

(*a*) *Allegatur in margine Epiſt. 50. ubi, nulla facta mentione Ponti, ſolum dicitur. Nazianzum a jure Caeſarienſis Metropolis tranſlatam eſſe ad jus Thyanenſis: ſic enim Sanctus ſcribens Olympio, qui Praefecti munere defunctus abibat:* Periimus, proditi ſumus: facti ſumus ſecunda Cappadocia, qui primi dignitatem a te conſecuti eramus.

(1) Ad Hellen.
(4) Ep. 49.
(5) Hier. de ſcrip. eccl. in Baſil.
(6) Or. 1. in Ar.

(Parva tibi, inquis, eſt civitas ac ne civitas quidem, (*a*) ſed aridus locus, inamoenus, & infrequens &c.) Quam tamen licet murorum ambitu perexiguam, nihilominus percelebrem eſſe, ampliſſimamque fidei meritis profitetur, quam ob cauſam modo Noe arcam, modo Bethlehem appellare conſuevit, ut cum de parente ſic loquitur. [1] (Effecit ut nova Hieruſalem; ac ſecunda quaedam arca ſuper aquas delata, quemadmodum ea magna illius Noe ſecundique mundi parentis, haec Eccleſia diceretur. Quippe quae in illa animarum illuvie, quae tum omnia paſſim obruebat, ac importunis haereticorum inſultibus, ſublimis & incolumis enataret: quantoque aliis numero cedebat, tanto iiſdem ſplendore, & gloria ſuperior eſſet; idque ipſi accideret, quod Bethlehem accidiſſe videmus, quam nulla res prohibuit, quo minus & parva eſſet civitas, ac totius terrae metropolis; utpote Chriſti, orbis conditoris victoriſque, parens & nutrix). Haec Gregorius, & alludens eo nimirum, quod dum totus Oriens conflagraret haereticorum incendio, nullum tamen illuc impietas acceſſum habuiſſet, ſed incorrupta fuerit illic Catholica fides ſervata.

Habuit Gregorius ejuſdem nominis patrem, Gentilem olim hominem, inde Chriſtianum atque Epiſcopum, (*b*) ac ſanctitate clarum, de quo haec ipſe: (Ille, ut patriam, genus, corporis dotes, externum ſplendorem, ceteraque, quibus gloriari mortales ſolent, ad encomiorum leges remittam, atque ab his, quae nobis prima ſunt, maximeque propria, initium dicendi faciam, radicis nequaquam egregiae, nec ad pietatem commode natae, nec in domo Dei plantatae, ſurculus extitit (prius enim poſtremorum fiducia non erubeſco) quin potius admodum praepoſterae, ac portentoſae, ex duabus rebus valde cotrariis, nimirum

(*a*) *Haec objitientes, non* Nazianzum, *quae, ut* parva *eſſet*, civitas *tamen ſine controverſia erat: ſed* Saſima *reſpiciebant, ignobilem vicum, quibus Epiſcopus factus erat Gregorius, idque mox addita epitheta probant: De* Nazianzo, *quae Romano nomine eſt* Diocaeſaria, *dicit in Ep.* 49. *ad praenominatum Olympium ſcripta*, quod urbem Imperator condidit, tempus conſtituit, & longa annorum ſeries conſervavit: *quae de loco arido & infrequenti dici non poſſent*

(1) In funere patris.

(*b*) *Synaxarium Claromontanum Ms. & Menaea excuſa ad* 25. *Januarii de utroque parente indifferenter dicunt, quod* prius *quam filium genuiſſent*, idola per ignorantiam colebant: *ſed ipſe S. Gregorius matrem ab ea nota vindicat: quin & patrem (quem in Carm. de rebus ſuis dicit fuiſſe* Oleaſtrum dum ſub idolis viveret; *& de cujus idolis etiam meminit in oratione de laudibus ſororis Gorgoniae) non fuiſſe omnino idolatram patet ex conſequentibus. Idem de conditione familiae paternae ait ad Caeſarium fratrem ſcribens Ep.* 17. Facultates noſtras procul dubio ad vitam ingenue honeſteque ducendam ſufficiunt, homini non nimis inexplebili.

mirum Gentili errore, atque legali vanitate conflatae (*a*).) Haec Gregorius de Gregorio patre: qui eodem anno, quo ex toto pene Chriſtiano orbe ad ſacroſanctum Nicaenum Concilium Epiſcopi convenirent, a S. Leontio Caeſareenſi Epiſcopo, pietate & eruditione clariſſimo, ſacro baptyſmate initiatur, Paulino & Juliano Coſſ. anno a Chriſto Domino, ſecundum recentiorum ſupputationem, trecenteſimo vigeſimo quinto. Texit egregie idem Gregorius rei geſtae ſeriem, quomodo ſcilicet cum eſſet optimis moribus imbutus, praeventus eſt a Domino in benedictionibus dulcedinis, in hunc modum per viſum. [1] (Putabat ſe, inquit, quod numquam fecerat, quamvis uxor in oratione frequens eſſet, ex Davidis Pſalmis eam partem canere, (*Laetatus ſum in his quae dicta ſunt mihi, in domum Domini ibimus* [2]. Novus erat & inuſitatus hic cantus: ſimulque cum cantu cupiditas ingreditur. Quod ubi mulier uxor, ſcilicet Chriſtiana femina ac pietate quidem inſignis, intellexit, voti jam compos facta, oblatam occaſionem arripit, viſionem hanc in jucundiſſimam partem interpretans, beneficii magnitudinem animi laetitia declarans, ſalutemque adurgens, ne quid, quod vocationi obſtaret, intercederet; negotiumque, in quod tanto ſtudio incumbebat, abrumperet) &c.

Totius geſtae rei prolixe hiſtoriam narrat de ejus baptyſmo, quo initiatus eſt a S. Leontio, cum Nicaeam ille venturus, tranſiit Nazianzo: quodque idem ſanctus Sacerdos, cum myſtica verba illa, quibus confertur ſacramentum Baptyſmi, eſſet dicturus; errore, haud ſcitur quomodo, lapſus edidit alia diverſa (*b*), quibus Clerici initiantur Sacerdotio? Cum idem Leontius, divino

(*a*) *Id quomodo in* Hypſiſtariis, *quorum ſectam profitebatur Gregorius pater, ſe habuerit, pergens explicare Gregorius filius:* Gentilis quidem erroris, *ait*, idola & ſacrificia rejicientes, ignem & lucernas colunt, legalis autem vanitatis ſabbatum, & jejunam quamdam a nonnullis cibis abſtinentiam venerantes, circumciſionem ſpernuntur: atque humiles & abjecti homines Hypſiſtariorum (ἀπὸ τοῦ Ὑψίστου *altiſſimo*) nomen ſibi tribuunt, quia ſolus Omnipotens ab ipſis adoratus. *Hermant exiſtimat multam ſimilitudinem eos habuiſſe cum Maſſilianis, de quibus Epiphanius haer. 80. & poſtea ſubortis Caelicolis Africae, de quibus Auguſtinus Epiſt. 163. & Codex Theodoſianus l. 43. de haereticis & l. 19. de Judaeis Caelicolis & Samaritanis.*

(1) Ibidem.

(2) Pſ. 121. 1.

(*b*) *Gravis, hic & plane inexcuſabilis fuiſſet error, contraque Sacramenti ſubſtantiam, quod neſcio unde Auctori noſtro obrepſit. Ipſius verba Gregorii audiamus.* Miraculum porro, quod hic quoque divina gratia editum eſt, ſi reticuero, magnam profecto ipſi gratiae injuriam fecero; hujus porro teſtes ſunt non pauci. Spirituale quoddam erratum ſincerae diſciplinae magiſtri admittunt, idque quod futurum erat, gratia praeſignat, ac Sacerdoti forma cum Catecheſi miſcetur. *Id autem quomodo? An perperam commutatis verbis? Nequaquam.* Sed in geno forma imbuitur, *uti ſolebant initiandi Sacerdotio, cum baptyzandi catecheſim praeviam ſtantes exciperent: quae fuit exigua* nub-

vino afflatus ſpiritu (*a*), non errorem, ſed prophetiam fuiſſe, divinamque eſſe ſententiam novit: ut quem tunc faceret Chriſtianum, creare etiam poſtea deberet Epiſcopum. Obſequens igitur ſpiritui, tunc illum ſacro baptyſmate illuſtravit, poſt aliquot autem annos, cum deceſſiſſet ejus civitatis primus Epiſcopus, eumdem Nazianzenum ſecundum ordinavit Antiſtitem. Inſigne miraculum, quod divinitus factum eſt, cum ille baptyzatus exiret ex aquis, Gregorius narrat his verbis: (Egreſſum ex aqua lux [1]: & gloria circumfulſit, & nonnullis quidem perſpicua: qui tum miraculum apud ſe continebant, idcirco referre non auſi, quod unuſquiſque viſionem hanc ſibi obtigiſſe crederet: ſed aliquanto poſt illud inter ſe diſſimulaverunt) Haec ipſe. Factus inde ſecundum praecedentes de ſe prophetias Epiſcopus, ſedit annos quadraginta quinque, ac ferme centenarius ex hac vita migravit.

Mater autem Gregorii dicta eſt Nonna, egregiae pietatis mulier: per quam ſecundum Apoſtolum [2] vir infidelis ad fidem perductus eſt: de qua haec ipſe: [3] (Mater autem jam olim & ab ipſis proavis Deo conſecrata, pietatem inſtar neceſſariae haereditatis, non ad ſe tantummodo, ſed ad liberos quoque deducens, ex ſanctis primitiis vere ſancta conſperſio fuit) &c. [4] Appellat eamdem piae ſanctitatis excellentia Saram, in eoque ſuper eam commendat, quod illa pio viro, haec infideli conjuncta; per virum illa, vir autem per iſtam aeque pietatem excoluit. Cumque incomparabiles animi ejus virtutes praedicet, effuſam ejus in pauperes largitatem commendat, ad haecque adeo comparatam, (ut ſi licuiſſet, ut ait, ſe ſuoſque filios eam ob cauſam diſtraxiſſet; ſicque ea arte ſua, ſe ſuoſque in Deum, quem prae ceteris omnibus diligebat, immenſo amore transfunderet). Recenſet aſſiduas illius ad Deum preces, nocturnas vigilias, crebra jejunia, contemptum muliebris ornatus, juge ſilentium in eccleſia, in rebus locisque ſanctis religioſiſſimam obſervantiam: adeo ut Eccleſiae pavimentum conſpuere, & ſacrae Menſae terga vertere illi fuerit religioni. Ex his minimis, ut ajunt, ex unguibus Leonem, cetera conjectare facile erit.

nullius momenti circumſtantiae commutatio, quamvis ipſa ritus in utroque Sacramento diverſitas myſterio non careat, quod vide a Niceta explicatum.

(*a*) *Gregorius nulla facta ſpeciali mentione Leontii, hoc ſolum ait, quod multi qui* aderant, non ſolum ſublimiorum, ſed etiam ad ſagacitatem humiliorum, haud obſcuris ſignis confirmari, quod futurum erat praedixerint.

(1) In fun. pa.

(2) 1. Cor. 7. 14.

(3) In laud. Gorgoniae & de vita.

(4) In fun. pa.

erit . Et quod eſt fortis mulieris illuſtre praeconium , quod de paucis vix dici fas ſit, ad res adverſas praeferendas , ſic erat compoſita, ut ſemper invicta permanſerit: adeo ut in ejuſmodi caſibus non more ſemineo in luctum , ſed in gratiarum actionem ejus vox prima ſemper eruperit . Haec , & alia multa pientiſſimus filius de ſanctiſſima matre praedicat.

Haec beata , religioſiſſimas illas aemulata mulieres , quae uteri ſui partum obtentum precibus Deo dicarunt ; ſupplicationibus crebris apud Deum agit, ut maſculam prolem concipiat , quam, ut Anna Samuelem, Deo offerat . Haec de matre Gregorius ſcribit his verſibus.

(---Me vovit ab ipſo
Cara tibi genitrix utero, cum maſcula proles
Ut eſſet cupiens, his Annae vocibus uſa eſt.
Da mihi, da puerum, ſummi regnator Olympi, [1]
AEdibus inque tuis omnes tibi ſerviet annos.
Dixerat, & praecibus flexus de nocte parenti
Deſignans nomen pueri, proleſque ſecuta eſt).

Porro non tantum naſcituri pueri nomen, ſed & formam ipſam ejuſdem praemoſtratam fuiſſe, idem his verſibus narrat.

(In ſomnio umbra viſa ejus, quod poſceret.
Etenim mea ipſi forma perſpicuo aſtitit, [2]
Itidemque nomen nocte cognoſcit meum.

Naſcitur Gregorius ex repromiſſione Divina matris votis obtentus, patre nondum Chriſtiano , ut ex ea oratione , quam Gregorius in funere patris habuit, aliiſque certis rationibus facile cognoſci poteſt [3]. Unde non niſi hyperbolice dictum accipias, quod idem Gregorius ex perſona parentis, impellentis eum ad ſuſcipiendum munus Epiſcopale, ſic ait.

Nondum tot annos in vita expleſti tua, [4]
Quot ipſe ſacro jam conſumpſi in munere (a).

Idque

(1) De reb. ſuis.
(2) De vita ſua.
(3) Annal. 371.
(4) De vita ſua.

(a) *Jam diximus non eſſe hic apprehendendam hyperbolem, ſed ſyllabam unam in Graeco corrigendam, ut virtus ſenſus habeatur.*

Idque clarius apparebit, cum annorum Gregorii filii rationem inferius ſubducemus. (Peperit & venter ille aureus (utar verbis Hieronymi) duos alios filios, (*a*) Caeſarium & Gorgoniam, prolem ſanctam tantaque matre digniſſimam). Cum jam Gregorius eam pueritiae tranſiiſſet aetatem, quam rationis dicunt expertem, jamque ſuae voluntatis arbitrium libere recta ratione inciperet moderari, Deo jam offerendus a matre, inſtillabat ipſa illi divinae ſcripturae exempla, quibus ſignificaret parentum vota, quibus caros Deo filios obtulerunt, Abrahaeque hiſtoriam & Iſaac, Annae & Samuelis, atque alia ejuſmodi, ſicque eſt affata puerulum cum obtulit illum Deo:

(Nate, ego te vivum Chriſto, cariſſime, munus [1]
Offero, quo matris votum, promiſſaque firmes,
Quae te concepi precibus: quaeque optimus, ut ſis
Et vita eximius, flagrantibus expeto votis.
Hoc genitricis erat votum: cui protinus ipſe
Cedendum, in tenera quamvis aetate, putavi) &c.

Optimis interim moribus imbuebatur, creſcenſque aetate ſimul (*b*) ac ſapientia, divinus quidam inceſſit animum ejus ardor ſervandae pudicitiae, quem coeleſte quoddam viſum ſibi oſtenſum magis magiſque ſtabilivit ſolidavitque, quod ipſe deſcribit his verbis. (Deinde, inquit [2], per nocturnum viſum caſtioris vitae amore me Dominus inflammavit, quod commemoratione dignum cenſeo. Arrigite aures, quicumque pietatis ſtudio

(*a*) *Caeſarium fuiſſe Gregorio juniorem non tantum convincit cupido prolis maſculae in matre, fervens uſque ad vota Deo facienda, cum utero geſtaret Gregorium; ſed etiam quod ait in Carm. de rebus ſuis, quod ipſum Gregorium Caeſarius* inſtar chari habuit timuitque parentis. *De Gorgonia ſorore ſenior ne an junior Gregorio fuerit, non eſt facile definire: potuit certe primo partu nata foemina, in matre auxiſſe deſiderium prolis maſculae. Quia tamen poſt Caeſarium obiiſſe videtur, adeoque poſt an.* 369. *atque* non humanorum plena dierum, quos ne ipſa quidem exoptabat, *ut in ejus encomio dicit frater: ſed, ut idem ait in funere Patris, aeque ac frater Caeſarius* ὡ φιλος ϗ τῷ ζηνέιτωδους, florens adhuc & quam vivere conveniebat, *credere poſſumus intra* 50. *ac* 60. *aetatis annum exceſſiſſe, adeoque vel natu minimam fuiſſe, vel inter Gregorium & Caeſarium mediam.*

(1) De reb. ſuis & de vita ſua.

(2) De calamit. ſuis.

(*b*) *In carmine de rebus ſuis:*

At mea ſpem genitrix meliorem corde fovebat.
Cum te natorum dônavit parte ſuorum.
Namque manus etiam divinis ſedula libris
Luſtrabat ... *ſacras ſcripturas teneris manibus*.

Tractandas exhibendo, ex iiſque narrando aut praelegendo hiſtoriam Abrahami Iſaacum filium immolare parati, ſicut eodem loco fuſius deſcribit.

dio conflagratis; qui autem profanis animis eſtis, eas ſermoni obſtruite. Puer eram, nec admodum puer, verum ea aetate, qua virtutum ac vitiorum imagines in animo inſcribuntur: mens enim nondum firmam & ſolidam cogitationum formam habet, ſed alienis primum inſtitutis & moribus informatur. Et quidem parentes mei eam haudquaquam malis coloribus depingebant, nimirum ad optimum quodque virtutis genus me erudientes. Eximia enim illi & omnibus hominibus admirabili virtutum laude florebant, cordibus animiſque pietatem colebant, ac non minus morum integritate quam ſenectute atque annis humanae vitae modum excedebant). Et paulo poſt: (Ab his novus, ac rudis animus meus effectus eſt, caſeique recentis inſtar quaſi formam ſtatim accepit. At mihi in ſomnis aliquando hujuſmodi quoddam videre viſus ſum, ex quo facile in virginitatis amorem exarſi.

Vigines duae in propinquo ſtabant, candidis veſtibus indutae, ambae formoſae atque ejuſdem aetatis, ambae incomptae atque inornatae, ac proinde ornatae (ornatus enim contemptus mulieribus elegantiam decuſque conciliat) non auro, non hyacintho collum earum decorabatur, non ſericae illis veſtes, non tenui, ac molli lino contextae erant, non fuco imbuti oculi ſublucebant, neque quidquam eorum quae libidinis ciendae artifices in mulierum formis excogitarunt: non flavae comae humeris diffuſae cum leniſſima aura colludebant: quin potius egregiae veſtes zona ſubſtringebantur, ſeque ad talos uſque demittebant. Ad haec ipſae velo non modo caput, ſed genas quoque ipſas obtexerant, oculoſque ipſos in terram defixos tenebant: quin utrique non parum honeſtatis afferebat oris verecundia, ruboreque tincta facies, quantum quidem trans earum vela mihi proſpicere licebat: atque inſuper, ut roſa foliculis, ſic utriuſque labra ſilentio premebantur; quarum ex aſpectu mira quadam voluptate perfuſus ſum: ſic enim mihi perſuadebam, eas humana conditione multo majores atque auguſtiores eſſe. Hae porro, quoniam me aſpectu ſui exhilaratum ſenſerunt, erga me quoque benevolentia affectae, me proinde ac filium ſuum amplecti coeperunt; percontantique mihi, quaenam eſſent & unde veniſſent; altera, Caſtitatem ſibi omnem eſſe, dixit, altera, Temperantiam: quae Chriſto Regi aſſiſtentes, coeleſtium Virginum pulchritudine delectarentur. Atque ad me converſae: Age, inquiebant, fili, mentibus noſtris mentem tuam & faciebus faciem junge. Ita futurum eſt, ut eximio quodam

&

& ſingulari ſplendore praeditum in coelum feramus, ac juſta immortalis Trinitatis fulgorem collocemus. Hac oratione habita per coelum ferebantur, oculiſque ipſe volantes inſequebar; ſed hae non niſi in ſomnis mihi conſpicuae erant.

Diu vero animus meus gravi hujuſmodi ac praeclaro noctis ſimulacro, candidaeque virginitatis imagine oblectabatur. At mihi jam tum earum ſermo in mente colligebatur, cum virtutum ac vitiorum cognitio hominibus vere planeque imprimitur: ac mens cupiditati ducem ſe praebebat, nocturnaeque viſionis pulchritudo obſcurior aliquanto cernebatur. Quemadmodum autem occulta quaedam ignis ſcintilla, depaſcens ſtipulam aridam, ſtatim collucet, flammaque exigua in magnum deinde incendium creſcit, ſic ego cum nocturno viſu incenſus eſſem, confeſtim amor ſplenduit, atque in omnium oculis emicuit, utpote qui in intimis animi receſſibus occultari jam non poſſet. Primum itaque cum his hominibus vitae conſuetudinem contraxi, qui matrimonii vincula fugerunt, ſeque a mundi contagione abripuerunt, ut Chriſtum Regem animi pennis ſequantur, hinc non ſine magna gloria pedem efferentes. Hos ego ſingulari amore, ac toto pectore complectens, ſpei coeleſtis duces habebam; ac poſtea a me grave matrimonii jugum ſubmovi, ad excelſam videlicet eorum, qui perpetua virginitate florerent, claſſem ordinemque aſpirans: coeleſtes enim omnes naturae, conjugii perturbationumque animi expertes, vivunt) &c. (a) Additque haec inferius: (Ergo amoris deſideriique ſtimulis incitatus, eo tendebam, nec veſtigium in terra figere jam ſuſtinebam, mihique idem accidebat, quod his, qui lactis vel mellis dulcedinem quoquo modo guſtarunt: ſic enim ipſe, deguſtata illius chori ſuavitate, nullo jam modo adduci poteram, ut ad acerbum illum cibum, hoc eſt peſtiferum animae vitium, quod in hac vita naſcitur, accederem. Non jam convivia, quae juvenili aetati curae eſſe ſolent; non mollis veſtis, non delicata coma, non turpium atque obſcoenorum verborum invenuſtus lepos, non petulantes riſus, non inimici carnis aeſtus mihi arridebant; quin etiam ſcopulos & montes, & hinnientes equos, canumque venaticorum greges aliis miſſos feci; excuſſaque omni hujus vitae beatitudine, temperantiae ac frugalitati collum ſubjeci: quae quidem mei curam gerebant; me amabant, me

(a) *Ex ſingulari illo, quem tunc animo hauſit, caſtitatis amore, condita poſtmodum ab eo ſunt illa inſignia duo poemata, quibus* Laudes Virginitatis & praecepta ad Virgines *continentur*.

ad ampliſſimam gloriam provehebant, me denique in Chriſti manibus accurate collocabant). Haec Gregorius de ſuae vitae inſtitutis.

CAPUT II.

Studia Caeſareae Paleſtinae, Alexandriae, & Athenis peracta. Varia diſcrimina vitae depulſa.

Quod item ſpectat ad ſtudia litterarum, licet nil antiquius habuerit ſacris litteris, quo tamen conſilio ſibi externa etiam comparaverit, ſcribit his verſibus.

(Libros amabam queis loquimur cum Deo [1].
Viros amabam quotquot eſſent optimi.

Et paullo poſt:

Erant genae imberbes mihi: erga litteras
Flagrabam amore magno. Namque litteris
Veris volebam ferre per falſas opem:
Jactare quo ſe non poſſent, aliud nihil
Quicumque callent praeter eloquentiam
Vanam in ſonis tantum ſitam atque gutture;
Nec illigarer nexibus ſophiſmatum.
Illud quidem numquam ſubiit animum meum,
Ut anteferrem doctrinae quidquam ſacrae.)

Cum itaque avido animo vividoque ingenio cunctas, quae in patria erant, hauſiſſet litteras, avidius ſitiens, ut etiam externas inveſtigaret induxit animum: ac primum ea de cauſa petit Caeſaream Paleſtinae. Illuſtres enim erant ſcholae illae ac florentiſſimae, in quibus ex Chriſtianis olim Origenes, Pamphilus Martyr, Euſebius, alique Doctiſſimi viri profeſſi fuerant; his autem temporibus, Gregorius (ut auctor eſt Hieronymus) Theſpeſium Rhetorem habuit praeceptorem. At Caeſarius ejus germanus, eadem ex cauſa Alexandriam profectus eſt, ut idem Gregorius teſtatur, his verbis: (Ego oratoriae artis amore inflammatus in Paleſtinae Academiis tum florentibus pedem fixi: Caeſa-

(1) De vita ſua.

Caeſarius autem Alexandriam perrexit, urbem tunc, & hoc tempore doctrinarum omnium officinam non falſo aeſtimatam.) Haec Gregorius.

Porro non tantum Gregorius, [1] ſed & Baſilius eadem ex cauſa, licet non una ſimul, Caeſaream contendit, ut idem ſcribit his verbis: (Caeſaream, (*a*) ut ejus urbis ſcholarum particeps eſſet, celeriter contendit: hanc, inquam, eximiam civitatem, & noſtram (nam meorum quoque ſtudiorum dux & magiſtra extitit) non minus litterarum atque doctrinae, quam urbium quibus praeeſt & dominatur, Metropolim; quam ſi quis doctrinae palma ſpoliaverit, rem omnium pulcherrimam ipſique maxime propriam eripuerit. Nam cum aliae civitates aliis ornamentis vel antiquis vel novis glorientur, prout opinor vel hiſtoriis vel rebus quibuſcumque viſendis ornatae ſunt; hanc contra, ut arma vel tragoedias notae quaedam atque inſignia, ſic litterarum gloria nobilitat illuſtremque reddit). Et poſt alia haec item de Baſilio. (Hinc, inquit, Byzantium, urbem totius Orientis principatum tenentem: excellentiſſimis enim Oratoribus philoſophiſque florebat, quorum brevi optima quaeque ingenii celeritate ac magnitudine collegit, atque inde Athenas, hoc eſt litterarum domicilium, a Deo atque inexplebili eademque laudanda doctrinae cupiditate mittitur; Athenas, inquam mihi, vere aureas, ac ſi cuiquam alii bonorum parentes: nam illae hominem, non illum quidem ante ignotum, ſed tamen notiorem reddiderunt). Exiſtimo enim Caeſareae Paleſtinae eum noviſſe, non tamen ejus ſe amicitiae inſinuaſſe (*b*).

Poſt haec Gregorius majora ſapiens, Alexandriam cogitat. Erant illic, ut modo vidimus, ſcientiarum omnium refertiſſima promptuaria. Illuſtrarant olim ſcholas illas Clemens, Origenes, Ammonius ac demum Didymus Alexandrinus reddidit celebriores, apud quem Hieronymus [2] jam ſeneſcens, quid adhuc diſceret, invenit, & ex magiſtro diſcipulum profiteri libentiſſime acquievit. Erat noſter Gregorius, licet olim ex voto oblatus Deo,

(1) In laud. Baſil.

(*a*) *Exiſtimat Hermant*, Caeſaream Cappadociae *intelligi hoc loco: in eaque ambos primas artes didiciſſe, ac mutuo noviſſe. De Gregorio primum videtur indicare Gregorius Presbyter in Vita, quando ait eum Caeſareae primum, dein in Paleſtina ſtuduiſſe.*

(*b*) *Gratis hoc exiſtimare videtur Baronius; imo ex Gregorii ea de re ſilentio puto, quod primum Athenis mutuo ſe cognoverint; eſto ambo in alterutra aut etiam utraque Caeſarea eoſdem magiſtros audierint: dici enim poteſt quod diverſa tempore: patria certe videtur Baſilius, ſtudiorum cauſa, multo ſerius egreſſus quam Gregorius.*

(2) Hier. ep. 65.

Deo, adhuc tamen catechumenus. Inoleverat enim illis temporibus improbandus uſus, ut quodam pietatis praetextu quam plures Chriſti aetatem, & quo baptyzatus eſt tempus, expectarent, ut ſacro initiarentur baptyſmate: quam quidem abuſionem, ut antiquis Eccleſiae moribus ipſiſque Apoſtolicis traditionibus adverſantem, & jacturam non modicam inferentem, cum ipſe Gregorius poſtmodum, tum Baſilius ac Gregorius Nyſſenus graviſſimis orationibus inſectati, ab Eccleſia Dei auferre conati ſunt. Alexandriam itaque proficiſcens, nactus illic Caeſarium fratrem, cum eo vixit, qui ſicut ante illuc acceſſerat, ita & poſtremus receſsit, & non niſi, ut ſuo loco dicetur inferius, cum Gregorius jam receſsiſſet Athenis. Cum itaque Gregorius Caeſarienſes ſcientiarum fontes, ac rivos Alexandrinos hauſiſſet; majori animi ardore ſitit Athenarum flumina, ac morae impatiens, non expectato opportuno navigationis tempore, improvide ſe mari credidit, ut ipſe his verſibus monſtrat, cum diſcrimen in quod incidit narrat:

(Saltem calori quod adoleſcentum accidit,
Inordinato qui feruntur impetu,
Ceu pullus animi plenus ad curſum exilit,
Id accidit mihi. Nam alieno tempore,
Quo non ſuevit eſſe tranquillum mare,
Sed excitare fluctus a Tauro (a) ſolent,
Loquuntur ut docti, cum prudens navigat
Nemo temere. Tunc Alexandriam deſerens,
Doctrinae ubi ſtudiorum flores carpſeram;
Conſcendo navim, & Graeciae Pontum ſeco
Praeter Cyprum). &c.

Deſcribit eam maris tempeſtatem, quam & alibi refert his verbis.

(Cum Alexandria per mare Parthenium (b) in Graeciam [1] navigarem, navigabam intempeſtiva prorſus anni parte animo ita

(a) *Graece velut in parentheſi.*

Ταύρου πλοῦν ὥραις ἐν ἀκινδύνοις φασὶ
Οἱ ταῦτα δεινοί. ....

Tauri caudam non ſine periculo eſſe dicunt, qui talia callent: *ubi Billius, notat,* Hibernum Tauri ortum *intelligi*, qui eſt circa medium Novembrem.

(b) Mare Parthenium *dici eam Mediterranei partem, quae Aſiam inter & Africam eſt, teſtatur Macrobius in ſomnium Scipionis.*

(1) In fun. patris.

ita perpellente, in navi AEginaea; nam id vel maxime impulit, quod in nautas mihi familiares incidiſſem; Cum inquam, navigarem, paululumque proceſſiſſemus, tam atrox tempeſtas exorta eſt, ut non multas pares meminiſſent qui mecum vehebantur (*a*). Hic omnibus mortis timore perculſis, ipſe animae mortem gravius pertimeſcebam: in periculum enim miſer veneram, ne baptyſmo non initiatus e vita diſcederem, ſpiritualem aquam inter exitioſas & mortiferas deſiderans, ac proinde clamabam, obſecrabam, ſpatium quoddam temporis expetebam (*b*). Conclamabant etiam, in communi licet vitae diſcrimine, qui ſimul navigabant, & quidem gravius, ut quidam e familiaribus meis ac neceſſariis, benigni videlicet hoſpites & humanitate praediti, atque ex periculis hoc doctrinae aſſecuti, ut aliorum calamitate moverentur. In hoc malo, quo tum eram, parentes quoque verſabantur, per noctis viſum in periculi partem venientes; atque e terra opem ferebant; vim fluctuum precibus velut excantantes, quemadmodum poſtea, ſubducta temporis ratione, domum reverſi cognovimus; quod etiam nobis ſalutaris ſomnus indicavit, cum tandem aliquando eum, remittente nonnihil tempeſtate, coepiſſemus. Furiam mihi tenere videbar, truculentum quiddam intuentem, periculumque minitantem: hanc enim nobis perſpicue depictam nox proponebat. Alius ex vectoribus (puer

(*c*) *Tempus, quo illa tempeſtas duravit, in Carm. de rebus ſuis ita exprimit*:

Noctibus hic denis ego bis totidemque diebus,
Supplice voce rogans Numen coeleſte, jacebam
Ad puppim exanimis.

(*b*) *At quomodo ei non incidit tali in caſu, ut baptyſmum peteret a vectorum quopiam? multos enim ex eis Chriſtianos fuiſſe perſuadent hi verſus*:

Omnes ad unum fletibus genas rigant?
Junctique Chriſtum voce gemebunda vocant.
Hi quoque Deum qui neſciebant prius.

Reſpondet erudite Hermant. in annotat. validitatem baptyſmi per laicos collati tunc adhuc non ſatis notam fuiſſe Graecis, ac ne latinis quidem omnibus: nam (praeterquam quod S. Baſilius in libris contra Eunominum alicubi dicat, eos qui extra Eccleſiam eſſent baptyzati, puta ab haereticis, habendos ſimiles iis quos laici baptyzarint, & per Eccleſiae baptyſmum purificandos) etiam ſanctus Satyrus, ſancti Ambroſii frater, naufragium imminens natando evaſurus, ab iis qui baptyzati ſecum habebant Eucbariſtiam, ipſam orario involutam accepiſſe narratur, licet nec dum perfectioribus initiatus myſteriis; *poſtquam autem enatavit, ea quam collo gerebat ſuſtentante, Dei eccleſiam requiſiviſſe*, ut myſteria aeterna cognoſceret: *quibus indicari videtur tunc adhuc Catecbumenum, poſtea petiiſſe baptyſmum, non autem in illa tam urgenti neceſſitate, quia in navi pereunte Chriſtiani qui erant, laici erant. Concilium quoque Eliberitanum anno* 314. *Can.* 38. *ſtatuit*, Peregre navigantes, aut ſi eccleſia in proximo non fuerit, poſſe fidelem, *non quemlibet, ſed* qui lavacrum ſuum integrum habet, *id eſt nullo mortali peccato inquinatus ſit*), *aut ſaltem non excommunicatus*, nec ſit bigamus, baptyzare in neceſſitatis caſu poſitum Catechumenum.

(puer is erat mei ſtudioſiſſimus & amantiſſimus, meaque cauſa vehementer anxius) cum eo ſtatu eſſem, matrem meam ſibi videre videbatur, quae mare ingreſſa, navim prehenſam haud magno labore ad terram protraheret. Fidemque faciebat haec viſio. Tranquillabatur enim mare, ſtatimque citra magnam vexationem Rhodum appulimus. Hujus periculi donum extitimus, ut enim nos Deo vovimus, ſi diſcrimen effugeremus, ita periculo liberati, nos ipſis obtulimus) [1]. Haec Gregorius, qui eamdem maris tempeſtatem iterum egregio metro cecinit.

Quod autem ait ſe e periculo liberatum, ex voto ſtatim ſe Deo obtuliſſe [2]; haud aliud putamus id eſſe, quam quod baptyſmum tantopere expetitum ſit aſſecutus. Haud enim aſſentimur Gregorio Presbytero, cum dicit, illud diſtuliſſe adhuc uſque ad triceſimum aetatis annum (a) cum Athenis eſt reverſus in patriam. Ex his enim quae hic ipſe refert, & quae Athenis ſunt ſubſecuta, ubi una cum Baſilio vivens perfectiſſimi Chriſtiani ſpecimen edidit, prorſus contrarium perſuademur. Non tantum Gregorius ſacro baptyſmate initiatur, ſed & infideles omnes, qui in eadem erant navi, Dei benignitate ſervati, Chriſtianam Religionem ex animo ſunt amplexati, ut his verſibus idem teſtatur.

(Acceſſit etiam voto illud lucrum meo:
Nam quidquid eſſet in navi mortalium,
Id omne Chriſti fidei mox nomen dedit.
Divinitus ſalutem nacti duplicem.) &c.

Haec cum agens de rebus ſuis carmine exacte referat, addidit Deo referens gratias (b) de acceptis beneficiis, alia graviſſima pericula, in quae alias incidiſſet, ſed Dei ope ſervatus eſſet his verſibus:

Non

(1) De vita ſua.
(2) De rebus ſuis.
(a) *Ita Baronius, ex ſua ſcilicet ſententia, annum aetatis exprimit: cum Gregorius agat de anno ſtudiorum, ut ante dictum. Nos neque ad finem commorationis Atheníenſis baptyſmum dilatum fuiſſe putamus: neque ſtatim ſuſceptum poſt naufragii periculum; ſed poſt alterum vitae diſcrimen a terrae motu: Sanctum tamen annum circiter trigeſimum aetatis attigiſſe cum baptyzaretur.*
(b) *Non hoc agit loco iſto Sanctus, ſed, ut explicet grandem ſuum moerorem & afflictionem in morte fratris Caeſarii, dicit ſe non ita graviter fuiſſe conturbatum animo, neque cum mergi timuit, ut jam dictum, neque cum paſſus eſt tria ſequentia vitae diſcrimina, quae ordine temporis ſingula referri, nihil ambigimus.*

(Non cum lata gravi quateretur Graecia motu,
Ulla nec auxilii jam ſpes aliunde pateret;
At tremor horribilis gelidos invaſerat artus,
Nondum etenim ſacro baptiſmate pectus habebam [1]
Imbutum, quando trahitur luſtralibus undis.
Gratia). &c.

Hunc illum puto famoſiſſimum terraemotum, qui factus eſt anno quarto (*a*) Conſtantii Imperatoris, ut auctor eſt Hieronymus in Chronico, de quo plura Ephrem Syrus [2] & Hiſtorici Graecorum ſcripſere. Rurſus autem, cum faucibus aegrotans, ac pene ſuffocatus, ope divina eſt liberatus, ibidem ſic deſcribit.

(Non mihi cum fauces quondam vis aſpera morbi [3]
Impleſſet valido flatu, ſaevoque dolore [4]
Opprimeret, vitaeque vias auraeque meatus).

Addit & illud, cum incaute oculum pungens lumine privandus eſſet, niſi Deus interveniſſet. Sicque rem geſtam deſcribit:

(Non etiam tunc, cum male ſana vimina mente
Intorquens, oculi punxi temerarius hircum.
Cum ſubitus cruor effluxit luxque occidit omnis:
Nec prius aggredior manibus tranſmittere ſacrum (*b*)
Spirituale Deo, lacrymis quam noxa ſoluta eſt).

Reddit ejuſmodi percuſſio vultum Gregorii non nihil inelegantem. Ariani etenim dicteriis ſuis vultum invenuſtum eidem exprobrare conſueverunt, ut ſuo loco dicetur.

Gregorius tot periculis liber, licet olim a matre Deo fuiſſet oblatus, ſeque iterum (*c*) per Baptiſmum Deo dediſſet, nihilo-

 minus

(1) De reb. ſuis.

(*a*) *Annus 4. Conſtantii inchoatur in Septembri anni 349. proinde recte Hermant cenſet, terraemotum a Baronio indicatum potius ad 341. pertinere. Verum de alio quodam priori terraemotu, qui ante decennium Graeciam concuſſerit haec intelligimus.*

(2) Ephr. in proem. l. 2. de Vitis SS. Patrum.

(3) Socr. l. 2. c. 7.

(4) Soz. l. 3. c. 5.

(*b*) *Hoc ſcilicet innuit eum tunc ſaltem fuiſſe Presbyterum: in eoque fortuito caſu apprehendiſſe reatum,*

Non ſecus atque ille qui caedis crimine dexteram
Polluit — — —

(*c*) *Imo prius per votum Chriſtianae profeſſionis, annis aliquot ante ſuſceptum baptiſmum.*

minus arctiori quodam in jurisjurandi formam voto concepto, ſeveriſſimis legibus iiſdemque inviolabilibus ſe Deo devinxit. Extat adhuc ejuſmodi jusjurandum hiſce verbis conſcriptum. [1] (Verbum ipſum juravi qui mihi maximus eſt Deus, principium ex principio, ex Patre genitus, exemplaris ſui imago, ejuſdemque cum Patre naturae, qui e coelo ad mortales venit. Verbum, inquam, ipſum juravi, me nec ſublimem illam & ſempiternam mentem hoſtili mente & cogitatione, nec Verbum alieno atque inimico ſermone projecturum. Si temporum nutum ſecutus, ſanctiſſimum Trinitatis numen incidero: ſi excelſi cujuſpiam throni cupiditate aliquando exarſero, aut aliis hujuſmodi cupiditate flagrantibus ſuppetias tulero; ſi hominum potius opem atque adjumentum, quam Dei praeſidium quaeſiero, imbecilli fragilique rupi vitae meae rudentes alligans; ſi vel in ſecundis rebus ſuperbo, atque inſolenti, vel rurſus in adverſis & gravibus demiſſo abjectoque animo fuero; ſi in diſceptandis controverſiis ab aequitatis norma deflexero; ſi ſuperſtitioſos & arrogantes homines piis viris pluris fecero; ſi vel malorum tranquillitatem, vel bonorum ſcopulos tempeſtatemque perſpiciens, dextrum propterea iter tenere deſtitero; ſi livore infectum pectus habuero; ſi vel ex nefariorum hominum calamitate riſum mihi finxero, perinde atque ipſe extra caſus aleam poſitus; ſi ira obrutus animus corruerit; ſi effraenato impetu lingua cucurrerit; ſi impudico animo mulierem aſpexero; ſi quemquam immerito odero; ſi injuriam mihi ab inimico illatam, vel occulte vel aperte, vindicavero; ſi pauperis manum, a domo mea inanem remiſero; ſi animae divini verbi ſiti confectae cupiditatem fruſtratus fuero; ſiquid, inquam, horum admiſero, non equidem recuſo, quin exorabilem ſe Chriſtus aliis praebeat: mihi vero labores omnes, quos ab ineunte aetate ad extremam uſque ſenectutem tulero, caſſos irritoſque reddat. His legibus vitam meam obſtrinxi. Quod ſi mihi votis meis potiri liceat, tibi Deus immortalis gratia habenda erit.) Hactenus votum ac jusjurandum Gregorii, cum tamen in ceteris injuratus ſemper (a) vi-

(1) Carm. 17.

(a) *Ita ipſe, explicans qua ratione an. 381. promiſerit non exire Conſtantinopoli, citra juramentum tamen:*

Nec ſic quidem juro: haud enim mihi contigit
Jurare (paulo ut glorier ſummo in Deo)
Luſtratus ex quo gratia ſum Spiritus.

Gregorius in Vita, cum baptizatum dixiſſet

vixerit, ut ipſe de ſe ſcribit [1].

Jam autem maris periculo liberatus, ut vidimus, perelegantem, & accommodatam iter agenti conſcripſit precationem, cujus eſt exordium (*a*). (In te quieſcimus Verbum Dei, cum domi manemus). &c. At jam tandem ejus ſequamur iter: Solvens Rhodo AEginam venit: AEginaea enim navi vehebatur, inde Athenas diutius expetitas ſe contulit; cum etenim rerum omnium Chriſti cauſa (*b*) jacturam feciſſet, Athenarum tantummodo tenebatur deſiderio. [2] Unde ipſe aliquando:

(Sola meum ardenti pectus ſtimulavit amore
Doctrina, Argolicae quam gloria gentis Athenae
Quaeſivere mihi, ſoliſque occaſus & ortus:
In qua multum operae poſui, multumque laboris
Per longum tempus ſubii: ſed & hac quoque Chriſti.
Ante pedes humilem pronamque jacere (*c*) coegi.)

Docebat Athenis his Conſtantii Imperatoris temporibus Anatolius clariſſimus Orator, Conſtantio Auguſto percarus, qui eum Romam vocavit, atque Praefectura Praetorii inſignivit. Profitebatur illic etiam Diophantes Arabs, fama celebris, Proaereſius etiam, qui ob dicendi facundiam in Gallias primum inde Romam ab eodem Conſtantio miſſus, illic ex Senatus conſulto donatus eſt ſtatua, ejuſmodi inſcriptione nobilitata. Regina rerum Roma Regi eloquentiae. Hunc, quem ut gentilem hominem ſibi vendicat Eunapius Sardianus, fuiſſe Chriſtianum, nonnulla eſt conjectura. Nam cum ſcribat [3] Hieronymus hunc, lege data a Juliano ne Chriſtiani liberalium artium Doctores eſſent;

 cum

xiſſet reverſum in patriam, adait, quod tunc legem ſibi indixit numquam jurandi, quamdiu in hac vita verſaretur. *Votum appellet qui volet: ſed hoc pro illo tempore ſatis ſit, & abunde ſatis. Nam* Ὅρκοι καὶ ἐπαγγελίαι δι᾽ ὅρκου (*ut habet titulus*) juramenta & promiſſiones juramento firmatae, *quas continet Carmen diſtichis expreſſum (quod ſoluta oratione hic exhibet Baronius Latino deceptus titulo, ut crederes eſſe* Jusjurandum Gregorii) *aliud non ſunt, quam ludus Poeticus, ea continens omnia, quae ſine ſcrupulo jurare poſſit homo Chriſtianus & perfectionis ſtudioſus. Quod ſi jurejurando hujuſmodi revera ſeſe aliquando obſtrinxit Gregorius, id cur ad ejus referatur baptiſmum, & non ad longe poſteriora tempora, cauſa nulla eſt.*

(1) De vita ſua.

(*a*) *Neſcio ubi hanc precationem inter opera ejus reperiam.*

(*b*) *Patriam ille quidem & parentes dimiſerat ad tempus, aliud quod ſciam nihil: ſed an Chriſti cauſa & non potius amore perfectioris eloquentiae?*

(2) De rebus ſuis.

(*c*) *Tum ſcilicet, cum dimiſſis Athenis totum ſe ad vitam ſpiritualem convertit, jam aetate provectior. Nota autem* πολὺν Χρόνον *longum tempus, quod eloquentiae excolendae impenſum a ſe dicit; haud ſane intelligens paucos illos annos, qui ante annum vitae 30. aliis artibus fuerunt impenſi.*

(3) In Chron. an. 2. Jul.

cum ſpecialiter Julianus, ut Chriſtianos doceret, ei concederet, ſcholam ſponte deſeruit. Adjuvant haec quae etiam Eunapius tradit, Poaereſium ſententiae Juliani fuiſſe remotum a lectione: quod quidem minime decreturus fuiſſe Julianus videtur, niſi fuiſſet Chriſtianus, cum alioqui fuerit ille Ethnicorum Philoſophorum ſtudioſiſſimus. Docebat iiſdem temporibus Athenis Moſonius, quem idem Apoſtata ceſſare juſſit. Addit Zozomenus, Gregorium & Baſilium nactos eſſe praeceptores Hymerium (*a*) & Libanium [1]; de Libanio ad ipſum fatetur Baſilius.

CAPUT III.

Intima cum S. Baſilio amicitia. Praeſagium de Juliano; Diſceſſus Athenis. Acceſſus S. Caeſarii fratris.

POſt aliquot temporis ſpatium ab adventu Gregorii Athenas, Baſilius, quem Caeſarea Paleſtinae Conſtantinopolim litterarum ſtudio profectum diximus, inde Athenas ſe contulit. Quibus humanitatis officiis gentilem ſuum Gregorius ſuſceperit, vix credi poteſt. Nam non tantum interſuos intimos adnumeravit, ſed & contubernalem habere voluit: quem non tantum communis patria, ſed paria ſtudia, mores conſimiles ſociabant, arctiſſimoque amoris vinculo vinciebant. [2] Venienti quamprimum affuit, inſultantibuſque in eum Armenis diſcipulis, ac captioſis quibuſdam diſceptationibus deprimere ſatagentibus, continuo praeſto fuit (*b*): cautumque inſuper reddidit ne jocis illis, quibus veterani ſcholares tironibus conſueviſſent illudere, abduceretur derideretur que. Hiſce amicitiae officiis Gregorius adeo ſibi conciliavit Baſilium, contraque ille morum ſuavitate Gregorium adeo devinxit, ut unanimes ſimul effecti, ſibi quiſque

(*a*) *Sozomeni verba dedimus in Comm. praevio nn.* 14. *Sunt autem fere ſumpta ex Socrate l.* 4. *c.* 21. *addit autem Socrates*, *quod* Antiochiae in dicendi facultate ad ſummum venerunt. *Non tamen credimus eodem ambos tempore Libanium audiviſſe: ſed Gregorium prius, deinde Baſilium; quanto autem tempore ſinguli, non definimus; Gregorius forte minus diu quam Baſilius.*

(1) Ep. 46.

(2) De Laude Baſilii.

(*b*) *Ordinem rerum, ab ipſo Gregorio in laudatione Baſilii ſervatum, commutat auctor; primum enim fuit, Athenienſium Scholarum hoſpitem ſubducere uſitatae iſtic erga novos diſcipulos ludificationi, cujus ritum ac morem ibidem lege accurate expreſſum; & ſimile quid in Europeis quoque Academiis ſervari videas erga tirones, quos Galatas vocant: deinde videns Gregorius in Armeniis, qui, tamquam Athenis commorati diutius, temere laceſſebant Baſilium & ab eo facile confutabantur, periclitari quodammodo aeſtimationem dilectarum ſibi Athenarum, ipſis coepit auxiliari contra Baſilium: ſed mox, experientia ſolidioris doctrinae, quam reſponſa ejus praeſerebant, captus, totus illius factus eſt.*

que felieiſſimus videretur, quod talem tantumque nactus eſſet amicum. Unde de his Gregorius: (Baſilius Byzantio Athenas, hoc eſt litterarum domicilium, a Deo mittitur: Athenas, inquam, mihi vere aureas, & ſi cuiquam alteri bonorum parentes: nam illae mihi hominem, non illum quidem antea ignotum, ſed tum notiorem reddiderunt: ac litteras conquirens, beatitudinem percepi: mihique diverſo modo idem quod Sauli accidit, qui patris aſinas quaerens, regnum invenit). Haec de amicitiae lucro, quod adventu Baſilii ſe nactum Gregorius gloriatur.

De communibus autem vitae ſtudiis haec ibidem enarrat. (Par, inquit, ſpes doctrinae, hoc eſt rei omnium invidioſiſſimae nos ducebat, & tamen aberat invidia, & ſola aemulatione flagrabamus. Hoc utique certamen inter nos erat, non uter primas ferret, ſed uter alteri primus deferret: uterque enim alterius gloriam ſuam exiſtimabat, una utriuſque anima dividebatur, duo corpora ferens. Quod ſi minor fides his habenda eſt, qui omnia in omnibus eſſe dicunt; at nobis certe credendum eſt, quod uterque in altero & apud alterum poſiti eramus. Unum hoc ab utroque noſtrum agebatur, ut virtutem coleremus, atque ad futuras ſpes vitae noſtrae rationes accommodaremus, ante mortem e terra migrantes. Quod quidem nobis ob oculos proponentes, vitam actionesque omnes noſtras dirigebamus, tum divini praecepti ductum ſequentes, tum alter alteri virtutum ſtudium extimulantes, atque, niſi hoc arroganter dicere videor, uterque alteri norma & amuſſis eramus, qua rectum a pravo diſcernitur. Nec enim cum flagitioſiſſimis ac petulantiſſimis quibuſcumque, ſodalium more, conſuetudinem habebamus: ſed cum optimis atque honeſtiſſimis, ſed cum tranquilliſſimis ac pacatiſſimis, quorum ſcilicet conſuetudo maximos fructus affert: illud nimirum exploratum habentes, multo facilius vitium trahi quam virtutem communicari. Diſciplinis porro non tam jucundiſſimis quam praeclariſſimis oblectabamur: nam hinc quoque juvenes vel ad virtutem informantur).

Duae vitae nobis notae erant, altera primaria & praeſtantior, quae videlicet ad ſacras domos ſacroſque doctores ferebat; altera ſecundaria, non ejuſdem honoris, nimirum quae ad externae doctrinae profeſſores ducebat: reliquas omnes, quae ad feſta, ſpectacula, celebres conventus, epulas ferebant, volentibus relinquebamus. Nihil enim mea quidem ſententia magni facien-

faciendum eſt, quod nihil affert ad recte honeſteque vivendum, nec ſui ſtudioſos meliores reddit. Cum aliis alia quidem cognomenta ſint, vel a parentibus accepta, vel a ſe ipſis, hoc eſt ex propriis vitae ſtudiis, inſtitutiſque comparata; nobis contra magna res erat, & illuſtre nomen Chriſtianos eſſe & nominari, atque ea re magis efferebamur, quam Gyges (*a*) palae annuli converſione (ſiquidem id fabuloſum non eſſet) per quam Lydiorum tyrannidem occupavit]. Haec & alia plurima id genus Gregorius, quibus inſinuat, Athenas, aliis pernicioſas, ſibi autem admodum proficuas ac ſalutares fuiſſe. Quod autem ad eruditionem ſcientiarum ſpectat, haec addit: [Non ſolum apud praeceptores, & ſocios, ſed apud totam Graeciam, & praeſertim clariſſimos Graeciae viros illuſtri fama celebramur, quia etiam ultra Greciae fines progreſſi ſumus, ſicut multorum ſermone compertum eſt. Nam quocumque Athenarum fama, eodem quoque praeceptorum noſtrorum fama ſeſe proferebat: ita quicumque praeceptores, iidem nos quoque cognoſcebant, ſimulque de nobis audiebant, ac proloquebantur, ac par quoddam non obſcurum, & incelebre apud eos eramus, & dicebamur: nec nobiſcum Oreſtes & Pilades ullo modo conferendos eſſe putabant; nec Molionidas (*b*) illos, Homerico verſu celebratos]. Haec Gregorius.

Agebat Conſtantius Imperator annum ſui Imperii decimum octavum, eodem jam ſeptimum, & Gallo tertium Coſſ. cum occiſo Gallo fratre, ſibi metuens Julianus; qui Apoſtata dictus eſt, ne in ſuſpicionem, ſicut ille, Conſtantii veniret; Athenas adeundi philoſophorumque ſcholas inveſtigandi, a Conſtantio licentiam impetravit. Eſt is annus a Chriſto, ſecundum juniorum veriorem ſupputationem, trecenteſimus quinquageſimus quartus (*c*). Eo cum acceſſiſſet, intuitus hominem Gregorius, mox futurorum malorum factus eſt veriſſimus vates, ut in ſecunda oratione, quam adverſus eum habuit, his verbis ſignificat. [Haec a me procul ante perſpecta quodammodo fuerunt, ex quo Athenis

(*a*) *De Gyge ejuſque annulo, cujus converſione ſeſe reddebat inconſpicuum, lege Ciceronem lib.* 1. *de Officiis.*

(*b*) *Nicetas ad hunc locum, notat* Molionidas *a matre* Molione, *vocare Gregorium; quos Homerus, ab* Actore *patre*, Actorionas *dixit; geminos corporibus & artibus fratres: arguit autem Nonnum, qui Gregorii verba aptavit* Oto *&* Ephialtae *gigantibus, de quibus nil tale in fabulis.*

(*c*) *Recte ſi necem* Galli *ſpectes, qui an.* 351. *nuncupatus Caeſar, quarto Imperii ſui anno exeunte Polae in Iſtria occiſus eſt: cum autem poſterior hac caede ſit profectio Juliani Athenas, conſequens eſt ut eo ſolum venerit an.* 355. *Quo eodem vel potius ſequenti Athenis exceſſere Sancti.*

nis cum eo verſatus ſum : Nam illuc quoque ſtatim poſt ea, quae adverſus fratrem deſignata ſunt, profectus eſt, Imperatorem hoc ipſum deprecatus. Duplicem enim eo proficiſcendi cauſam habebat, alteram ſpecioſiorem & honeſtiorem, ut Graeciam ejuſque ſcholas viſeret, alteram tectiorem paucisque notam, ut regionis illius ſacrificos & impoſtores de rebus ſuis conſuleret, impietate videlicet nondum plenam libertatem habente. Tunc igitur me non malum hujus viri conjectorem fuiſſe memini, quamquam alioqui ad res ejuſmodi non optime a natura comparatus, ſed tamen me morum ipſius inconſtantia, atque incredibilis quaedam mentis commotio, vatem efficiebat: ſiquidem vates ille optimus eſt, qui recte conijcere novit. Neque enim mihi boni quidquam ſignificare atque ominari videbantur cervix non ſtata, humeri ſubſultantes atque ad aequilibrium agitati, oculus inſolens & vagus furioſeque intuens, pedes inſtabiles & titubantes; naſus contemptum & contumeliam ſpirans, vultus lineamenta ridicula idem ſignificantia, riſus petulantes & effraenati, nutus, & renutus temerarii, ſermo haerens ſpirituque conciſus, interrogationes ſtultae & praecipites, reſponſiones his nihilo meliores, aliae in alias inſultantes, nec graves & conſtantes, nec eruditionis ordine progredientes. Quid ſingula deſcribere neceſſe eſt? Talem ante opera conſpicatus ſum, qualem in operibus poſtea cognovi. Quod ſi quidam ex his qui tum ſimul erant, quidque dixerim audierunt, nunc mihi praeſto eſſent, haud aegre teſtarentur: quibus, ut haec conſpexi, ſtatim prolocutus ſum. Quale malum Romanorum terra nutrit! praefatus licet, ac mihi, ut falſus vates eſſem, imprecatus]. Haec ipſe de Juliano.

Cum Gregorius, & Baſilius paribus ſtudiis animiſque concordibus aliquot annis vixiſſent Athenis, Baſilius diſceſſum meditatur, jamque reditum in patriam parat. Appropinquat dies. Quam permoleſto & invito animo Gregorius id tulerit, ejus verba declarant. [Aderat, inquit, diſceſſus dies, & quidquid ad diſceſſum pertinebat; extremae collocutiones, proſecutiones, revocationes, gemitus, complexus, lacrymae: nihil enim cuiquam perinde moleſtum & acerbum eſt, ut iis, qui ſimul illic educati ſunt, & ab Athenis & a ſe invicem divelli. Tum igitur triſte ac miſerum ac commemoratione dignum ſpectaculum accidit. Circumſtare nos ſodalium & aequalium, nonnullorumque etiam Magiſtrorum chorus: prorſus negare ſe nobis abeundi pote-

poteſtatem facturos obſecrare, rogare, hortari, omnia denique tum facere tum dicere, quae veriſimile eſt eos qui in dolore verſantur]. Baſilium enim nonnihil incuſat, quod ab amicis vinci non potuit, ac demum haec addit. [Res profecto antequam contigiſſet, incredibilis: quippe quaſi contingeret unum biſariam ſecari, atque utramque partem emori; aut boves quoſdam collactaneos, & conjugatos disjungi, lugubre quoddam utrimque alterum alterius cauſa mugientes; nec ſeparationem ferentes]. Haec de receſſu Baſilii Gregorius.

Siquis curioſius cauſam profectionis Baſilii velit perquirere, inveniet fortaſſe quod miretur. Talis enim tantaque erat viri eruditio, quod de eo idem Gregorius affirmat, ut Athenarum ſcholae illi inopes admodum viſae ſint & jejunae, famaque tantum celebres: ſaepiuſque ingemere ea de cauſa conſuevit, dolens nimirum ſe non reperiſſe Athenis quod ſama vulgarat: moerentemque hominem Gregorius vix valuit conſolari, & aliquamdiu retinere. Atque ita diſcendi cupidiſſimus, recedens Athenis, ad Euſtachium philoſophorum celeberrimum ſe contulit, ut ejus litterae ad illum datae teſtantur, cum ait [Reliqueram Athenas philoſophiae tuae celebritate permotus, contemptis his quae illic magni aeſtimantur]. Numquam recedentis amici Gregorii memoriam delevit oblivio, quae in eo ad ſenectutem uſque recens ac viridis perſeveravit: ſaepius illud repetens. O amicitiae contubernium! o carae Athenae! o vitae pie ſančteque inſtituendae jacta olim initia! & alia hujuſmodi. Dederant enim ſibi dexteras de abdicando ſe ab mundi actibus, & heremo incolenda, ut divinae contemplationi vacarent. Id quidem his verſibus refert Gregorius, cum aliquando alia ex cauſa queritur de Baſilio.

Hae vero Athaenae, hae ſunt ſtudia eloquentiae [1]
Communia, haec vita acta in contubernio,
Eadem in ambobus mens haec unica eſt?
Miraculo quae erat Graecis: dexterae hae datae,
De deferendo mundo ut *(a)* coleremus Deum?

Erat tunc Gregorius annum aetatis agens *(b)* trigeſimum, cum timentes Athenienſes, ne ob vim ingentem amoris Baſilium

(1) De vita ſua.

(a) *Haec verba Baronio perſuaſerunt, prius baptizatum fuiſſe Gregorium quam Athenas veniret. Nos duplicem adventum in eam urbem diſtinximus.*

(b) *Ex noſtro autem calculo * quinquageſimus ſextus.*

lium recedentem conſectaretur, ut eum Athenis retinerent, inierunt conſilium, ut eidem inter Doctores locum darent, praeficerentque ſcholae Rhetoricae facultatis: cogunt invitum cathedram Profeſſoris *(a)* aſcendere, & e ſublimi throno publice profiteri. Haec etenim ipſe his verſibus refert: [1]

Diu namque ſtudiis eloquii vacaveram
Ibatque is annus ferme in his trigeſimus *(b)*.
Tum cognitum eſt a me, quis eſſet ſodalium
In nos amor, quae de nobis opinio.
Jam tempus aderat, aderat & multus labor,
Amplexibus verbiſque de obitu triſtibus
Utendum erat magno cum ardore pectoris.
Ac Baſilio quidem vix vi, verumtamen
Ceſſere, declaranti cauſas itineris:
At lachryma mihi manat etiam modo,
Turbationis cum recordor illius.
Omnes me circumſtabant illico,
Noti, doctoreſque, aequales, hoſpites:
Ac me querelis, obteſtationibus,
Vi detinebant, nam jubebant hoc amor,
Et mordicus; cum dimiſſuros dicerent
Non inde quovis modo. Nec enim decet,
Ajunt, Athenas te optimas amittere.
Volunt meam me denique eloquentiam
Ipſis probare: flectunt. Quercus ſola tot
Fuiſſet adverſata verbis, lacrymis.

Haec Gregorius: qui tamen nec his diutius valuit retineri compedibus: omnia enim abſque Baſilio ſibi tetra & injucunda ſunt

(a) *Ita Baronius intelligit & explicat ſequentes verſus:*

Volunt me meam denique eloquentiam
Ipſis probare —— *alia verſio*: Ac ſimul facundiae
Mihi principatum calculis ſpondent ſuis.

Et hoc magis ad Graeci textus ſenſum:

Ὡς δὴ λόγων δόντες ψῆφον πρώτου.

Tamquam ex communi ſuffragio daturi eloquentiae principatum: *ubi vides ſolum promitti* eloquentiae principatum, *qui utrum intelligi debeat de publica cathedra, ut intellexit Baronius, ſatis incertum eſt.*

(1) De vita ſua.

(b) *Hoſce duos verſiculos, ab aliis male, ut reor, de ſpatio aetatis intellectos; ut Graeco redderem ſenſui, mutandos putavi, alias retinens eam verſionem, quam Baronius ſecutus eſt, licet non ſemper optimam. Si alibi tale quid occurrat iterum, eadem in corrigenda veteri verſione uſurus libertate.*

ſunt viſa, ad illam anhelanti vitam tranquillam, quam una ſimul ducere in ſolitudine pacti erant. De ſuo enim deſiderio ad Baſilium [1] redeundi, haec ipſe aliquando. (Nec tamen in longum mihi producta eſt haec calamitas: nec enim diutius miſerandus conſpici, noſtraeque disjunctionis rationem omnibus reddere ſuſtinui. Sed non ita multo tempore poſtea Athenis commoratus, prae animi deſiderio equum illum Homericum imitor, perfractis eorum a quibus tenebar vinculis, campos pedibus pulſo, atque ad ſodalem meum impetu feror]. Haec ille, qui & alibi in eamdem ſententiam his verſibus.

Quamobrem Athenis cum manſiſſem non diu, [2]
Subduco me furtim prope, atque in patriam eo.

Arguuntur erroris ex his omnibus ea, quae ſcribit [3] Ruffinus dum ait: Gregorium ſubduxiſſe Baſilium e Doctoris cathedra, manuque injecta ſecum in monaſterium perduxiſſe. Nam Baſilium primum, ac inde Gregorium Athenis receſſiſſe, exploratum ſatis habetur.

Recedens Athenis Gregorius, reverſurus in patriam pedeſtri itinere, venit Conſtantinopolim: eodemque tempore Caeſarius ejus germanus Alexandria rediens, illuc opportune appulit: de quo haec ipſe. (Ecce, inquit, Deo, qui juſtas preces audit, & parentum erga benignos filios amorem, honore complectitur, ita impellente, neque ex conſilio, neque ex conſtituto, alter ab Alexandria, alter e Graecia, alter mari, alter pedibus, eodem tempore in eamdem civitatem appulimus. Haec enim erat Byzantium, in qua Caeſarius brevi tantam gloriam eſt aſſecutus, ut publici honores nobileque matrimonium, & Senatoria dignitas ei oblata fuerit, communique decreto a Magno Imperatore per legatos petitum ſit, ut vellet Principem Urbem, viro eruditionis eloquentiaeque principe, ornari atque honeſtari: ſi tamen illi curae eſſet, ut vere primaria eſſet, nomineque ſuo digna, atque ad ceteras ipſius laudes hoc accedere, ut Caeſario, & medico & cive decoraretur, quamvis alioqui praeter ceterorum ſplendorem, viris tam in Philoſophia, quam in aliis generibus artium eximiis abundet. Sed de hac re ſatis].

[Illud autem, quod tum contigit, quamvis aliis fortuito accidiſſe videretur, cujus modi multa fert caſus in rebus humanis; apud pios autem homines perſpicue conſtabat, nulli alteri eam

(1) In laud. Baſil.
(2) De vita ſua.
(3) Lib. 2. capi 9.

Digitized by Google

eam rem adſcribendam eſſe, quam Deo dilectis parentibus ad unius voti ſummam explendam, filios tum terra tum mari, in unum colligentibus. Age, ne hanc quidem Caeſarii laudem praetereamus, quae quamvis aliis fortaſſe parva, nec commemoratione digna, mihi tamen & tunc & nunc quoque praeclariſſima viſa eſt, ſi modo laudem meretur fraternus amor, neque unquam inter primos collocare deſinam, quoties mihi de illius rebus narratio inſtituta fuerit. Nam in his, quos diximus, honoribus cum eum civitas retineret, negaretque ſe illi ulla ratione poteſtatem diſcendi eſſe facturam; ego tamen cujus auctoritatem Caeſarius omnibus in rebus plurimi faciebat, in contrarium niterer, ut nec parentes ſuo voto, nec patria debito ſibi officio, nec denique ego deſiderio meo fruſtrarer; itineris ſocium comitemque ſe mihi adjunxit: meque, non urbibus ſolum & populis, non honoribus & proventibus, qui multi ad eum undique, partim confluebant, partim in ſpe atque expectatione erant; verum propemodum ipſi quoque Imperatori ejuſque edictis antepoſuit. Hinc ego omnem honorum gloriaeque cupiditatem, quaſi gravem quemdam Dominum morbumque permoleſtum excutiens, philoſophari, vitaeque meae rationes ad ſupernam vitam accommodare conſtitui: nam antiquior hujus vitae cupiditas fuit, quam vita ipſa. Caeſarius autem, cum doctrinae ſuae primitias (*a*) patriae conſecraſſet, dignamque laboribus admirationem ſui commoviſſet; poſtea gloriae ſtudio, procurandique, ut mihi perſuadebat, publici commodi cauſa, in aulam ſe contulit, & ſi nobis haud admodum gratum ex animique ſententia id fuit: me etenim apud vos purgabo, quoniam ſublimius praeſtantiuſque eſt in infimo ordine apud Deum collocari, quam apud terrenum Imperatorem honoris primitias tenere: tamen eſt hujuſmodi, ut merito reprehendi nequeat]. Haec ille.

(*a*) *Si annis decem aut pluribus Gregorio junior fuit* Caeſarius, *nemini videbitur mirum, has vocari* primitias doctrinae, *ad annum aetatis quadrageſimum & ultra longo ſtudio excultae. Nam & hodie moris in Italia eſt, ut Medicinae tirones, non ſtatim ac Licentiae gradum in Academiis adepti ſunt, ad publicum artis exercitium proſiliant: ſed veteranos longaque experientia inſtructos comitantur, ex eorumque praeſcripto apud eos quibus viſum eſt, aegros manent aſſidui, ſymptomata criſeſque ſigillatim annotantes, ut venturo poſtmodum principali medico rationem reddant, ex ejuſque ſuper illis ſententia ſuum ipſi judicium de iiſdem forment. Quidni credamus, Caeſarium quoque (qui non ſoli Medicinae, ſed etiam Eloquentiae tantam dederat operam, ut in utraque tenere videretur principatum) non niſi aetate provectiorem, exercere artem aggreſſum eſſe?*

C A P U T IV.

Vita aliquamdiu Nazianzi peracta : ſchiſma ſublatum. Ejus & ſancti Baſilii ſacerdotium. Auxilia parentibus aegris praeſtita.

REverſus in patriam Gregorius, aliquamdiu illic invitus retentus eſt, & ſicut nec Baſilio [1], ita nec ipſi facultas data eſt ſecedendi in ſolitudinem. Ait enim : (Domum reverſi, cum mundo, ac ſcenae nonnihil inſerviſſemus hactenus, ſcilicet ut multorum hominum deſiderio utcumque ſatisfaceremus (nam ipſi quidem ab ambitione, & Theatrica quadam ingenii oſtentatione abhorrebamus) ut nos ipſos quam primum rediimus, ac veluti ex imberbibus facti viri perfecti, coepimus virilius jam ad Philoſophiam progredi, non jam corpore (haud enim permittebat livor) ſed deſiderio & amore conjuncti. Ille enim a Caeſarienſi civitate, ut alter quiſpiam conditor & conſervator, retinetur: ac deinde, quoniam non me (*a*) fruebatur, neceſſarias quaſdam peregrinationes, minimeque a propoſitae Philoſophiae ſcopo alienas (*b*) inivit. At me, & parentis pietas, & ſenilis aeta-

(1) In laud. Baſilii car. de vita ſua.

(*a*) *Invitaſſe per litteras patet ex Gregorii Ep. 5.* Promiſſis non ſteti, fateor : quippe jam inde ab Athenis illiuſque loci amicitia & animorum connexione (nec enim aptius verbum occurrit) facturum me receperam ut tecum philoſopharer. Fidem autem fefelli, haud ſponte ac libenter : verum quod lex legem ſuperarit, ea nimirum lex quae parentes colere jubet, legem ſodalitatis ac familiaritatis. *Quam durum tamen hanc expertus ſit legem, cui obſequi adeo videbatur, aequum prolixe deſcribit Sanctus in carm. de rebus ſuis ita canens :*

— Officium nobis laudabile noſtrum
Attulit, infauſtumque habuit res optima finem.
Difficiles etenim curae denſoque ruentes
Agmine, rodentes animum reſolutaque membra,
Me totum in terram, de qua mortale creatum
Eſt genus, aſſidue volvunt, miſereque fatigant.
Nam primum imperio famulos conſtringere qualis
Exitii laqueus? Dominos odiſſe feroces
Queis ſolitum, aſt mites pede conculcare protervo.
Altera jam ſequitur patriorum cura bonorum,
Quodque mihi eſt humeris ſemper perferre neceſſe
Caeſareum pondus, vocemque tributa legentis . . .
Tum circa turbas animum jactare forenſes,
Litibus atque dies miſeris impendere totos,
Oppoſitiſque graves dictis miſcere tumultus.
Ac legum implicitum laqueis mala plurima ferre.

(*b*) *Peregrinationes has ita Baſilius indicat Ep. 79.* Optabam dari aliquem ex fratribus, cui iſtud vitae, *a rebus terrenis abſtractae*, genus arrideret, qui cum una profundum hujus vitae pelagus ſuperare liceret, inveni autem multos apud Alexandriam

aetatis curatio, & incurſantes calamitates, at illi conſortio abſtractum tenuerunt, haud recte quidem & juſte, ſed tamen tenuerunt. At haud ſcio, an mihi hinc quoque omnis vitae difficultas aſperitaſque fluxerit, per quam incommodum ac ſalebroſum ad Philoſophiam iter habuerim, nec cupiditate mea, animique propoſito ſatis dignum; ſed rerum quidem noſtrarum ſtatus, quo Dei voluntas fuerit, feratur). Haec ipſe.

Cum autem pietas in parentes, Gregorium retinuiſſet Nazianzi praeter inſtitutum, ad idque eum coegiſſet patris juſſum; ſic vitam inſtituit, ut media quadam, ut ipſe ait, via incedens, cum actioni, tum contemplationi vacaret. De his idem haec interdum.

(Horum ſenectam (nam quid eſt magis pium ...) [1].
Meis fovebam ſedulus pro viribus:
Hanc fulciebam, commodum ut mihi redderem
Senium, ſenectam languidam ipſorum fovens,
Namque ita metimus uti ſementem fecimus.)

Et

driam, nec paucos apud reliquam Egyptum, deinde & alios in Palaeſtina & Coeleſyria & Meſopotamia, quorum admiratus ſum tum in vitae ratione temperantiam, tum in laboribus obeundis tolerantiam, ad quorum obſtupui precandi vigorem & conſtantiam, cum obſervarem, quo pacto nec ſomno victi, nec aliqua alia naturae neceſſitate deflexi, ſublimem ſemper & invictum animi ſenſum, in fame ac ſiti, in frigore & nuditate, ſervarent; nec corporis rationem habentes ipſi, nec ab aliis aliquid illi curae impendi ſuſtinentes; ſed quaſi in aliena carne degerent, ipſo opere oſtendentes, quid ſit in rebus hujus vitae peregrinum eſſe, & converſationem in coelo habere. *Peregrinationibus autem his ſucceſſit commoratio aliqua Caeſareae in Cappadocia patria ſua: ubi Lector ordinatus ab Epiſcopo, ut videtur, Dianio, non paſſus eſt ſeſe magis implicari; ſed ad optatam ſibi ſolitudinem aſpirans, totus in hoc erat, ut promiſſam ſolitariae vitae ſocietatem cum Gregorio auſpicaretur. Teſtatur id ejus Epiſt. 19. ſic exorsiens.* Ego, ſcribente mihi fratre Gregorio (*poſtea Nyſſeno Epiſcopo*) tibi jam pridem in votis fuiſſe, ut meo colloquio fruereris, imo addente, id tibi jam ipſi quoque certum eſſe; illud quidem aegre credo, propterea quod toties decipior; illud vero & negotiis diſtractus expectare non potui. In Pontum ne redeam aliquando (*ubi ſcilicet fuerat ſub amita ſua S. Macrina Neocaeſareae educatus*) vel praeſens me cogit neceſſitas, *impoſita per eos qui ad altiores in eccleſia gradus protrahere conabantur*: cui loco redditus, Deo bene volente vagari deſinam. *Solitudinem deinde, qualem votis omnibus ſemper optarat, amoeniſſimam, ſuoque propoſito aptiſſimam multis deſcribit, tandem ſic Gregorium alloquens:* Nunc igitur intelligis, quantum periculum mihi accerſere voluerim, qui talem locum cum Tiberina, quae barathrum eſt orbis commutare contenderim? *Unde apparet propoſitum Baſilio fuiſſe, ut Gregorio ſuaderet ſaltem in Tiberinam regionem ſecedere, ubi Arianzus erat: id vero cum non impetraſſet, felicitati duxiſſe, quod abiiſſet in Pontum. Nec dubito quin in principio ſui adventus Caeſaream, aliquando Arianzum excurrerit Baſilius ad viſendum amicum: apud quem quam efficax fuerit illa Ponticae ſolitudinis laudatio, haud diu poſt ipſe ſeceſſu confirmavit Gregorius, de quo ſequenti capite plura, ordinem non temporis, ſed Baronianae narrationis ſequentes.*

(1) De vita ſua.

Et paulo poſt

(Verumtamen magis eram (*a*) ſolitarius,
Quamvis viderer inter homines degere.
Eſt ſolitudo namque morum, haud corporum).

Unde tunc temporis ſaepenumero accidit, ut auctor eſt Gregorius Presbyter, ut Chriſtum quoque perſpicue in ſomnis nocturnaque, ut ſcriptura loquitur, meditatione intueretur, eamque puritatis mercedem ferret, de qua Scriptura loquitur [1], *Beati mundo corde, quoniam ipſi Deum videbunt* [2].

Adſtitit ſuo parenti Epiſcopo Gregorius, cum adverſus Arianos ſtrenue decertaret. Erat tunc luctuoſiſſimum tempus illud, cum Euſebio & Hypatio Coſſ. celebratis in Oriente Seleuciana, & in Occidente Ariminenſi Synodis, ab Arianis (eſt is annus Domini, ſecundum recentiorum ſupputationem, trecenteſimus quinquageſimus nonus) ingens clades Catholicae Eccleſiae ſecuta eſt, utar verbis Hieronymi, ingemuitque orbis, & Arianum ſe eſſe miratus eſt: de qua etiam hic Gregorius [3]. (Ego vero, inquit, terraemotum hunc noſtra tempeſtate coortum, nullo eorum, qui jam extiterunt, inferiorem eſſe exiſtimo, per quem omnes monaſticae philoſophiae ſectatores, Dei timore praediti, & ante tempus in coelis civium numero fungentes, a nobis dimoverentur) &c. Revera Catholicae fidei terraemotus dicendus, quo ſolidae templi columnae proſtratae, vel ſaltem loco motae atque inclinatae ſunt, ſiquidem etiam nolentes ſeducti ſunt. Erat enim ea fallacia ac dolus Arianorum, ut ὁμοιούσιον ſubſcribendum ac profitendum traderent, unius litterulae mutatione magnam ſenſus diverſitatem adducentes: Filium nimirum non ejuſdem cum Patre ſubſtantiae, quod ὁμοούσιον ſignificat; ſed ſimilis ſubſtantiae dicerent ὁμοιούσιον, hoc eſt conſimilem Patri Filium, & non conſubſtantialem praedica-

(*a*) *Crediderim hoc potiſſimum fuiſſe poſtquam a Baſilio ex Ponto rediit, parentum caritate retractus; quam praecipuam anachoreſim Nazianzeni putamus ad haec tempora conferendam; potius quam differendam poſt Sacerdotium ſuſceptam, quamvis aliquoties deinde adhuc recurrerit in Pontum Sanctus, uti ſupra dictum. Videtur autem prima iſta vice non cum alia intentione abiiſſe in Pontum, quam ipſe explicat, praelaudatam Epiſtolam 5. ſic ſineas:* Fidem feſelli haud ſponte ... non autem prorſus fallam, ſiquidem hoc gratum tibi futurum eſt: partim enim nos tecum erimus, partim ipſe nobiſcum eſſe quaeſo ne graveris, ut omnia ſint communia, & aequalis amicitia: ſic enim fiet ut nec parentes moerore afficiamus, & te fruamur.

(1) Joh. 3. 5.

(2) Mat. 5. 8.

(3) Adv. Lucif. in laud. Athan.

carent [1]. (Erat autem, inquit Gregorius, in promptu atramentum, & calumniator a tergo. Ea res permultos e nobis, invictos alioqui viros, in fraudem impulit; qui quamvis mente nequaquam prolapſi fuerint, tranſverſi tamen ſubſcriptione acti ſunt, ac cum illis utroque nomine ſceleratis conſenſerunt; at ſi non flammae, fumi quidem certe participes fuerunt, quod quidem ipſe multis lacrymis proſecutus ſum).

Haec Gregorius, qui & alibi haec de Patre: [2] (Cum inquit eo tempore a ferventiore Eccleſiae parte ob eam cauſam ſeditio in nos excitata eſt, quod litteris quibuſdam ſubdoliſque verbis in parvam ſocietatem furtim protracti fuiſſemus, ſolus illaeſum cor habere, nec animam ſimul cum atramento foedaſſe creditus (*a*) eſt; tametſi per animi ſimplicitatem abreptus fuiſſet, dolumque doli expers minime vitaviſſet. Quin etiam ſolus, aut certe primus, eos qui a nobis ob pietatis zelum diſſidebant, & ſibi & ceteris reconciliavit, poſtremos a nobis ſeparatos (*b*) & primos reverſos, cum ob ejus reverentiam, tum dogmatis puritatem (*c*). Ita gravis Eccleſiarum jactatio tempeſtaſque ſedata eſt,

(1) In laud. Athan.

(2) In fun. patris.

(*a*) *Quid? An etiam invictus ille orthodoxiae pugil Nazianzenus abreptum in fraudem ſe fatetur, aut ſaltem meruit aeque ac pater excuſari? Reſpondet Nicetas ejus commentator, humanitati ac pietati datum videri, quod de culpa velut communi loquatur; dum autem ſolum excuſat patrem, indicare ſe non ſubſcripſiſſe, adeoque nec externa actione erraſſe. Nota autem culpam ſubſcriptionis paternae, quae ſimplicitati tribuebatur, praecipue derivatam in filium, quod cum patre, ut videbatur lapſo, communionem retineret, nec ab ea ſeſe, ut ferventiores alii, ſepararet.*

(*b*) *Hos ultimo ſeparatos ac primo reverſos, monachorum ad Nazianzenam dioeceſim ſpectantium aſſerit Ordinem fuiſſe Nicetas, & mox patebit. Qui autem priores ſe ſeparaverant & ſerius redierant ad unitatem, intelligendi ſunt aliarum dioeceſeon monachi fuiſſe, praeſertim ii qui cum S. Baſilio a Dianio Caeſarienſi eadem ex cauſa ſe ſeparaverant.*

(*c*) *Quam moderate Gregorius pater, & qui ejus communioni inhaerebat filius, in hac cauſa ſe geſſerint: quam etiam ipſi adverſarii de recta eorum intentione ac fide bene ſenſerint: explicat filius orat. 29. his verbis.* In hanc fraudem ultimi prolapſi, primi erecti ſumus. Quod in morbum inciderimus, communis naturae eſt, & humanae infirmitatis: quod cito depulimus, divinae gratiae: quae melius, quam optabamus aut alii futurum ſperabant, cauſam noſtram diſceptarit. Nam & nos data praeciſae partis capita (*id eſt eos quos monachi ſibi curarant praeter canonum Ordinem ab aliis Epiſcopis ordinandos Presbyteros, ne illos a Gregorio cogerentur accipere*) velut pro pietate atque ad rectae doctrinae laborantis ſubſidium deſignata, cum gratia ſuſcepimus; nec ut hoſtes defugimus: verum ut fratres, qui non improbe, ſed fraterne pro paterna haereditate nonnihil contenderent, amplexi ſumus, atque ut illos inimicitiae nomine haudquaquam laudavimus, ita rurſum eorum zelum comprobavimus... conſilium adverſum nos initum propter caritatem diſſimulantes... Et vos rurſum (*monachos, ad concordiam cum ſuo Epiſcopo reverſos, alloquitur*) abjecta ſiniſtra ea ſuſpicione, quam ſcriptum illud afferre potuit, ad ſpiritum recurriſtis atque ut ſimplicitatem noſtram, ob eum ſenſum quem verba praeſerebant, minime probaſtis; ita impietatem nobis nunquam objeciſtis, perſpectum videlicet habentes, Trinitatem ad nos firmam & immotam non minus quam naturam manere... Atque huc, vigente etiam ipſo diſſidio, mutuo de nobis

eſt, ac procella in auram redacta, orationibus conſiliiſque illius (liceat mihi audacter dicere) fracta atque ſublata; nobis interim & pietatis ſociis & actionis, qui cum in omni honeſto negotio eum adjuvaremus, ac velut curſim affectaremur, tamen hic quoque Dei beneficio multo maximam laboris ſtudiique partem impendimus). Haec ipſe, in oratione habita in funere patris, ubi poſt multa haec in eamdem ſententiam. (Haud diſparis zeli ea illius correctio fuit, qua ſe haereticis oppoſuit, eum impii Imperatoris (*a*) copiis ſuffulti, expeditionem adverſum nos ſuſceperunt: ut nos quoque in poteſtatem accepturi, aliis quoque adjuncturi, jam ferme omnibus in ſervitutem redactis. Nam hic quoque non parvo nobis adjumento fuit, tum per ſe ipſe, tum per nos etiam fortaſſe, quos velut non ignavos & degeneres catulos in illos, tamquam in ſaeviſſimas beſtias, immittebat, ad pietatem nimirum exercens). Haec ibi.

Laboravit plurimum, ut monachos, quos diximus, a communione diviſos, reintegraret [1]. Mirum in modum enim illorum cauſa angebatur, unde ipſe: (Hinc ego moerens & triſtis incedebam, ob eamque cauſam pariter cetera vitae oblectamenta, ſermonem quoque ipſum abjeci: quoniam clariſſimi homines calcitrarunt, atque in me non jam hora ſua, ſed terga verterunt, & ovile facti ſunt paſtore ipſo liberius, ne dicam audacius & petulantius (*b*) &c. Res tandem ex ſententia accidit, ut Gregorius non tantum monachos, ſed & Epiſcopos ad Eccleſiae unitatem reduxerit: quando ea de cauſa egregiam habuit orationem (*c*), cujus eſt exordium (Linguam meam ſolvit alacritas) ubi de proventu laborum ſuorum: (Cum granum, inquit, amiſiſſem, ſpicas recepi: oves lugens (*d*), paſtores inſuper

bis quandoque praedicabamus: . . . propterea quod nobis, etiam diſſidentibus, eadem de fide ſententia ſuberat: illudque nobis conſcii eramus, non in veritatis negotio minime inter nos diſſentire.

(*a*) Valentem *intelligi monet Nicetas, & recte: nam qui ſub Conſtantio Gregorium patrem aggreſſi fuerant, non armis ſed fraude uſi, ſubſcriptionem Ariminenſis Synodi, ut vidimus impetrarant, non rejecti fuerant. Quomodo igitur, ut* in eamdem ſententiam *prolata haec allegantur, quae de re prorſus alia ſunt? Nempe quatenus indicant, patrem filio ducem ad fortiter agendum fuiſſe, ac viciſſim adjutum a filio.* (1) Orat. 2.

(*b*) *Hic locus eſt ex Oratione mox citanda: in cujus initio ingratos monachorum laudes expendens, eaſque omnes doloris ſui fuiſſe augumentum argumentumque declarans, in haec & alia iis ſimilia prorumpit.*

(*c*) *Eſt ea oratio* 12., in praeſentia patris habita, *ut praefert titulus quam una & altera quoque de pace ſecuta eſt.*

(*d*) Quidam ex his, *inquit Nicetas*, qui receſſerant, in Epiſcoporum ordinem poſtea evecti erant, *& ſic ea verba intellexit Baronius. Sed forte ſoli intelliguntur Presbyteri illi, quos ordinandos curaverant monachi, ut haberent, a quibus Dei verbum ſibi praedicaretur, paſtores, ab haereticorum contagio impollutos: quorum* ſubductionem, *ſuam ſe* acceſſionem *feciſſe gloriatur Sanctus, aucto ſcilicet hac occaſione Presbyterorum in Nazianzena diœceſi numero.*

ſuper lucratus ſum) &c. Haec autem omnia facta putamus, cum ex humanis ſublato Conſtantio Imperatore, Arianorum patrono, Julianus coepiſſet Imperium: quo reſcindente edicta Conſtantii adverſus Orthodoxos edita, Epiſcopi occidentales exules liberati ſunt. Fuerunt hi inter alios celebriores Euſebius Vercellenſis & Lucifer Calaritanus, qui legibus Conſtantii exulabant in Oriente: hi etenim ad reſtituendos lapſos Epiſcopos orientales legatione functi ſunt. Eorumdem meminit & Gregorius, dum ait: (Aderant quidem Epiſcopi ex Occidente, qui Orthodoxos omnes ad ſuas partes trahebant) &c. Haecque facta ſunt anno primo Imperii Juliani, Mamertino & Nevitta Coſſ. anno a Chriſto trecenteſimo ſexageſimo ſecundo.

Quo etiam tempore cum Julianus imperaret, homo a Chriſtiana Religione apoſtata, Caeſarium Gregorii germanum habuit inter primos, eumque ob ſpectatiſſimam eruditionem ac mores ſibi conciliare, atque ad impietatis ſuae partes blanditiis adſciſcere conatus eſt, eidemque publici Theſauri cuſtodiam credidit. Cum autem Gregorius haec reſciſſet, atque apoſtatae doloſas artes perſpectas haberet, ſicque illum hiſce illecebris fratri blandiri, ut in impietatis barathrum ſecum abriperet, extemplo graviſſimam eamque objurgatoriam ad Caeſarium dedit Epiſtolam, quae ſic incipit [1]. (Magnopere tua cauſa erubuimus) &c. His acceptis litteris, Caeſarius e veſtigio ſancto fratri morem gerens, abdicat ſe a Magiſtratu, & in patriam parat reditum. Tulit hoc indigniſſime perfidus Imperator, accerſitumque hominem conatus eſt dimovere a propoſito blandimentis primum, doctrina deinde, diſſerens cum eo de fide Chriſtiana. Cumque in his omnibus ſe vinci ab eo conſpiceret, minis aggreditur virum; auctoritateque Imperatoria eum conatur infringere, qui invicto conſtantique animo his omnibus ſuperior, ea confeſſione clariſſimus victor, his auctus tropheis, in patriam rediit, majores divitias aeſtimans theſauro AEgypti improperium Chriſti. De quo haec Gregorius. (Se ad nos recepit [2] exul beatus & victor incruentus, atque ob ignominiam clarior, quam ob priſtinam gloriam nominiſque ſplendorem. Hanc ego victoriam magna illius potentia, & ſublimi purpura, & inſigni diademate, longe ſuperiorem excelſioremque eſſe cenſeo) &c.

Inter haec autem Gregorius, reddito jam parentibus Caeſario,

(1) Ep. 17. (2) In laud. Caeſarii.

ſario, qui illorum curam gereret, ac domeſtica curaret, expetitam diu cogitat ſolitudinem. Pater autem aliis adhuc vinculis eum conatur retinere, utque ſuo lateri aſſideret, creat Presbyterum, invitum licet. Quam autem moleſto animo Gregorius id tulerit, declarat his verſibus.

(Hoc animo eram, cum turba me ingens excipit.
Nam me pater quamvis noſſet plane meam
Sententiam (qua cauſa motus neſcio,
Paterni amoris forſan benevolentia:
Potentiae nam junctus eſt vehemens amor)
Ut vinculis me ſpiritus conſtringeret,
Bonique me participem faceret maximi,
Vi permovens ſolio ſecundo collocat.)

Subdit enim ſe ea occaſione fugiſſe in ſolitudinem: quod tamen non continuo licuit, ut conſtaret ex his, quae dicemus inferius (*a*). Eodem plane tempore Baſilius, & ipſe invitus ordinatus

(a) *Quaſi vero poſt Presbyteratum ſemel dumtaxat ad Baſilium ſe receperit Gregorius: certe, quod ſtatim fugerit, dicere cogit auctoritas ipſius Gregorii: ſic enim queritur de vi ſibi facta:*

Quae mihi tyrannis tam gravis menti fuit
(Hanc rem vocare; non enim poſſum ſecus:
Ignoſcat autem ſancta mens quaeſo id mihi)
Ut mox ſodales deſerens, patriam & patrem,
Ceu ſaevo aſili ſpiculo puncti boves,
In Pontum abirem, pellerem ut curas graves
Luctuſque, amici melleo amplexu fruens,
Degebat iſtic maximo qui cum Deo.

Graece ἀθρόως, ſtatim, raptim: *& hanc ipſam fugae praecipitationem graphice explicat ſimilitudo bovum, oeſtro actorum. Quare nihil hic dubitandum de ſeceſſu. Ad hunc autem applicat Nicetas exordium Orationis* 41. in Paſcha & ſuam tarditatem; *ubi primum indicans haud levia idcirco contra ſe murmura extitiſſe.* Dicamus, *inquit*, his etiam qui nos oderunt, nedum his qui propter caritatem & benevolentiam aliquid fecerunt vel paſſi ſunt: reſurrectioni omnia condonemus: veniam alii aliis demus, tum ego qui laudabilem vim perpeſſus ſum, tum vos qui laudabilem vim attuliſtis, ſi quid eſt quod mihi tarditatis cauſa ſuccenſeatis . . . Myſterium unxit me, myſterio pauliſper ceſſi, ut meipſum inſpicerem; cum myſterio etiam ſimul introeo, praeclarum timiditatis imbecillitatiſque meae adjutorem diem hunc mihi aſciſcens. *Ad quae verba Nicetas notat, quod Sanctus* ſaepenumero myſterii nomen feſto tribuere ſolet; *velut ſi dicat*, In die feſto Sacerdos factus ſum (fortaſſe Natalis Chriſti) & in die feſto ſeceſſi (Luminum fortaſſis) & in feſto die redii, Paſchatis ſcilicet. *Habuit deinde prolixam orationem, quae eſt in ordine prima, diciturque* Apologeticus, in quo cauſas reddit, quare in Pontum fugerit, poſtea quam Presbyter creatus fuiſſet, ac rurſum Nazianzum redierit: *ita autem finit*. Quid longiori oratione opus eſt? Habetis nos, ô paſtores & compaſtores: habes, ô grex ſancte, ac Chriſto Principe paſtorum digne: habes, o pater, ad omnia victum, magiſque ad Chriſti leges quam externas tuae poteſtati ſubjectum: obedientiam habes, benedictionem redde.

natus eſt Presbyter: ad quem Gregorius epiſtolam [1] ſcribens haec ait. [At tu quoque captus es, quemadmodum nos quoque, qui haec ſcribimus, quandoquidem in Presbyterorum ordinem inviti adſcripti ſumus]. Et in fine: [Quoniam autem factum eſt, ferendum mihi videtur, & praeſertim propter hanc tempeſtatem, multas nobis haereticorum linguas invehentem. Nec eorum, qui fidem nobis habuerunt, ſpes fallenda, nec ſuperior vita noſtra dedecoranda]. Haec Gregorius ad Baſilium. Itaque in hunc modum Presbyter ordinatus, in ea Sacerdotali functione talem ſe exhibuit, ut nihil ſibi eſſet antiquius, quam ſacroſanctum ſacrificium puro corde ac ſincera mente Deo offerre. Unde in carmine de rebus ſuis haec ipſe:

(Nec prius aggredior manibus tranſmittere ſacrum
Spirituale Deo, lacrymis quam noxa ſoluta eſt:
Non etenim impuro tutum eſt contingere purum,
Non mage quam lippos oculos obvertere ſoli.)

Iisdem autem Juliani temporibus; mortuo Epiſcopo Caeſarienſi Metropolitano provinciae Cappadociae, Euſebius nobilis civis, adhuc catechumenus, creatur Epiſcopus. Is autem, licet morum honeſtate clarus & pietate inſignis, tamen quorumdam pravorum hominum ſtudio, Baſilii gloriae invidentium, graves adverſus eum exercuit ſimultates, cujus rei cauſa optimorum quorumque ac praecipue monachorum in ſe odium concitavit: reſque adeo in immenſum crevit, ut ſe abrumpere ab Epiſcopi communione (*a*) ſtatuerent. Cum Baſilius, pacis filius, non quaerens quae ſua ſunt, ut his mederetur, mox ſe clam ab his abſtrahens, receſſit in Ponticam ſolitudinem. Indigne tulit Gregorius ejuſmodi Euſebii ſtudia in Baſilium, & licet ab eo obſequiis ac blanditiis multis ad amicitiam invitaretur, contempſit, atque ad eum reſcribens, haec libere locutus eſt: (Tu vero, dum eo contempto, nos honore proſequeris, perinde mihi facere videris, ut ſi quis unius viri caput altera manu demulceat, altera malam feriat; aut etiam convulſis fundamentis domus, parietes pingat, & externas partes exornet) (*b*). Hanc

(1) Epiſt. 11. de vita ſua.

(*a*) *Ita plenius Nazianzenus de laudibus Baſilii ſatius ducens ſimultatis cauſas & modum ſilentio diſſimulare: humani tamen aliquid paſſum Euſebium indicat, puta ex eo quod major eſſet Baſilii quam ſua in dicendo auctoritas, quippe hominis in rebus ſpiritualibus exercitatiſſimi, quarum ipſe adhuc rudis erat.*

(*b*) *Eſt ea Epiſtola 20. in ordine in qua*

Gregorii libertatem Euſebius cum indigne tuliſſet, rurſus Gregorius ad eum ſcripſit epiſtolam (*a*), ac majori fiducia admonuit.

Cum autem iisdem ex (*b*) cauſis Baſilius eremum petiiſſet, Gregorius licet animo praeceſſiſſet, corpore tamen adhuc ad modicum ſpatium temporis retentus eſt. Matris enim aegritudo in cauſa fuit, quo minus tam cito ad Baſilium convolarit. Cum autem a Baſilio vocaretur, haec ad ipſum poſt multa reſcripſit. [Aſſidemus Dominae matri, gravi jam pridem morbo laboranti. Quod niſi eam ancipiti vitae ſtatu deſerturi ſimus, tua praeſentia, mihi crede, non carebimus, tantum tuis precibus partim illius valetudini, partim itineri noſtro ſuccurre]. Haec Gregorius ad Baſilium. Convaluit ſancta mater inſperato ab ea qua detinebatur aegritudine, idque filii pientiſſimi meritis, ut quoddam viſum illi divinitus oſtenſum docuit. Rem geſtam ſic narrat Gregorius, ac primum de morbo. [Hanc morbus invadit, forte alioqui feminam ac generoſam; atque omni vitae tempore commoda valetudine uſam. In multis autem doloribus nihil eam perinde diſcruciabat atque inedia, qua multos jam dies periculoſe affligtabatur, & hujus mali remedium nullum inveniebat.]

[Quomodo autem eam Deus aluit? Viſum eſt ipſi me, quem cariſſimum habebat [neque enim quemquam alium noſtrum, ne in ſomnis quidem, praeferebat] noctu repente ſupervenientem cum caniſtro candidiſſimiſque panibus, pro more meo (*c*) benedi-

qua dum Nazianzenus Baſilium landat, velut Sacerdotem, quem & vita, & ſermone, & canicie, omnium quos noverat, praeſtantiſſimum eſſe cognoſceret, *quis ceedat illum tunc, id eſt anno* 363. *nondum fuiſſe quadragenaeium? & non potius, uti nos. dicimus, ſexagenaeio majorem?*

(*a*) *Indicatur Ep.* 169. *qua aſſerit ſe* non contumelioſe potius atque inſolenter (*ſicut Euſebius querebatur*) quam ſpiritualiter ac philoſophice, atque ut conſentaneum erat ſcripſiſſe. *Sed tantum abeſt ut in hac majori fiducia eum admoneat, ut etiam* quaſi famulus ad plagas paratus *nihil repugnare ſe dicat; ſperet tamen ab ejus benignitate aliquid amicae libeetatis ſibi concedendum: quae viro magnanimo geatioe eſſe debet quam inimicorum blanditiet. Sequenti autem Ep.* 170. *etiam humilius agit. fateturque ſe aliquantum liberius confidentiuſque locutum, ut conceptum animo moerorem leniret, ſtatim tamen ſuccubuiſſe, ſeque ecgulae ſubjeciſſe affiemat, idque vel ipſius tempoeis cauſa facere debuiſſe (motus a Valente ſuſcitatos innuens) & auxilium ſuum qualecumque offeeendo, ad eum ſe venturum dicit.*

(*b*) *Baſilius, Ep.* 141. *Caeſareenſibus inſceipta, fatetur fugiſſe ſe, & fugiendi potiſſimam cauſſam fuiſſe, quod ſubito velusi percuſſus ictu, puta inopinata ſui Epiſcopi abalienatione, animum non habuerit in poteſtate, ut ſolent repentino ſeagere conſternati.* Nunc autem, *inquit*, quoniam per gratiam Dei noſtri facti ſumus compotes, organum profundum puteumque benedictum adepti Gregorium, os illud Chriſti dico; parumper hanc morulam indulgete. *Hae igitur fuerint teetiae vices, quibus aliquantum temporis ſimul illi vixeeint in ſolitudine Pontica.*

(*c*) *Ergo jam* Presbyter *erat filius, & patris vicem in eccleſiaſticis oribus miniſte-*
riis

nedictis atque ſignatis, eam aluiſſe, ſicque convaluiſſe, vireſque collegiſſe: ac nocturnae viſioni reſpondet veritas. Ab eo enim tempore ad ſe rediit, ſpemque meliorem concepit, quemadmodum perſpicuo ac dilucido argumento declaratum eſt. Hanc cum poſtero die, ad eam matutino ingreſſus, primum ſolito hilariorem vidiſſem, deinde haec conſueta, ut ſe noctu habuiſſet, & num qua re opus haberet, percunctatus eſſem; tunc reſpondit illa incunctanter & tranquillo vultu: Nate, nutriviſti, & poſtea interrogas, ecquid valeo: Simulque nutu mihi ancillæ ſignificabant, ne contradicerem, ſed prompte reſponſum hoc acciperem, ne patefacta rei veritate, moerore frangeretur]. Haec Gregorius aſſiſtens matri, qui & alias patri etiam periculoſiſsimo morbo laboranti praeſto fuit: eumque precibus incolumitati reſtituit, miraculoque tributum eſt, ut quo die moriturus putabatur, erat is dies in eccleſia celebris, eodem validus conſurgens, ſynaxim publicam cum populo celebrarit (*a*).

C A P U T V.

Vita in eremo cum S. Baſilio peracta. Inſtitutum vivendi horum & aliorum arctum.

HIS ſolutus nexibus, quam primum ſeceſſit in Pontum ad Baſilium. Sed antequam rem ulterius proſequamur, quid de profectione Gregorii in ſolitudinem alii ſcripſerint, perpendamus. At primum quod ſcribit Ruffinus, Gregorium, Baſilium [1] abſtractum e Cathedra profitentis, ſecum duxiſſe in monaſterium; id quidem a veritate eſſe alienum, litterae Baſilii vocantis Gregorium in ſolitudinem, & aliae Gregorii ad eum redditae, ſeque excuſantis declarant. Si autem poſt Baſilium Gre-

riis, quando hic morbus matrem invaſit. Recte igitur ad hoc tempus poſterioris in Pontum invitationis refertur haec epiſtola 4. *cum ſequens* 5. *nullam materni morbi faciens mentionem, ad priorem ante Sacerdotium videatur potius referenda. Hermant priorem ſcriptam putat ad Baſilium, cum is jam eſſet Epiſcopus, & amicum non in Pontum, ſed Caeſaream invitaret: ſed cum ſemel tantum aegrotaſſe S. Nonnam admittat, idque factum conſtet paulo poſt morbum mariti, nulla apparet cauſa differendi uſque ad ultimum ante eorum mortem triennium.*

(*a*) *Fatetur filius Gregorius ſe cum ſua* Maria, *id eſt ſorore* Gorgonia, *& reliquo Clero fudiſſe preces pro patre, in die Paſchae tantum non depoſito; & aegrum, ipſo tempore offerendi ſacrificii, tantum ſubito virium recepiſſe, ut celebrare potuerit, deinde plene convaluiſſe: nihil tamen addit, unde ſciamus ejus potiſſimum precibus impetratam aegro ſanitatem: Miraculo tamen rem attribuit, uti & illud quod* aliquanto poſt in matre contigit, *& jam narratum eſt.*

(1) Lib. 2. cap. 3.

Gregorius ſe contulit in Ponticam ſolitudinem; jam conſtat non ante imperium Juliani id feciſſe, ſiquidem nec Baſilius prius acceſſit, niſi poſt electionem Euſebii Epiſcopi ſui praedeceſſoris, quem Juliani tempore fuiſſe electum ex eodem Gregorio apparet. Ex quibus ſane redarguuntur hi, inter quos videtur Gregorius Presbyter, qui putarunt Conſtantii temporibus Gregorium Ponticam Eremum incoluiſſe cum Baſilio (a).

Abdicat ſe Gregorius non tantum a ſecularibus negotiis omnibus, quibus jam olim nuntium remiſerat; ſed a ſecularibus litteris, tot ſudoribus Athenis partis, ſeque totum ſacris voluminibus dedit, iis quae aliquando praeguſtarat in ea ſolitudine pleniſſime fruiturus. De his ipſe [1]. (Omnia, inquit, ei, qui me in ſortem accepit atque ſervavit, dono dedi, opes, famam, nominiſque ſplendorem, bonam valetudinem, litteras ipſas; ex quibus dumtaxat hoc commodi tuli, ut eas aſpernarer, & aliquid haberem, cui Chriſtum anteferrem. At ſuavia mihi extiterunt oracula Dei, non ſecus ac favi mellis, & ſapientiae addixi vocem meam, aliaque etiam adjunxi: nempe irae moderari, linguam refraenare, oculum coercere, ventrem regere, gloriamque animi manentem calcare. Inſipienter hoc, ſed tamen dicam. His rebus nequaquam inferior fui, quam quivis e vulgo) &c. Rurſum de divinis litteris haec ibidem. (Ego in divinis oraculis evolvendis mentis puritatem collegi; ex ſacris nimirum litteris ſpiritum exprimens, quarum lectio haec mihi praeſtitit, ut amaram profanorum librorum [qui ante fucata & nonniſi fictis coloribus inducta pulchritudine animum meum demulcebant] ſalſuginem expuerem]. Haec ipſe.

Licet eamdem Ponticam ſolitudinem Gregorius ac Baſilius ſimul incolerent, degebant tamen ſinguli in ſingulis cellulis ſeparatis, ita tamen inter ſe diſtantes, ut non incommoda ſaepius conveniendi daretur facultas. Id etenim ex Gregorii Epiſtola, quam tunc in eremo agens ad Amphilochium in eadem ſolitudine philoſophantem ſcripſit, facile poteſt intelligi. Nam excepturus aliquando Baſilium, olera ad ſe mitti rogat, aitque [2]: (Ne graveris itaque ad nos olera mittere plurima & pulcher-

(a) *Imo probandus: ſed diſtinguendus etiam primus eremi incolatus, qui electionem Euſebii & Baſilii ordinationem praeceſſit, a ſecundo, qui eum ſecutus eſt: & poſt priorem, utpote potiorem ac diuturniorem, ſcriptae videntur jocoſae inter utrumque epiſtolae, aliaque infra attingenda de auſteritate vitae ibi a Sanctis auctae: quae Baronius ad hoc caput contulit.*

(1) Orat. 1.

(2) Epiſt. 12.

cherrima, aut quantum certe potueris, nam exigua quoque pauperibus magna ſunt: quandoquidem magnum etiam Baſilium coena excipimus, quem cave, ne quemadmodum ſaturum philoſophantem expertus es, etiam indignabundum experiaris]. Haec joco Gregorius. Qualis autem fuerit ejus habitatio atque victus, ex his etiam aſſequimur, quae idem ad Baſilium, poſtquam inde receſſerant, ludens ſcribit his verbis: [1] (Quoniam quae jocando ad te ſcripſimus aequo animo fers, ea quoque quae deinceps ſequuntur adjiciemus, ex Homero autem initium ducetur; Hunc age, progrediens internum concine quaeſo ornatum; tugurium vel tecto, vel januis carens, focum ignis & fumi expertem, parietes igne exiccatos, ne luti guttis impetamur. Hic vivimus Tantali ſimiles eademque poena mulctati, nimirum in aquis ſitientes, miſerandas illas epulas & jejunas, ad quas e Cappadocia, non tamquam ad lotophagorum paupertatem, ſed veluti ad Alcinoi menſam, nos novi & aerumnoſi naufragi vocati ſumus. Memini enim panes illos & juſcula, ſic enim nominabantur, ſemperque meminero, dentibus circa fragmenta collabeſcentibus, ac poſtea erectis, velut e coeno retractis: quae tu ſublimius, magis tragice amplificabis, propriis calamitatibus videlicet orationis magnitudinem tibi ſuppeditantibus. Quibus niſi magna illa, & pauperum vere ſtudioſa mater tua, nos quam celerrime liberaſſet, nobiſque tempeſtate jactatis velut portus extitiſſet; jam pridem apud ſuperos eſſe deſiiſſemus, fidei Ponticae nomine non majorem laudem conſequentes, quam miſerationem moventes).

Haec licet joco Gregorius, ſeria tamen veraque deſcribit [2]. Quanta etenim vitae auſteritate cum ipſe, tum ceteri monachorum eamdem ſolitudinem incolentium vixerint, ex his, quae de ſibi ſubjectis monachis ad Hellenium ſcribit, ſatis apparet, cum ait. (Ipſi enim partim in antris ſolitariiſque, & ad terram ſtratis rudibuſque cubilibus delectantur: a domibus abhorrent, cognatamque coeleſtis ſapientiae quietem amplectuntur, partim ferreis compedibus ſeſe excruciant, ut vitium una cum corpore conficiant: alii rurſum ferarum ritu parvis anguſtiſque domibus incluſi, ne mortalis quidem cujuſpiam vultum aſpiciunt; ac ſaepe etiam totos viginti dies totidemque noctes a cibo abſtinent, dimidiaque ex parte Chriſti jejunium imitantur, utque non nihil ipſe glorioſi praedicem, quidam illorum, mei gregis ovis

(1) Epiſt. 17. (2) Carm. 47.

ovis erat, hinc parvo quodam oppido egreſſus. Sunt inſuper qui garrulam linguam quaſi vinculis quibuſdam aſtringunt, labiaque ſilentio comprimunt, ſummaeque illi Menti laudis ſacrificium ſola mente offerunt. Eſt etiam qui annos integros in templo ſtans, puras ad Deum manus expanderit, nec quod vix cuiquam fidem facturum eſt, vel tantillum obdormierit, ſed vivi lapidis inſtar Chriſto defixus ſteterit, ac velut obriguerit. Huic porro exigui cibi reliquias vicinus corvus impertiebat, panemque integrum, ſi duo forte eſſent, afferebat. Quin etiam quo tempore Chriſtus ſalutifero illo ſupplicio perſunctus mortale reliquit, inventus eſt quidam, qui hinc ad divinum montem aſcenderet, ibique & ſermone, & mente, & membris immotus ſtans, ventis nivibuſque jactaretur, nec quamquam alioqui complures pii viri eum circumſtarent, ab eodemque obnixe contenderent, ut aliquam ſui corporis rationem haberet, precibus tamen ullis moveretur; ſed Chriſtum Regem fortiſſime confertis (ut dici ſolet) manibus retineret). [1]

Haec Gregorius ad Hellenium tributorum exequutorem: ad Julianum etiam, eodem ſungentem magiſtratu, eadem ſcribit, ea nimirum occaſione, quod Julianus Apoſtata monachos ſub tributo redegerat; eos etenim rogat, ut cum iiſdem pauperrimis monachis mitius agerent [2]. Alibi etiam de Ponticis monachis agit his verbis: (Plerique ſub ferreis vinculis ingemiſcunt, alii rurſus pro cibo cineres habent, ſub quibus potus lacrymis temperatur; alii hibernis nivibus impetiti, quadraginta dies totidemque noctes, velut arbores quaedam perſtant, corde nempe e terra migrantes, Deumque ſolum in mente habentes; nec deeſt, qui labia ſua vinculis premat, linguaeque fraenum injiciat, qui tamen haudquaquam ad omnia conſtrictam linguam ac fraeno compreſſam habet, ſolis quippe Dei laudibus illam ſolvit, non aliter ac viva cithara a Spiritu ſancto pulſata. Nam quid de his dicam, qui caput ſuum Chriſto conſecrarunt, piique voti cauſa intonſum ſervant? Quid eos denique commemorem, qui oculos claudunt, & aures velut peſſulo quodam obdunt, ne aculeus quiſpiam mortis furtim irrepat? At haec medicamenta carni hoſti meo propino) [3]. Haec Gregorius, qui & haec alibi fuſius: (Carnem meam aetatis flore (*a*) laſcivientem & aeſtuantem

(1) Orat. 9.
(2) Carm. 4.
(3) Carm. 54.

(a) Hanc carnis luctam paſſum ſe fatetur alibi cum jam canus eſſet: itaque aetatis florem hic intelligas oportet, cum reſpectu

tem multis ac crebris laboribus attrivi, ventris ſatietatem vicinamque rabiem ſuſtuli, oculos temperantiae adjumento palpebris infixi, iram abrupi, membra devinxi, riſum deploravi, omnia Chriſto ceſſerunt, priora omnia conciderunt. Terra mihi lectus fuit, aſperrima veſtis membra contexit: pervigilia etiam & lacrymarum imbres adhibui: interdiu labori humeros ſubjunxi: hymnis tota nocte concinendis corpus inſtar ſtatuae defixi: nullam omnino humanam voluptatem nec in animum quidem & cogitationem admittens, atque hoc quodam mihi vitae inſtitutum erat). Haec ipſe (*a*).

De Gregorii atque Baſilii ſtudiis, cum eſſent in Ponto, haec ſcribit Rufinus [1]: (Baſilius Ponti urbes & rura circumiens, deſides gentis illius animos & parum de ſpe futura ſolicitos, ſtimulare verbis & praedicatione ſuccendere, callumque ab illis negligentiae coepit abolere; ſubegitque, abjectis inanium rerum & ſecularium curis, ſuimet notitiam recipere, in unum coire, monaſteria conſtruere, pſalmis & hymnis & orationibus docuit vacare, pauperum curam gerere, eiſque habitacula honeſta & quae ad victum neceſſaria ſunt praebere; Virgines inſtituere, pudicam caſtamque vitam omnibus pene deſiderabilem facere. Ita brevi permutata eſt provinciae facies, ut in arido & ſqualido campo videretur ſeges foecunda & laeta vineta ſuccreviſſe. Gregorius vero bonum ſemen non patiebatur aut ſuper ſpinas jacere, aut inter ſaxa diſpergere: ſed bonam terram cordis ſui jugi cultu & exercitiis deſinentibus excolebat, & multo amplius in ſemetipſo hic, quam ille in ceteris proficiebat. Suſcipere ille quae renuntiantes ſeculo deferebant ad pedes ſuos, & dividere ut quiſque eguiſſet, curam gerebat: iſte nihil habendi & omnia poſſidendi contentus, ſacramento erga ſolas ſapientiae divitias avarus & multum cupidus inhaerebat. Ille coire plures in unum, & ſibi invicem in neceſſariis habere ſolicitudinem docebat: hic ſui exemplo, quod erat abſolutum, cunctis ſermone

pectu ad extremam ſenectutem, in qua iſtud de ſe Sanctus ſcripſit poſt annos 20. octogenario major, anno 382.

(*a*) *His addo quae, ut ſibi ab initio familiaria, narrat in Carm. de rebus ſuis, ubi cum declaraſſet, quam nihili faceret voluptates, divitias &c. quae vulgo ſolent magni fieri, ſic inquit.*

—Mihi cordi
Eſt panis rigidus: mihi grata obſonia praebet
Sal purum; ſimplexque & nullo inſtructa labore
Menſa, dein latices mihi ſobria pocula fundunt.
Hae mihi divitiae, Chriſtuſque ad ſidera mentem
Celſa vehens —

(1) Lib. 2. cap. 9.

Apoſtolico praedicabat [1]: Ego autem volo vos eſſe ſine ſolicitudine. Ille delinquentibus miſericordia condolere, & a delicto revocare: hic per divini eloquii gratiam delinquendi incitamenta praevenire, nec ſinere labi eum, qui difficulter erigeretur eliſus. Ille in fide purus, hic in praedicatione liberior. Ille Deo humilis, hic & omnibus erat. Ille arrogantes contemptu, hic ratione vincebat. Sic in utroque diverſa gratia, unum opus perfectionis explebat).

Haec licet dicat Ruffinus de privatis cujuſque ſtudiis, conſtat tamen Gregorium una cum eo collaboraſſe in conſtituendis regulis monachorum, eumdemque ſe catenis actuoſae vitae pauperibus mancipaſſe. Idem ipſe enim inde aliquando abſtractus, ea ſe perdidiſſe ingemiſcens, haec ait: (*Quis mihi dabit ut* priſtinorum dierum afflictionem, in quibus tecum jucundiſſime vixi, vel menſem unum ferre liceat: quoniam res triſtes, quae ſponte feruntur, coactis deliciis potiores habentur. Quis dabit mihi pſalmodias illas, & vigilias, & ad precandum receſſus, vitamque illam quaſi ſpiritualem & incorporalem? quis Fratrum, qui a te in pietate inſtituuntur & in ſublime eriguntur unanimitatem dabit & concordiam? quis virtutis certamen & acumen, quod praeſcriptis modis & canonibus ſtabiliebamus? quis divinorum oraculorum exercitium, inque illis cum ſpiritus moderamine inventam lucem? Aut, ut minora ac leviora dicam, quis dabit quotidianas illas & manuarias operas? quis lignorum findendorum, comportandorum, ac componendorum laborem & lapicinas? quis conſitiones, & irrigationes plantarum? quis platanum illam auream, Xerxis platano praeſtantiorem, in qua non Rex mollis & enervatus, ſed monachus afflictus & delibitatus? quam ego plantavi; Apollo rigavit, hoc eſt tua excellentia, Deus autem in honorem noſtri provexit). Haec Gregorius. Cum crebris interim ſuorum litteris Baſilius Caeſaream revocaretur, vide quam praetexat excuſationem. (Nunc, inquit, quoniam per gratiam Dei voti noſtri pro viribus facti ſumus compotes, organum benedictum puteumque profundum adepti, *Gregorium*, os illud dico Chriſti; parumper nobis, *obſecro*, parumper hanc morulam indulgete, quam non ad hoc petimus ut urbium ſectemur delicias, ſed ut fruamur *Sanctorum convictu*). Haec Baſilius cum importune accerſeretur a ſuis. Sed & Gregorius crebris patris juſſionibus revocatur poſtea Nazianzum.

Mo-

(1) 1. Cor. 7. 32.

Moritur interim Julianus Imperator, ipſo jam quartum & Saluſtio Promoto Coſſ. anno a Chriſto Domino trecenteſimo ſexageſimo tertio, ſubrogatuſque eſt in ejus locum Jovianus: quando noſter Gregorius duas illas celeberrimas invectivas orationes adverſus ipſum conſcripſit, quaſi nobiliſſimum aeternumque titulum Chriſtianae victoriae de impietate proſtrata. Ubi ea, quae adverſum ſe atque Baſilium patronus impietatis moliebatur, declarat his verbis in fine ſecundae invectivae. (Haec a Baſilio & Gregorio habes, conatuum tuorum adverſariis atque hoſtibus, quemadmodum & ipſe arbitraris, & aliis perſuadebas, minis tuis videlicet nos ornans & concelebrans, acriuſque ad pietatem acuens, quos & vita & doctrina & mutua animorum concordia claros & nobiles jam inde a Graecia cognoſcens, honore Cyclopeo afficiebas, poſtremoſque ad perſecutionem ſervabas; ac fortaſſe, velut triumphale quoddam donum, daemonibus offerre proponebas; ſi te a Perſide redeuntem ſuſcepiſſent, aut etiam barathrum tuum abripere ſperabas, multum opinione falſus; neque enim adoleſcentibus illis ignaviores ſumus, qui in flammis rore perfuſi ſunt, & belluas per fidem vicerunt. Poſtremo tandem (Hanc, inquit, a nobis ſempiternae ignominiae columnam habes, Herculeis columnis illis ſublimiorem atque inſigniorem. Illae enim una dumtaxat loco fixae, iis ſolis qui illuc perrexerunt conſpicuae ſunt: haec autem fieri non poteſt, quin & viva & agitabilis omnibus innoteſcat: quam futurum quoque tempus, mihi crede, ſuſcipiet, te tuaque ſcelera proſcindentem, ceteroſque omnes erudientem & commonentem, ne eadem audacia adverſus Deum efferantur, ne alioqui eadem crimina perpetrantes iiſdem quoque poenis mulctentur). Haec ibi Gregorius, qui orationes illas in eremo cum eſſet, una cum Baſilio elaboravit.

CAPUT VI.

Res Eccleſiaſticae curatae. Euſebius Caeſarienſis & Gregorius Nyſſenus contra Arianos excitati. Obitus fratris & ſororis.

SEquenti autem anno, Juliano & Varroniano Coſſ. defuncto Imperatore Joviano, Valentinianus coepit Imperium, qui Valentem fratrem ſibi collegam aſcivit, eique Orientalis Impe-

rii habenas credidit; qui Arianae perfidiae favens, adverſus Catholicos concitavit turbas. Fuit id in cauſa ut Pater Gregorii vehementius ageret, ut filium ab eremo revocaret: erat enim jam longo ſenio hebetior, & ut ſubeundis laboribus impar eum precibus urgebat, ut pater juſſis, ac denique ut Epiſcopus cogebat imperio. Licet autem diutius ſurdo (ut ajunt) fabulam ingeſſiſſet, flexit tandem, coegit extorſitque ab invito, revocatque filium Nazianzum. Qui reverſus in patriam, habuit egregiam illam orationem, quae inſcribitur Apologeticus: qua cum primum ſui receſſus in ſolitudinem reddit rationem, mox autem pennis quibuſdam ſublevatus, de Sacerdotio curaque Paſtorali ſublimi quodam modo philoſophatur. Dixit tunc etiam praeclaram eam orationem, cujus eſt titulus, In ſancta lumina, qua adverſus Gentilium ritus deoſque invehitur. Rationem ejus rei inde deducimus, cum ſe ex ſolitudine venire (*a*) teſtatur: [Animi voluptatem tenere nequeo, divino fervore rapior propemodum [1] Joannis inſtar, fauſtum nuntium profero, non quidem ut ille Praecurſor, ceterum a ſolitudine veniens). &c.

Cum autem res Catholicae Eccleſiae, in diſcrimine poſitas eſſe videret, Arianis ſibi omnia vindicantibus, favore ac patrocinio Valentis Imperatoris, Gregorius egregium facinus meditatur. Quo enim Provinciae Cappadociae conſultum eſſet, in primis optat, depoſitis ſimultatibus in Euſebii Metropolitani amicitiam inſinuari, quo duce liberius in campum prodeat. Extat his ejuſdem Gregorii ad illum (*b*) epiſtola. Id cum egregie perfeciſſet, Baſilium quoque ſtrenuum commilitonem ex ſolitudinis otio in arenam certaminis educere conatus eſt: eaque primum uſus eſt arte, ut eidem Euſebium conciliaret, ac componendae inter eos pacis ſequeſter accederet; agens in primis apud Euſebium, ut cladi imminenti conſuleret (erat enim Catholicus, fideique Catholicae cupidiſſimus, licet ad pugnam invalidus) atque ut Baſilium validum pugilem e Ponto Caeſaream accerſeret. In-

(*a*) *Jam diximus, ſaepius ad ſolitudinem iviſſe indeque rediiſſe Sanctum; & Apologeticum quidem habitum tempore Paſchali, cum factus primum Sacerdos, eſſet retractus a fuga: hanc vero credimus eſſe habitam ſequenti anno cum Baſilio, qui Caeſarea aufugerat, iterum viſitato reverti[ſſ]et.*

(1) Orat. 39.

(*b*) *Eſt ea 170. haud diu ut apparet poſt praecedentem 169: adeoque nec diu ſcripta poſt liberiorem admonitionem, quae eſt 20. uti jam ſupra dixi: unde apparet, quod licet ſimultates illae coeperint ab anno 363., vix tamen ante annum 366. iiſdem ſe implicuerit Nazianzenus; iiſque ipſius temporis cauſa, quo dividi animos propugnatorum veritatis quia importuniſſimum erat, monuit quidem Euſebium ſed mox ut ſenſit eum epiſtolae libertatem ferre aegrius, ſecundam tertiamque adjecit, qua ſe ei purgaret reuniretque.*

Inter haec etiam egit apud Baſilium litteris, rogans eum, ut Euſebio ſe vocanti morem gereret, aitque [Tempus jam eſt ut prudens conſilium ineamus, tolerantiaeque laude floreamus, noſque ita comparemus, ut nec quiſquam animi magnitudine praeſtantior nobis appareat, nec multi noſtri labores & ſudores temporis puncto collabantur & evaneſcant. Cur haec ſcribam quaeris? Deo cariſſimus Epiſcopus noſter Euſebius (ſic enim nobis deinceps ſentiendum & ſcribendum eſt) animo erga nos eſt admodum amico, & ad ſimultates deponendas propenſo, ac tempore veluti igne ferrum emollitur; litteraſque etiam deprecatrices ad te miſſurus eſt, quemadmodum & ipſe nobis ſignificavit, & multi ipſius animum perſpicue cognitum habentes nobis fidem faciunt. Quem antevertamus quaeſo, vel ad eum venientes; vel, quia rectius eſt, prius ſcribentes, ac deinde ad eum nos conferentes; ne poſtea nos pudeat, ſi victi fuerimus, cum vincere licuerit, praeclare videlicet & philoſophice cedendo, id quod plerique a nobis expoſcunt. Mihi itaque obſequere, ac veni tum ob hanc cauſam, tum propter tempus. Quandoquidem haeretici conjuratis animis Eccleſiam percurſant, partimque jam adſunt ac turbas movent, partim (ut fama jactatur) affuturi ſunt, ac periculum eſt, ne veritatis doctrina convulſa diſtrahatur, niſi primo quoque tempore Bezeleelis ſpiritus excitetur; hoc eſt ſapientis hujuſmodi diſputationum & dogmatum architecti. Quod ſi tibi operae pretium eſſe videtur, ut ego adſim, & haec miniſtrem, tibique me comitem itineris adjungam, nec hoc quidem munus diffugiemus.

Haec ad Baſilium Gregorius; qui quidem neque his contentus ad eum in Pontum accedens; ea functus eſt pacis legatione. Quem cum ad ſe venientem Baſilius inſpexiſſet, mox ceſſit, ſeque illi dedit, atque una ſimul in patriam ſunt reverſi. Haec etenim ipſe his verbis refert. (Nec longa quidem ad hoc oratio comparanda fuit, ut ad nos ſe conferret, nobiſque adjumento eſſet [1], verum ſimulatque me legatione fungentem aſpexit (erat enim utrique noſtrum commune hoc certamen, ut qui fidei defenſores ac patroni deſignati eſſemus) ſtatim legationi ceſſit, ac ſpiritualibus rationibus ſecum optime ſapientiſſimeque diſtinguens, aliud ſimultatis tempus eſſe (ſiquid tamen ejuſmodi affectui indulgendum eſſet) nempe ſecuritatis & tranquillitatis, aliud autem longanimitatis ac patientiae, nempe neceſſitatis

(1) In laud. Baſil.

tatis & periculorum tempus. Hoc, inquam, ſecum reputans, confeſtim e Ponto nobiſcum excedit, atque erga periclitantem veritatem zelo exaeſtuat, ultroque ſuppetias nobis affert, totumque ſe matri eccleſiae tradit), proſequitur pluribus enarrare Baſilii erga Euſebium ſtudia, & Euſebii erga illum paternam caritatem & ſolicitudinem, officiaque inter ſe mutuo collata (a).

Non tantum fuit curae Gregorio Baſilium educere e Pontica ſolitudine ad arenam certaminis, ſed & illius germanum Gregorium Nyſſenum Epiſcopum, adhuc externis litteris velut compedibus quibuſdam detentum, ad ſacras litteras jam intermiſſas revocare. Non enim paſſus eſt nobiliſſimi ingenii hominem apud alienam diutius detineri, & mollem delicatumque militem reddi illecebris eloquentiae. Illum itaque paterne redarguens litteris, ſic alloquitur [1]: (Quid enim tibi accidit, vir ſapientiſſime, quidque te ipſum offendiſti, ut ſacris & dulcibus libris, quos quondam populo lectitabas) non enim hoc audiens erubeſcas (calcatis atque projectis, aut etiam ad fumum ſuſpenſis; non ſecus ac navium gubernaculis & ligonibus hyemis tempore, falſos & amarulentos in manu ſumpſeris, ac Rhetor vocari quam Chriſtianus malueris? Nos contra hoc potius quam illud: eoque nomine maximam Deo habeo gratiam. Nequaquam quaeſo, o quondam praeſtantiſſime, ne diutius animo ita effuſus ſis. Verum ſerius quidem, ſed tamen aliquando reſipiſce, atque ad te redi: teque piis hominibus ac fide praeditis purga, & Deo atque altaribus & myſteriis, a quibus procul te amoviſti reſtitue). His quidem monitis non tantum eum ſacris litteris prorſus extorrem revocavit, ſed & ad cienda praelia adverſus claſſes Arianorum aliorumque haereticorum reddidit fortiſſimum militem, immo & ceterorum anteſignanum, ut qui ob debellatos fidei hoſtes exilium ſibi velut triumphum glorioſae victoriae compararit, qui & poſtea ex Synodo Antiochena, ad erigendas collapſas Orientales Eccleſias legatione functus eſt, alioſque innumeros labores exantlavit: quorum omnium qui auctorem dixerit noſtrum Gregorium, haud quaquam a veritatis ſcopo aberravit.

Etſi ſemel Gregorius atque Baſilius e Pontica eremo in civitates abſtracti ſunt, numquam tamen obliviſci vel penitus in-

(a) *Omittimus hoc loco paragraphum, quo Baronius Rufinum arguit de 13. annis Ponticae Baſilii ac Gregorii ſolitudini adſcriptis, qui nec ſeptem quidem eſſe potuerint: quia de his jam ante actum abunde eſt.*

(1) Ep. 43.

intermittere valuerunt dulciſſimae vitae illius conſuetudinem, Unde Gregorius Arianzum rus paternum; poſitum in Tiberina regione, locum natalitium, ſaepe ſe contulit; & Baſilius ſuos inviſurus monachos [1], redibat ad relictas Ponti ſolitudines [2]. Ad haec ſpectant jocoſae illae epiſtolae Gregorii & Baſilii ultro citroque datae. Nimirum alterius laudantis ſuam Tiberinam, ac poſthabentis Ponti ſilvas, alterius vero invehentis in Tiberinam, & celebrantis Ponticas ſolitudines, & ad eas Gregorium iterum invitantis. Verum neutri ipſorum longas moras illis ducere licuit, ob urgentia negotia eccleſiaſtica.

Quantum autem Gregorius noſter, aſſidens Patri Epiſcopo, Eccleſiae Nazianzenae profuerit, vix quis mente facile aſſequetur: e tenui licet agello, uberrimos tamen fructus retulit. Ipſe enim ad Hellenium ſcribens. Haec ait: (Me Chriſtus excellentiſſimo omnium honore cumulavit, utpote cujus munere hoc mihi conceſſum eſt, ut multorum hominum pietatis laude florentium corona gloriari queam. Et certe vera eſt illa vetus pollicitatio, quae ſe facturum promittit, ut gratiam ſuam parvis & abjectis hominibus impertiretur: quamobrem non immerito exigua haec mea civitas Bethlehem eſt nuncupata. Ut enim antiquior illa ex Chriſti nativitate nominis celebritatem accepit, ſic noſtra ab amicis Dei maximum ſplendorem eſt conſecuta). &c. Enumerat egregios quoſdam pietate & ſanctitate viros, qui videbantur eſſe columnae, illorumque praeclaras virtutes recenſet, quae omnia, ne nimia prolixitate feramur, omittimus recenſere. Addit autem & de ejuſdem Eccleſiae ſacris Virginibus loqui his verbis: (Mihi quidem etſi parvus eſt hujuſmodi mulierum numerus, coeleſtibus tamen pulcherrimiſque Chriſti ſideribus adeo geſtio & exulto, ut pro paucis his meis de virtutis praeſtantia cum multo pluribus in contentionem venire non dubitem.) &c. Recenſet & ceterorum examina coelibum, ſeque adeo tenui eſſe divitem agello, ut non ſit qui aliorum invideret latifundiis.

Acceſſit adhaec etiam quod, ut ſapiens architectus totus fuerit ut templa ſpiritualia non manufacta Deo erigeret atque dicaret; non tamen neglexit una cum Patre Baſilicam ampliſſimam excitare: quae quam anguſta, quam venuſta, ac fabrefacta fuerit, ipſe deſcribit his verbis [3]. (Opus ſane memorandum & praedican-

(1) Greg. Ep. 6. 7. 8. & 9.
(2). Baſil. 22. 23. 24. & 25.
(3). In fun. patris.

dicandum, magnitudine permulta, pulchritudine cuncta propemodum antecellens: nam & octo aequilateris rectis in ſe occurrit, & columnarum & porticuum elegantia per laquearium in altum aſſurgit, & quidem ejuſmodi picturis eſt ornatum, ut non niſi ipſi naturae concedat. Quid? quod ſuperno coeli ſplendore colluſtratur, uberrimiſque lucis fontibus ſpectantium oculis irradiat, ut vere lucis domicilium. Ad haec eximiae materiae ſpatiis aequiangulis utrimque poſitis, plurimum loci intermedii complectentibus, cingitur; ac praeterea portarum & atriorum venuſtate praelucet, accedenteſque procul invitat. Nondum de externo ornatu loquor, de lapidum quadratorum atque in trinam conjunctionem aptatorum pulchritudine & magnitudine, quorum alii marmorei ſunt, nimirum qui in baſibus & capitibus quibus anguli intercipiuntur, collocati ſunt: alii patrii quidem illi, non tamen exoticis inferiores. Nondum de variis & multiplicibus zonis, a fundamentis ad verticem uſque protenſis atque intextis, cujus ea eſt altitudo, ut ſpectatorem laedat, viſum circumſcribens. Quonam modo tanti temporis opificium, tantique laboris & induſtriae, tam brevi ſermone ob oculos ponerem?) &c. [1] Scribens idem ad Olympium, ſe illud extruxiſſe, omneque ad illud exornandum ſtudium adhibuiſſe, profitetur.

His autem Valentis Imperatoris temporibus Caeſarius frater, qui Quaeſturae ampliſſimo munere fungebatur, ex hac vita migravit. De cujus obitu nequaquam aſſentimur Gregorio Preſbytero, dum illius mortem refert ad tempora Conſtantii Imperatoris (*a*). Qui enim fieri poteſt, ut ille tunc obierit, quem ſcimus in Juliani aula militaſſe, illique ob Chriſtianam Religionem adverſatum eſſe, & Confeſſorem egregium in patriam rediiſſe? Conſtat etiam Valentiniano [2] atque Valenti fuiſſe acceptiſſimum, adeo quod ſcribit Gregorius, ut contentio fuerit inter eos quis ſibi Caeſarium vindicaret, ac muneribus devinciret. Contigiſſe videtur ille Caeſarii obitus anno ſexto (*b*) Valen-

(1) Ep. 49.

(*a*) *Nihil tale invenimus apud hunc ſcriptorem: ſolum igitur id eum velle ex eo infert Baronius, quod occaſione oblata agendi de Ordinatione Gregorii invitis in Presbyterum, addat fugiſſe, ne Epiſcopus fieret, & mortuo Caeſario coactum reverti: deinde incipiens narrare ejuſdem Gregorii contra Arianos labores deflectat ſermonem ad Julianum, non temporis ordinem, ſed rerum ſequens. In hoc ipſo tamen nonnihil eſſe confuſionis libenter conceſſero, eo quod plures ſe ipſum Sancti conſentiant in unum, quod etiam Baronius fecit; & fuga Epiſcopatus declinandi ergo ſuſcepta, Presbyterali ordinatione poſterior fuit novem annis.*

(2) In laud. Caeſarii.

(*b*) *Chriſti* 369., *uti pluribus deductum* 25. *Januarii quando colitur.*

lentis Imperatoris. Nam anno quinto, Valentiniano & Valente ſecundum Coſſ. contigit famoſiſſimus ille terraemotus, quo, ut ſcribit Hieronymus in Chronico eo anno, Nicaea in Bithynia funditus everſa eſt, ubi illic degens Caeſarius, ope divina [ut Gregorius auctor eſt] tantae cladi ſuperfuit, quando ad eum ſcribens Epiſtolam, ad mundi contemptum hortatur. Non poſt multum tempus ab ea clade idem morbo arreptus, ex humanis exceſſit. Laudavit eum luculenta oratione Gregorius coram patre & matre, qua etiam teſtatur, Caeſarium fratrem ſaepe ſibi oſtenſum per viſum, clarum, inſignem, & ſublimem.

Ejus obitu Gregorius in varias moleſtias incidens, cum eccleſiaſtica tantum negotia hactenus curaſſet, cogitur etiam domeſticorum, immo & publicorum curam ſubire. Nam cum ille eo tempore Quaeſturae munere fungeretur, bonaque ſua in pauperes eroganda reliquiſſet; mox curiales illi harpagones, Briarei manus habentes, ea expilantes in proprios uſus converterunt, ut Gregorius de his queritur ſcribens ad Sophronium Praefectum & in Carm. de vita ſua his verſibus.

(Nimirum Quaeſtor erat, Quaeſturae tempore
Moritur, ſimul ſe turba commovet canum
Contra facultates relictas mortui.
Famuli, hoſpites, amici, lacerant omnia (*a*):
Nam quis, ruente quercu, ligna non colligit?

Haud multum ſpatium temporis interceſſit, & Gorgonia (*b*) ſoror ex hac vita deceſſit; cujus egregia facta laudatiſſimamque vitam idem pro concione laudavit.

(*a*) *Sane cum in carmine de rebus ſuis eas explicaſſet, quae, uti ad cap. 4. indicavimus ipſum fatigabant, curas temporales, ex paternae familiae regimine ſibi incumbentes, ab eo tempore quo apud ipſos manere conſenſerat pietatis intuitu; ſic progreditur.*

Verum haec perferri poſſint: aſt acrius illa
Laedunt, & gravius faciunt in pectore vulnus.
Quae tulimus (fratrem poſtquam mors dira peremit
Caeſarium) atque etiam poſt haec jam ferre timemus,

Illum itaque lugens, exponit quanta amittendae ſalutis aeternae ſolicitudine angeretur, privatus internae cum Deo converſationis ſuavitate, & praeterita, in quibus aliquando deprehenſus exhorruit, vitae diſcrimina rememorans, nihil hujuſmodi unquam ſe paſſum profitetur ac patiebatur tunc.

(*b*) *Quod Gorgonia non obierit ante Caeſarium, ſuadetur ex eo, quod illa occaſione non laudetur parentum generoſus animus in ejus morte ferenda. At ne in laudatione quidem Gorgoniae, inquies, meminit Caeſarii. Ita eſt: ſed hanc laudationem fuiſſe ut fuit illa, coram parentibus habitam, qua occaſione meminiſſe prioris funeris oportuiſſet, unde probas? Non ibi maritum defun-*

CAPUT VII.

Epiſcopatus S. Baſilii promotus, fama ejusdem propugnata. Exules confortati.

MOritur etiam his temporibus Euſebius Epiſcopus Caeſareae, in cujus locum Baſilius ſuffectus eſt. Fuit is annus ſextus Valentiniani, & Valentis Imperatorum, Valentiniano puero, & Aurelio Victore Coſſ. a Chriſto autem, ut recentiores ſupputant, annus trecenteſimus ſexageſimus nonus. Ne autem haec temere abſque ratione poſita videantur [cum praeſertim auctor ille, quiſquis fuerit, vitae Baſilii, qui Amphilochi nomine fertur, dicat Baſilium vita functum anno quinto Valentis Imperatoris] certam de his omnibus reddimus rationem. Hieronymus, qui iisdem temporibus vixit, mortuum eſſe Baſilium dicit Gratiano Imperatore. Gregorius Nyſſenus ejus germanus in ea Epiſtola, quam ſcripſit ad Olympium de vita Macrinae ſororis, illum ex humanis ſublatum dicit ante novem menſes a Concilio illo (*a*) Antiocheno, quod poſt Valentis obitum eſt celebratum: cumque tam ipſe, quam etiam Gregorius noſter affirmet ſediſſe Baſilium annos octo, immo & nonum inchoaſſe, itidem Gregorius Nyſſenus ſcribat; neceſſe erit affirmare, hoc anno Euſe-

defunctae, non filias appellat. Quid igitur? Non videtur illa omnino publice recitata fuiſſe: ſed priori, poſt recitationem ad uſum poſterorum deſcriptae, ſubjuncta, veluti ſupplementum ejus vel additamentum: ſic enim defunctam alloquens in epilogo ait: Suſcipe etiam orationem hanc meam, quam Caeſario ante quam tibi, tibi vero poſt ipſum reddimus: *plane ac ſi communis utriuſque haec eſſet laudatio. Caeſario quidem prius recitata, poſtea autem ſubjunctis Gorgoniae laudibus eatenus ſuppleta, quatenus illius dumtaxat virtutes erant ſpeciatim addendae: nam parentum encomia prius expoſita, debebant cenſeri Gorgoniae cum Caeſario communia. Quod autem Gorgonia mortua fuerit ante parentes, apparet ex Oratione quam habuit in funere patris, quam finiens matris praeſentis conſtantiam laudas* in jactura liberorum, *plures indicans quam filium unum: quod mortua fuerit haud diu poſt Caeſarium, probat Carmen Sancti de rebus ſuis, quod ante annum 371. oſtendimus eſſe compoſitum, ubi parentum meminit,* quibus tunc ſolus erat e liberis ſuper.

(*a*) Concilium Antiochenum *menſe Septembri celebratum, ex iſto loco colligitur: cum Baſilius obierit 1. Januarii. Aliunde ſcitur ipſam eſſe habitum poſt mortem Valentis, qui perierat 9. Auguſti anno 378. Non potuit autem haberi menſe mox ſequenti, ergo habitum eſt anno ſequenti 379. Supra iſtos tamen, quos in Occidente notos dixi Chorepiſcopos ſeu Decanos Chriſtianitatis, eximium hoc habuere Chorepiſcopi Orientales; quod Lectores, Exorciſtas, Subdiaconos ordinare iis liceret, ſicut apud nos Abbatibus quibusdam licet: fortaſſis autem ut hi, ſic & iſti in ſuis functionibus uſurpabant Epiſcopalia quaedam. Sed de his ſatis: cum amplius aliquid oblatum Gregorio fuiſſe dixerimus, quam Chorepiſcopis in una dioeceſi pluribus competere oſtendimus; cum in ſingulis non niſi unicus Archipresbyter ſit.*

Euſebium diem obiiſſe, Baſilium vero ſequenti anno eſſe ſubrogatum Epiſcopum. Haec idcirco de Baſilii Sedis tempore diſſeruiſſe oportuit; quo res geſtae Gregorii, de quo agimus, magis certae, exploratae que ratione temporum habeantur.

Euſebio vita functo, timens ſibi Baſilius ne in Epiſcopum eligeretur, inde recedens (*a*) fuga ſibi conſuluit; timens autem, ne eccleſia viduata paſtore haereticorum pateret incurſui, litteris rogavit Gregorium, ut Caeſaream ſe conferret. At ille, ne detrahendi aemulis anſam praeberet, ea excurſione abſtinuit, ut redditae ad eum litterae (*b*) ſignificant [1]. Abſens tamen nomine Patris ſui (*c*) Epiſcopi litteris agit apud Caeſareenſes, ut Baſilium eligerent Epiſcopum, qui ceteris omnibus ſanctitate & eruditione facile anteibat. At ne exciperent de Baſilii male affecta valetudine, haec addidit, [2] (quod ſi quiſquam illius infirmitatem ſententiae ſuae praetexit, non athletam creatis, ſed Doctorem). Haec & alia Gregorius, laborans pro electione Baſilii. Quid tandem? Vicerunt Gregorii ſtudia. Tum & ejus pater Gregorius, ejuſdem provinciae Epiſcopus, quo Baſilii electioni ſuffragaretur, mira alacritate Caeſaream proficiſcitur, homo alioqui fractus ſenio, & aegritudine debilitatus; qui tamen nequaquam veritus labores itineris, vehi-

(*a*) *Neſcio unde hanc fugam acceperit Baronius, cujus nullum aſpiam apparet veſtigium: e contra apparet ex mox citanda epiſtola ipſum Caeſareae manſiſſe, & quidem priuſquam mors Euſebii vulgaretur, vocaſſe ad ſe Gregorium, eo forte conſilio, ut Epiſcopum eligendum curaret: quod ne ille praeſentiam excuſaret; vocationis cauſam praetexuit morbum ſuum:* AEgrotare, *inquit Gregorius*, te finxiſti, atque extremum ſpiritum ducere, cupereque nos ultimum alloqui. *Quod verum eſſe exiſtimans Gregorius: ad iter ſe accinxit.*

(*b*) *Significant illae, quod non venerit, volens cautum aeſtimationi ipſius Baſilii, ne de eo ſcilicet aemuli ſuſpicarentur, quo amicum accerſiviſſet eo fine ut per ipſum eveheretur ad Epiſcopatum: quod Baſilium non vidiſſe miratur Gregorius, in eoque prudentiam ejus requirit.* Poſteaquam, *inquit*, Epiſcopos ad urbem concurrere intellexi, profectionis conſilium abrupi, demirarique coepi quod non perſpexiſſes, quid honeſtum eſſet, nec improborum linguis occurrendum putaſſes, quae ſimpliciſſimo cuique celerrime calumniam ſtruunt. *Concludit porro: non modo ſuam negans praeſentiam ſed ipſimet etiam fugam ab ejuſmodi tumultibus ſuadens.*

(1) Ep. 21.

(*c*) *Gregorius pater ex more vocatus a Clero Caeſareenſi, ut veniret ad conſultationem de eligendo Epiſcopo, cum ſenectute, ac morbo detineretur, ſcripſit per filium, proponens eis Baſilium, tamquam omnium aptiſſimum: deinde cum ab Epiſcopis, Caeſareae, jam collectis, rurſum eſſet invitatus ea forma quae ſatis indicaret nihil minus quam ejus praeſentiam optari l eis quoque ſcribi fecit in eamdem ſententiam. Filius autem nihil hic ſuo egit arbitratu: qui haud dubio vacationem ei optabat a turbis, ut ſicut ipſe ſibi: quod Baſilium viciſſim non facere miratus erat in epiſtola praecitata, cum ipſis inter ſe &* vita & propoſitum & cetera communia ſint omnia, ita ab initio conjunctis a Deo. *Graece* οὕτως τὰ πρῶτα συναρμοσθέντας *ubi notandus interpretis lapſus, qui praejudicio occupatus,* τὰ πρῶτα *vertit,* a prima aetate: *cum ſolum notetur initium conſtructae amicitiae.* (2) Epiſt. 23.

culo velut mortuus feretro impoſitus [1], hilaris, ac jucundus illo (*a*) pervenit. Dedit & tunc litteras Gregorius ad S. Euſebium Epiſcopum Samoſatenſem, qui eadem ex cauſa Caeſaream (*b*) adventarat, ad quem inter alia: (Patrem quidem tum ſuo, tum noſtro nomine habes, praeclarum omni vitae canicieque venerandae finem impoſiturum, nimirum praeſentem hanc pro Eccleſia dimicationem diremputurum) &c. Eligitur Baſilius, a patre Gregorii ungitur, eaque unctione & ipſe qui unxit vegetior, ac robuſtior factus eſt, ac bonae valitudini reſtitutus.

Electo Baſilio Caeſarienſi, Gregorius Chriſtianae modeſtiae conſulens, impetus animi, quibus ad eum inviſendum agebatur, repreſſit, litteriſque tantum adgaviſus, ſe continuit Nazianzi: poſtea tandem ad eum Caeſaream ſe contulit [2]. Quae omnia idem ipſe perbelle his verbis enarrat. (Cum omnes in hac animi opinione verſarentur, me ſtatim facturum, ut ſumma cum animi voluptate ad eum accurrerem (id, quod fortaſſe alius quiſpiam feciſſet) cum eoque imperium potius partirer, quam proximam auctoritatem haberem, idque ex amicitia noſtra conjectarent: ego tamen cum in omnibus rebus arrogantiae ſuſpicionem, ſiquis alius, fugiens, & temporis illius invidiam vitans; ſimul etiam quod negotia illius adhuc turgere & perturbari viderem, cupiditati meae fraenum injeci, domique me continui, quo nomine quidem ille mecum expoſtulabat, ceterum veniam conceſſit. Poſtea cum veniſſem, atque eadem de cauſa Cathe-

(1) In fun. pat.

(*a*) *Apparet diuturnam ac difficilem eam deliberationem fuiſſe, propter ſtudia eorum, qui favebant haereticis, & Baſilium omni modo cupiebant excluſum. Cauſam autem; quae centenario proximum ſenem e lectulo abſtraxit in iter, indicat filius in funere Patris*, quoniam electionem canonicam eſſe oportebat: & unus ex eorum numero qui Epiſcopum proclamaturi erant, deſideraretur. *Quod ſuſpicionem ingerit, ſuffragia eatenus libera ſtetiſſe, ut niſi ſuum praeſens ſuffragium ferret pro Baſilio (nam abſens conſilium dumtaxat dare potuerat) non procederet electio: Certe non pro ſola conſecratione eum requiſitum, apparet ex verbis mox adjunctis*: negotium adminiſtrat ad conflictum ſe parat (*quae utique electionem ſpectant*) in thronum collocat.

(*b*) *Ipſius Gregorii patris adhortatione excitatum veniſſe Euſebium, cenſet Hermant, eoque adducit Epiſtolam ad ipſum directam per Euſtachium Diaconum, quae hactenus inter Baſilianas quarta numeratur, velut a Baſilio ad Gregorium ſcripta: revera autem alterius eſt, & quidem Epiſcopi admodum ſenis atque a Clero Caeſarienſi vehementer rogati, ut in ea dimicatione eccleſiam Metropolitanam non deſtituat, quique oculos a ſe conjectos in Baſilium haud obſcure indicat: adeo ut ea epiſtola revera nemini poſſit aptius tribui, quam Gregorio patri, ad aliquem externorum Epiſcoporum, quos ea cauſa Caeſaream adveniſſe indicat Gregorius in laude Baſilii pluraliter loquens: ſed haud dubie vel ſolum, vel praecipue intelligens Euſebium iſtum, Comagenae in Syria regionis Metropolitam; ut ad hunc ſcriptam epiſtolam eſſe haud vana ſit conjectura: ſcripſerit autem eam, uti ceteras, filius nomine patris.*

(2) In Laud. Baſilii.

Cathedrae (*a*) honorem inſignioremque inter Presbyteros ſedem repudiaſſem, non modo meum hoc factum non accuſavit, ſed vehementer etiam, ut debuit, comprobavit; atque a nonnullis, qui rationis ipſius ignari erant faſtus inſimulari maluit, quam aliquid facere, quod rationi conſiliiſque ſuis adverſaretur). Apud ipſum manens Gregorius, ſublimem illam de amore pauperum habuit orationem. Promptuarium quoddam pietatis, leproſorum hoſpitale, ita appellat Gregorius, Baſilius erexit, cujus occaſione, ut cujuſque animum erga pauperes excitaret redderetque propenſiorem, ornatiſſimam illam dixit orationem, qua velut quodam pietatis claſſico non tantum divites ac nobiles quoſque ad illorum amorem movit, ut ſua bona in opus illud large profunderent; ſed & ſe ipſos in illorum obſequium manciparent, ducem ſequentes Baſilium, perſuaſit. De Baſilio [1] enim ipſe teſtatur, conſueviſſe pauperibus miniſtrare linteo praecinctum, Chriſtum imitatum cum lavit pedes Apoſtolorum, leproſoſque oſculari atque complecti.

Sequenti autem anno, (*b*) Gratiano Auguſto iterum & Probo Coſſ. valens Imperator, compoſitis rebus Gothorum, ad Catholicam fidem impugnandam vertit vires, deditque reſcriptum, ut Epiſcopi Conſtantii temporibus abdicati, ac iterum reſtituti, denuo Sedibus exturbarentur. Quo quidem reſcripto, cum multi Sancti Orthodoxi Epiſcopi Sedibus pellerentur, inter alios etiam celeberrimus ille Euſebius Epiſcopus Samoſatenſis, Sede abductus, in Thraciam mittitur; & inter barbaros, quibus pars provinciae ceſſerat, relegatur: quem noſter Gregorius

Ep. 23.

(*a*) *Videri alicui poſſet Baſilius Gregorio obtuliſſe, ut ſuus eſſet* Syncellus *ſeu* Protoſyncellus, *uti poſtea coeperunt dici, quos Latini cum jure ſucceſſionis inſtitutos* Coadjutores *vocant. Sed vix adducor ut credam ejuſmodi uſum in eccleſia jam tum fuiſſe.* Archypresbyterum *credo eum facere voluit. Habuit quidem Metropolis Caeſarienſis, cum ad eam evectus eſt Baſilius,* Chorepiſcopos *ſub ſe quingentos: ſed hos cave ne accipias, quales vulgatiori nunc uſu vocamus Epiſcopos* ſuffraganeos, *qui ſub titulo alicujus eccleſiae, in partibus infidelium conſtitutae, ad hoc ordinantur, ut alteri Epiſcopo ſubſerviunt in functionibus Epiſcopalibus obeundis, puta Ordinationibus faciendis. Non enim ita dicebantur, quod ordinatione Epiſcopali eſſent dignati (puto enim Cappadoces illos ad ſummum fuiſſe Presbyteros) ſed* ἀπὸ τῦ ἐπισκοπεῖν τὰς χώρας, *quod rurales eccleſias Epiſcopi vice inſpiciendas curandaſque haberent partitas inter ſe: quomodo plures in Europa dioeceſes in Archidiaconatus varios dividuntur, ſic dictos quod ſingulis praeſit unus ex* Archidiaconis, *quos &* Choepiſcopos *dici, teſtis eſt Sigebertus in Chronico: nos in Belgio vocamus* Decanatus rurales, *& qui eis praeſunt,* Decanos Chriſtianitatis. *Tales autem fuiſſe Cappadoces illos, liquere videtur ex ipſo eorum in unica Provincia numero: cum in tota Cappadocia vix plures eſſent Epiſcopi quam 15. aut 16.: ſingulis autem tales, quales apud nos Suffraganei ſunt quorumdam principalium Eccleſiarum, ſuffeciſſet unicus, ſi talem habere ſeculi iſtius uſus tuliſſet.*

(1) In laud. Baſil.

(*b*) *Id eſt anno 371.*

Ep. 28. eſt conſolatus. Idem Valens Imperator ut Baſilium exturbaret, recedens Nicomedia, profecturus Antiochiam, tranſiens per Cappadociam, divertit Caeſaream. Egregium Baſilii certamen, [1] nobile tropheum, quod retulit de devicto & expugnato Imperatore, qui cum Sede pellere conatus fuerat, cum ipſe Gregorius ac ceteri Graecorum ſcriptorum perpetuis monumentis teſtata reliquerint, ſupervacaneum putamus hic cuncta referre, ea tantum in medium adducemus, quae ad noſtrum Gregorium ſpectare videntur. Qui de his agens, haec de Baſilii conſilio ſuaque opera: (Cum temporis anguſtiis premeremur, hanc ipſe rationem inibat, ut ſibi quidem verbi diſpenſationem, nobis autem, quos ob nominis obſcuritatem nemo accuſaturus patriave ejecturus eſſet, loquendi libertatem committebat; atque ita Evangelium noſtrum firmum validumque erat, auxilio utriuſque ſuffuitum). Haec ipſe.

Ex his quidem intueri licet, qui qualeſque Gregorii labores fuerint, qui in eo certamine difficiliora perículoſioraque ſubiret onera, dum cominus conferens manus cum hoſtibus, acrius in ſe illorum odium excitarit. Interfuit idem etiam his difficillimis certaminibus, tum a Praefecto primum, tum inde a Valente Imperatore adverſus Baſilium excitatis. (Tunc, inquit, nos prompti & alacres victoris latus cingebamus) cum ſcilicet ad Imperatorem ingrederetur (a) vel egrederetur, fidus comes ſemper aſſiſtens. Poſtea autem Gregorius Nyſſenus etiam eadem perſecutione Valentis ab Eccleſia ejicitur, ut ipſe ſcribit in epiſtola ad Olympium de actis S. Macrinae, & Baſilius epiſt. 10. ad hunc etiam extra Sedem vagantem noſter Gregorius epiſtolam 34. ſcripſit. Ita tamen aſſidebat Gregorius Baſilio, ut Nazianzenae Eccleſiae, cui pater ſenio confectus praeerat, curam non dimitteret. Modo itaque Nazianzi, modo Caeſareae, ut rei occaſio poſtulabat, apud alterum illorum agebat. Pactis quibusdam Baſilius convenerat cum Gregorio, ut bonam anni partem ſimul (b) traducerent. At ſi quando Gregorius more diſtineretur, cum litteris provocabat, atque rogabat confe-ſtim

(1) In laud. Baſil.

(a) *Quod ultro ad Valentem ingreſſus Baſilius ſit, nuſquam legimus: Valens in hujus praeſentiam & Catholicorum eccleſiam bis ſe intulit, primum in die Epiphaniae dum concionantem audivit, & vertigine impeditus eſt ad oblationem ire volens: rurſus alia vice, quando intra velum* inilius conſpectum colloquiumque (quod jam pridem expetebat) venit; *& huic colloquio interfuiſſe ſe Gregorius dicit.*

(b) *Pacta talia non invenimus: ſolum invenio id Baſilio propoſitum a Gregorio ep. 5. cujus verba dedimus ad cap. 4. Annot. b. & ea putamus alio prorſus tempore atque occaſione ſcripta diu ante Baſilii Epiſcopatum.*

ſtim adeſſe, adverſuſque ingruentes haereticos ſuppetias ferre, ut ejusdem Baſilii litterae, (*a*) declarant.

Accidit aliquando, ut Baſilius quibusdam adverſariorum falſis calumniis perſtringeretur, quibus quam vehementi animo ſe Gregorius oppoſuerit, ejusdem ad Baſilium tunc ſcripta Epiſtola indicat his verbis: [Convivium celebrabatur, cui non pauci illuſtres viri intererant, nobiſque amicitia conjuncti, atque inter eos vir qui pietatis nomen, habitumque praeſeferebat. Nondum compotari coeptum erat, cum, ut in conviviis accidere ſolet, de nobis ſermo excitatur, inſtar alicujus cujusdam adventitiae rei in medium propoſitae. Omnibus porro virtutes tuas magnifice praedicantibus, noſque etiam iisdem vitae ſtudiis deditos adjungentibus, amicitiamque noſtram & Athenas commemorantibus grave quoddam facinus hic philoſophus edidit. Quid nam hoc, inquit, admodum furioſe exclamans, o viri! quam inſigniter vos mendaces, & aſſentatores eſtis. De ſpiritu quidem laudentur viri illi, ſi ita lubet: nec ipſe quidem contradico. Ceterum quod maximum eſt, non illis concedam. Orthodoxiae nomine fruſtra laudatur Baſilius, fruſtra Gregorius. Ille quia veritatem ſuis diſputationibus prodit: hic quia tolerantia ſua proditionis ſocium ſe praebet. Hic ego. Unde haec, o homo vane, atque amentia nove Dathan & Abiron? Unde nobis dogmatum promulgator venis? Quomodo tantarum rerum judicem te facis? Tum ille. Ex Euphycſiana (*b*) Synodo, inquit

(*a*) *Videtur indicari Epiſt.* 33. *Baſilii, ubi ſic queritur de amico*: Si & ſecundum noſtra olim pacta & ſecundum eam, quam jam debemus eccleſiis curam & ſolicitudinem (*nempe Gregorio jam Epiſcopo ſcribit*) ſaepius per annum conveniſſemus, januam calumniatoribus non aperuiſſemus. *Quia autem Baſilium neſcio quo venire voluerat Gregorius, reſpondet concludens*: Si propter eccleſias convenire nos voles, paratus ſum quocumque vocaveris accurrere: ſi vero ut ſycophantias refutem ac diſſolvam, jam de iis reſpondere non vacat, *contemnenti ſcilicet ea, quae privatim in ſuam perſonam jactata, Gregorii animum nonnihil conturbarant.*

(*b*) *Graece.* Ἐκ τῶν κατ' Εὐψύχιον. συνόδου νῦν ἥκω, τοῦ μάρτυρος. *Ubi quia librario mendo ſcriptus eſt articulus* τῶ, *loco pronominis* τούτου, *interpres Latinus, ambiguus quo referret vocem* μάρτυρος, *quam genus maſculinum, ad* Εὐψύχιον, *caſus autem genitivus, ad vocem* συνόδου *referre ſuadebat: ipſam geminavit, ſic reddens*: Ex Eupſychii Martyris Synodo nunc venio, eamque dicti mei teſtem habeo. *Synodus ergo ipſa* μάρτυς *id eſt* teſtis *eſſe hic dicitur: de* Eupſychio *difficile eſt divinare, indicaturne aliquis, juxta cujus convocationem aut inſtitutionem conventus is fuerit habitus, diſputandi vel differendi cauſa; an locus ſic ab eo nominatus, in quo vel juxta quem ille habitus. Primum magis videtur conforme textui: ſic* καὶ τῶν Μάρκον, καὶ τῶν Φρύγας *legimus. Merito etiam ſuſpicaberis de Sancti alicujus, ac veroſimiliter Martyris eccleſiae agi: & talis Caeſareae in Cappadocia paſſus ſub Hadriano colitur 7. Septembris. Eſt quidem & alius ejuſdem nominis ſub Juliano occiſus, quia Fortunae templum everterat: de quo locum hunc intelligit in Scholiis Billius, & nos de eo egimus 9. Aprilis: Verum huic tam cito aut omnino aliquando erectam fuiſſe eccleſiam, mihi non perſuaſerim.*

Digitized by Google

quit, venio: ejus rei teſte: ſic enim revera erat. Illic Baſilium Magnum audivi de Patre quidem ac de Filio optime ac praeſtantiſſime, atque ut vix quiſquam alius facile queat, diſſerentem; Spiritum ſanctum autem convellentem ac disjicientem, ac ſimilitudinem quamdam adjiciebat a fluviis petitam, qui rupes curſim praetereuntes arenoſa loca excavant. Tum vero me intuens, Tu autem, inquit, o vir egregie, num jam perſpicuis verbis Spiritum ſanctum Deum eſſe doces? Cumque ex meis & meo monaſterio aliquis, ut in frequentiſſimo coetu, Deum eſſe diceret, ac deinde ſubinferret, pervulgatum id eſſe de Spiritu; rurſum ille: Quouſque, inquit, lucernam ſub modio abſcondemus? (*a*) Hic vero fidei doctrinam obſcure oſtendit, ac velut obumbrat, nec veritatem libere profitetur, politice magis quam pie aures implens, dicendique facultate verſutiam tegens.) &c. Subdit deinde ſe magis de Baſilio quam de ſeipſo ſolicitum multis niſum eſſe ſe ac illum excuſare, tamen ſuam excuſationem aſtantibus viſam eſſe frigidam, nec Baſilio dignam, ut qui ad aſtruendam Spiritus ſancti Divinitatem, uſus eſſet ambigua voce.

Hac ibi pluribus Gregorius [1]: qui & alibi illud fuiſſe adverſariorum conſilium pandit, ut ea arte Baſilium e ſolio exturbarent, Sedemque illius occuparent. (Quorum inſidias Baſilius ut eluderet, aliis quibusdam vocibus e Scripturis poſitis, teſtimoniis minime dubiis, eamdem vim habentibus, neceſſariiſque argumentis adverſarios ita comprimebat, ut nullo modo repugnare, aut in contrarium niti poſſent; ſed, quae maxima diſputationis, & ingenii vis eſt, propriis vocibus aſtringerentur: quem-

(*a*) *Ita ſcilicet accuſabat calumniator ille etiam Gregorium, ut a principio utramque dixerat in fide ſuſpectum, quod non aſſecutus interpres, totum intervertit ſenſum; quem claritati ſuae conatus reddere Graecum ipſum textum ſic legi:* ἢ τί δήποτε ὦ θαυμάσιε, ἔφησεν, μὴ βλέπω, ἤδη φανερῶς τὸ Πνεῦμα θεολογεῖς; (*ubi emiſſa interrogatione, male videbatur calumniator Gregorium arguere quaſi hoc claris verbis doceret; cum interrogando contrarium innuat*) Καί τινος ἀπ' ἐμοῦ μονῆς τε τῶν ἐμῶν ὡς ἐν συνόδῳ πολυανθρώπῳ, θεολογήσαντος, εἶτα ἐπειπόντος, τῷ Πνεύματι τοῦτο τὸ περιβόητον τότε (*ſubintellige* ἐκεῖνος ἔφη) μέχρι τίνος *&c. Interpres autem vitium ratus in his* ἀπ' ἐμοῦ μονῆς τε τῶν ἐμῶν, *ſuſpicatus eſt legi debere unica voce* ἀπ' ἐμοῦ μόνεως, *& ſic vertit:* ſimulque vocem quamdam meam commemoravit, cum ego in frequentiſſimo coetu de Divinitate verba faciens, pervulgatem illud de Spiritu ſancto interlocutus eſſem. Quouſque lucernam ſub modio abſcondemus? Ille autem &c. *Ubi non videas reprehenſionis materiam, nec quidquam Graeco contextui congruum. Huic ſimilis porro eſt reliqua epiſtolae illius verſio: utique difficile eſt ad verum auctoris ſenſum redire, cum quis aberrare interpretando coepit, confuſa totius argumenti quod tractatur forma: nobis ſatis fuit ea quae hic allegantur corrigere.*

(1) In laud. Baſilii.

quemadmodum libro, quem de hoc edidit, perſpicue oſtendit: in quo conſcribendo, uberrima Spiritus ſancti gratia perfuſus vir admirabilis, ſe ipſum quodammodo ſuperavit, & calamum quaſi ex pyxide Spiritus movit: &c.) Haec Gregorius [1]. Eſt enim hic ille locupletiſſimus commentarius, quem de Spiritu ſancto ſcripſit ad Amphilochium. Idemque & alios adverſus Eunomium de Spiritus ſancti Divinitate libros edidit. Ea perſecutione nonnihil Baſilius fatigatus, Gregorium rogat, ut ex condicto Caeſaream ſe conferret (a). Quantum porro detulerit Baſilius Gregorio ex tunc ſcripta epiſtola facile declaratur, ubi & haec verba.

(Tu, inquit, ſi ita videtur ſycophantas valere ſine, noſtriſque precibus adductus, nos praeſenti certamine laborantes adjuva; ſimulque cum eo qui adverſus nos pugnat manus confere. Nam ſi vel ſolum conſpectus fueris, ejus impetum infringes, eoſque qui ad patrias res evertendas inſtructi ſunt, fundes & diſſipabis: perſpicuum videlicet ipſis faciens, te coetus noſtri ducem futurum, atque omne os injuſtum hominum iniqua loquentium obſtructurum. Quod ſi contigerit res ipſae declarabunt, quis ille erit, qui te ad praeclara negotia ſequetur, qui rurſum claudicet, ac veritatis doctrinam ignavia prodat) &c. His acceptis litteris, contulit ſe Gregorius Caeſaream, quando Baſilius apud eum ſe etiam de ea re juramento purgavit. Idque ipſe Gregorius in ea oratione, quam habuit in laude Baſilii, teſtatur his verbis. (Quod alioqui melius quam quivis alii Spiritum ſanctum Deum noſſet, cum ex eo praecipue conſtat, quod hoc ſaepe de loco ſuperiori, quoad per tempus licebat, praedicavit, & privatim apud eos a quibus interrogabatur, haud cunctanter confeſſus eſt; tum vero in ſuis apud me ſermonibus apertius id oſtendit (neque enim quidquam unquam, cum de his rebus mecum loqueretur, animo tectum occultumque habuit) non ſimpliciter hoc affirmans, ſed quod antea ipſi perraro accidit, ſibi rem omnium maxime horrendam imprecatus, nem-

(1) Baſil. ep 33.

(a) *Imo e contra (licet id expreſſo non habeat epiſtola Gregorii de illa diſputatione ad Baſilium directa per Hellenium, ſed ſe- lum petat ab eo doceri* quouſque in diſputatione de Spiritus ſancti divinitate progredi, quaſque voces uſurpare & quouſque epiikia uti conveniat.) *e contra, inquam videtur Gregorius, ſaltem oretenus, per internuntium ſuum Hellenium rogaſſe, ut ipſe Nazianzum dignaretur excurrere, calumniatorem ipſe confutaturus per ſe; quod ut jam vidimus facere recuſavit Baſilius, tanti non faciens ſycophantiam: ipſum vero Gregorium invitavit Caeſaream, ubi haereticus quidam negotium ipſi & Eccliſiae faceſſebat, forſitan aliquis ex Valentis miniſtris, ad res turbandas etiam militari manu inſtructus; ſicut ſupra num. 34. vidimus Gregorio patri accidiſſe Nazianzi:*

pe ut ab ipſo Spiritu ſancto excideret, niſi cum Patre & Filio & Spiritum ut conſubſtantialem & aequalem, coleret). Haec Gregorius.

CAPUT VIII.

Epiſcopus Saſimorum poſt acrem tergiverſationem ordinatus Gregorius.

His malis acceſſit [foedum atque admodum ignominioſum civile bellum [1] inter Epiſcopos Catholicos provinciae Cappadociae; quorum plures aegro animo erant in Baſilium: idque, ut idem Gregorius ſcribit, tribus ex cauſis; quarum prima erat, quod inquit, in fidei negotio cum eo nequaquam conſentiebant, niſi quantum id ipſis cogente multitudine neceſſario faciendum erat. Alia, quod dolorem ex ipſius electione conceptum nondum penitus ex animis ejecerant. Poſtrema, quod ſe longe multumque ab eo gloria ſuperari acerbiſſime ferrent, tametſi id confiteri turpiſſimum erat. Oborta eſt & alia quaedam ſimultas, quae haec omnia exulceravit. Nam cum patria noſtra in duas Provincias & Metropoles diviſa eſſet, & multa ex priori novae Metropoli adjungerentur, ea de cauſa inter illos diſſidium excitatum eſt] &c. Erat autem novae Metropolis Tyana caput, cujus Epiſcopus Anthimus dicebatur; qui licet ſe Catholicum eſſe profiteretur, tamen nullius frugi vir erat, & ad inferendas moleſtias Catholicis optimus architectus. Hic etenim eccleſias & eccleſiarum redditus extra Metropolim ſuam poſitos, ad Baſilii paroeciam pertinens (a), ſibi uſurpare ſtudebat, & quo minus jure pollebat, eo magis armorum vi more praedonis, graſſatoria manu, aliena inceſſabat. His acceſſit quod Tyanenſem Eccleſiam, cui praeerat, de quo ſaepius conqueſtus Baſilius, aſylum fecerat haereticorum.

Baſilius autem cum ollam ſuccenſam videret a facie Aquilonis, ſuae Metropoli conſulturus, adverſus ejuſmodi bellum muni-

(1) In laud. Baſilii.

(a) *Huc videtur ſpectare Ep. 25. Nazianzeni ad Baſilium hoc principio*: Audio te a recenti rerum novatione turbari, & nunc vel maxime exiſtimo futurum, ut Baſilius meus cognoſcatur, & ea quam per omne tempus collegiſti ſapientia pateſiat . . . . Quod ſi ita tibi videtur, ipſe quoque adero: fortaſſe quidem & conſilii quoque tibi aliquid impertiam . . . . procul dubio autem ut utilitatem ipſe capiam, patientiaeque in ferendis contumeliis ſocium me tibi praebeam.

munitionem ſtatuere, murumque & antemurale firmare cogitans, novas in Metropolis finibus Sedes Epiſcopales erexit. Inter quas fuerunt Saſima, ignobilis quidem locus (*a*), agaſonibus illac tranſeuntibus tantum pervius, cui Gregorium noſtrum praeficere Epiſcopum induxit in animum. Laudat ejuſmodi Baſilii [1] conſilium de novis Sedibus erigendis Gregorius, cum ait. [Baſilius diſſidium illud in Eccleſiae lucrum emolumentumque convertit, ex eaque calamitate ingentem traxit utilitatem, patriam nimirum pluribus Sedibus communiens, ex quo tres praeclariſſimae res ſunt ſecutae: nam & animarum cura major ſuſcepta eſt, & quaelibet civitas proventus ſuos habuit, & bellum hac ratione compreſſum & extinctum eſt]. Haec Gregorius, qui tamen contentioſiſſime reſtitit, ne Saſimis praeficeretur Epiſcopus, paſſuſque eſt humani aliquid adverſus Baſilium: cujus de ea re conſilium numquam laudavit, nec quovis longioris temporis ſpatio, ut ipſe fatetur, conceptum de ea re moerorem potuit evacuare: quia inde velut a quodam amaritudinis fonte, cunctae quae poſtea ſunt ſecutae calamitates, ſint deductae. Licet idem aliquando Baſilii mentem excuſet, hominis nimirum cuncta ad ſpiritum referentis, nullamque amicorum rationem habentis, cum quod Deo gratum putaret implere ſatageret.

Cum itaque Gregorius ſolida animi firmitate reſiſteret, Baſilius familiari fiducia eum ruſticum, inſulſum, & ab amicitia abhorrentem appellat: ad quem reſcribens Gregorius, quae de ea re eſſet aliorum ſententia primum ingerens, haec ait: (Objiciunt tibi alii neglectum atque contemptum, quod nos, poſteaquam noſtra opera uſus fueris [2], velut ſordidiſſima vaſa & inſtrumenta projeceris; aut velut adminicula ea quae fornicibus ſupponuntur, quae ſimul atque ſtructura formata eſt & compacta, deduci ſolent ac pro nihilo haberi.] Haec de his, quae ab aliis jactarentur: quid autem ipſe praetexat, declarat his verbis. [Ego quid animi habeam explicabo. Nec mihi propterea iraſcaris. Dicam enim, quae flagranti ardore prolocutus ſum, neque uſque adeo vel ira aeſtuans, vel eo quod contigerat perculſus & attonitus, ut ratio ſe ſubduceret, aut quid dicerem ignorarem. Non arma comparabo, nec rei militaris artem diſcam, quam prius non didici, cum hujuſmodi rei com-

(*a*) *Operae pretium fuerit videre quomodo eum deſcribat Nazianzenus in Carm. de Vita ſua.*

(1) In laud. Baſilii.

(2) Epiſt. 31.

modius tempus eſſe videbatur, omnibus videlicet arma inducentibus, & furioſe inter ſe congredientibus; nec Martium Anthimum certamine excipiam, quamvis alioqui immaturum bellatorem, nimirum ipſe rei bellicae ignarus vulneribuſque magis expoſitus. Quin tu potius cum eo bellum gere] &c. Haec idcirco Gregorius, quod [ut diximus] Anthimus armatorum manu ſibi cuncta vindicare ſtudebat. Rurſus autem ad eumdem Baſilium, ignaviam ſibi exprobrantem, haec reſcribit. [Deſidiam, & ineptiam nobis objicis, quia Sazima tua recuſavimus, nec Epiſcopatus cupiditate incitamur [1] vobis, non ſecus atque eſca canibus in medio projecta mutuis animis inter vos graſſantibus: mihi vero maximi negotii loco eſt otium] &c.

His aliiſque ejuſdem argumenti acceptis a Gregorio litteris, Baſilius ratus ſe ab eo ſperni, ſubindignans ad eum reſcripſit. At Gregorius, quanti eum ipſe faciat, feceritque ſemper, oſtendit: philoſophiae tamen otium praetexit, quo minus illi obſequatur: eſt ejuſmodi Epiſtola, [2] non ſuo tamen loco & ordine poſita, inter alias. [Quomodo exigua nobis, & aſpernanda tua ſunt, vir divine & ſacroſancte? Quid nam hoc effugit verbum dentalia ſepta? aut quomodo hoc dicere auſus es? Ut ipſe quoque audacter aliquid dicam: quomodo vel animus eo perrupit, vel atramentum ſcripſit, vel charta excepit? O ſtudia! o Athenae! & virtutes & litterarii ſudores! Me enim litteris tuis pene tragicum facis. Utrum nos an te ipſum ignoras? Tu, inquam, Orbis oculus, magna vox & tuba, doctrinaeque aula regia? Tuane Gregorius parva ſunt? Quid igitur aliud quiſpiam admiretur eorum quae in terra ſunt, niſi te Gregorius? Unum ver in anni partibus, unus ſol in ſideribus, unum coelum omnia complexu ſuo coercens, una vox tua de omnibus triumphans; ſi modo ſatis idoneus ſum, qui de ejuſmodi rebus judicium feram, nec mihi amor impoſturam facit, quod non exiſtimo. Quod ſi hoc nomine ſuccenſes, quod non te digna admiratione proſequimur, omnibus quoque mortalibus ſuccenſeas oportet: neque enim aliquis ſatis digne te laudavit aut laudaturus eſt, praeter te tuamque in dicendo ſublimitatem; ſiquidem fieri poſſet, ut quis laudes ſuas praedicaret, idque ferret orationum lex. Quod ſi contemptum tui nobis objicis, quin prius inſaniam? At te illud excruciat, quod philoſophamur. Liceat mihi cum tua bona venia dicere: hoc unum doctrina

(1) Epiſt. 10. (2) Epiſt. 32.

ctrinæ quoque tua & eruditione ſublimius eſt & praeſtantius). Haec Gregorius ad Baſilium.

Cum autem eo modo Gregorium Baſilio adverſantem perſenſiſſet Anthimus, idoneam eam ratus occaſionem, qua Gregorium ab illo divelleret, in ſuaſque partes abduceret, continuo Nazianzum proficiſcitur, ut cum eo tractet. At Gregorius illum advenientem, ut par erat, ſic eſt everſatus, ut re infecta abire coegerit, idque ad Baſilium ſcripſit [1] in hunc modum: (Ut autem rem brevi declarem, fortiſſimus Anthimus ad nos cum Epiſcopis quibusdam venit, ſive ut patrem meum viſeret (nam id quoque praeſeferebat) ſive ut ageret quod egit. Cumque multis modis animum pertentaſſet, paroecias commemorans, & Saſimas paludes, & noſtram ordinationem (*a*), nunc blande nos alloquens, nunc precibus contendens, nunc minitans, nunc expoſtulans, nunc laudans, nunc vituperans, variiſque orationis circulis, ſtrophis, & ambagibus utens, tamquam is ſolus nobis intuendus eſſet novaque Metropolis, utpote magnitudine amplitudineque ſuperior; quid, inquam, civitatem noſtram (*b*) circumſcribis, cum ipſi Eccleſiam quoque faciamus, utpote Eccleſiarum vere & tu olim Matrem? Poſtremo negotio infecto diſceſſit, crebris ſpiritibus interruptis Baſiliſmum nobis, quaſi Philippiſmum quemdam objiciens). Haec Gregorius ad Baſilium de congreſſu cum Anthimo; cum ille indignans receſſiſſet, ac paludes Saſimas invaſiſſet (*c*), probriſque

(1) Ep. 33.

(*a*) *Si ordinationem Epiſcopalem intelligas, eſſet haec hiſtoria poſteriori referenda loco: potius dixerim Presbyteralem, per quam Nazianzenae obſtrictus. Eccleſiae, cum haec jam eſſet Cappadociae ſecundae attributa, conſequens videbatur ut ejus novo Metropolitae Tyanenſi ſubjectus quoque cenſeretur Nazianzenus. Inter ea autem quae pro ſe allegabat Anthimus, videtur fuiſſe diviſio paroeciarum, Tianeae ſubjiciens non tantum Nazianzum ſed &* Saſimas paludes, *a Saſimorum vicinia nuncupatas, quarum praetextu ipſa quoque Saſima ſibi vindicare voluerit Anthimus.*

(*b*) Caeſaream *intelligo, quam negat prae Tyanis contemnendam, utpote Metropolim etiam ipſam, & quidem antiquiorem: ſub qua eccleſiam Nazianzenam retinere volebat uterque Gregorius: quod tamen eis non ſucceſſiſſe, apparet ex Synodo V. ad cap. 1. allegata, ubi ipſa Nazianzus dicitur Tyanenſi ſubjecta.*

(*c*) *Haec poſt ordinationem Nazianzeni facta vult Hermant, putatque Epiſtolam Baſilii, qua Gregorio ignaviam objiciebat (prout ex reſponſo vidimus in fine num. 69.) eo ſpectare, quod Gregorium urgeret Baſilius ut vim vi repelleret. Sed ſi Epiſtolam 33. apud Gregorium ad finem uſque legas, ſatis intelliges ipſam, adeoque & ea quae ab ipſa attinguntur omnia, eſſe ordinatione Gregorii priora. Pergit enim ab acceptando Epiſcopatu excuſare ſe, & petere ut ſibi* aliarum omnium rerum loco quietem concedat: *imo dehortatur, ne propter multas ab Anthimo inter anguſtias viarum interceptas, velit* ſplendidis illis Saſimis Metropolitanam urbem privare, *erigendo ea in Epiſcopatum. Finiens autem, cum quadam veluti ironia:* Tu quidem, *inquit,* viriliter age & confortare, omniaque ad tuam

que atque contumeliis refertam Epiſtolam ad Gregorium conſcripſiſſet, de quibus omnibus ipſe item reddidit Baſilium certiorem (*a*).

CAPUT IX.

Seceſſus in eremum. Reditus ad patrem. Hujus & matris obitus. Eccleſiae adminiſtratio.

PErſiſtens Baſilius in ſententia, ut Gregorium praeficeret Saſimis, non viſus eſt ſibi amplius abſens litteris rem agere; ſed coram eum convenire decrevit, ſicque proficiſcitur Nazianzum: adnitenſque ſimul cum Baſilio Gregorius pater, illum, invitum licet, Saſimorum Epiſcopum creant; ungunt, induunt podere, & thiara caput ornant: cum ipſe apologeticam eam habuit orationem, cujus eſt exordium: Super me rurſus unctio & ſpiritus, & rurſus ego lugens & triſtis incedo): & alia multa: ſecundam eam unctionem appellans reſpectu primae, quando initiatus eſt Presbyterio. Habuit inſuper & praeclaram orationem illam, cujus eſt principium: (Nihil ſenectute fortius,

tuam ipſius gloriam, quemadmodum fluvii torrentes, trahe; nec amicitiam nec vitae conſuetudinem ac familiaritatem virtute ac pietate priorem habens, nec quae ex his rebus hominum opinio de te futura ſit quidquam curans, ſed uni dumtaxat ſpiritui te addicens. Nos vero ex amicitia tua id dumtaxat lucri capiemus, ut amicis poſt hac minime fidamus, nec Deo quidquam praeſeramus.

(*a*) *Totus rei geſtae ordo ex Epiſtola 33. talis habetur. Nazianzum venit Anthimus, itaque ut jam dictam receſſit confuſus. Deinde* Synodalem vocationem ad nos cuderunt, *inquit, ſcilicet Gregorium citantes Tyanam, idque vel ut cauſam negatae ſubjectionis dicturum, vel ut in conſilium de rebus communibus adhibendum; revera autem ea comparitione de ſe facturum ſuſpicionem quod Thyanenſi Metropoli ſubjectum ſe agnoſceret. Quid autem Gregorius?* Me vero, *inquit*, contra pugnante contumeliamque nobis heri contendente, ſecundo loco poſtularunt, ut hortatu meo & rogatu conſultationem de his rebus haberetis: id quod ego; ne quod prius moliebantur fieret (*id eſt, ne ad apertam vim proſilirent*) me recepi facturum rem omnem arbitrii veſtri faciens, an vos congregari velitis, & ubi, & quando. *Sed ſequius hoc Gregorii officium interpretatus eſt Baſilius, quaſi ea ſuggeſtione declaraſſet ſe ejus adverſario favere: quare ei ſe purgatum cupiens Gregorius, ſubdit:* quod quidem hominis erat, non contumelia, ſed honore vos afficientis. *Id autem ut magis probem, inquit,* ipſam epiſtolam vobis perlegam, quam *Anthimus* cum paludes, nobis prohibentibus & comminantibus, invaſiſſet, ad nos miſit, contumeliis & probris nos proſcindens, ac velut triumphum adverſum nos, ut victos canens. Quam autem cauſam habet, ut cum tua cauſa in illius offenſionem incurramus, tibi rurſus diſpliceamus velut illi faventes? *Quibus expoſitis ſic concludit Epiſtolam Gregorius, viciſſim de Baſilio conquerens, velut ita ejus ſuſpicione & querela contumeliam ab eo paſſus.* Haec porro cognita tibi prius eſſe oportuit, vir admirande, ac neque tum, *cum ſcilicet comperiſſes aliquid revera in favorem Anthimi a me factum;* contumelia nos afficere; ſi nihil aliud (*id eſt, ſi non veterem & notum amicum*) certe ut Presbyterum. *Non dixit, ut Epiſcopum: quia hic ſcilicet nondum erat Gregorius.*

Digitized by Google

tius, nihil amicitia venerabilius. Ab his ad vos ductus ſum ego vinctus in Chriſto, non catenis ferreis, ſed tenaciſſimis ſpiritus vinculis conſtrictus). Et poſt alia multa: (Amicitia me ſubegit, & patris canicies in poteſtatem me redegit) &c. cantatque palinodiam de his quae dixerat in Baſilium. Advenit & Gregorius Nyſſenus tunc Nazianzum, in cujus adventu illam dixit orationem, cujus eſt titulus: Ad Gregorium Nyſſenum: in qua de Baſilio, atque Gregorio, haec ait: (Horum alter nos unxit, latenteſve in medium perduxit; alter hanc cauſam huc veniendi habuit, ut nos conſolaretur).

Licet autem Gregorius patri morem gerens, & Baſilio vim inferenti ceſſiſſet, ut Saſimorum crearetur Epiſcopus, numquam tamen e corde conceptum moerorem exhaurire potuit (*a*). Immo cum nullum ſibi ad eam Sedem capeſſendam (*b*) acceſſum patere videret [omnia enim ut vidimus, Anthimus Tyanenſis Epiſcopus armata militia tuebatur] quid facit? Amatam diuque optatam ſolitudinem repetit, proficiſcenſque ſcripſit ad Boſporium (*c*), qui eumdem cum Baſilio funem traxerat, aperiens animi ſui conſilium. Fuit Boſporius Epiſcopus Coloniae Cappadociae, qui interfuit Concilio OEcumenico Conſtantinopolitano, ſubſcripſitque, ad quem haec habet: (Jam ſecundo a vobis ſupplantatus, atque deceptus ſum. Quid dicam noſti. Ac quidem ſi juſte, odoretur a vobis Deus odorem ſuavitatis; ſin autem injuſte, hanc vobis noxam Deus condonet, quandoquidem injurias acceptas ferre debemus. Ceterum cum apud vos eſt voluntatis veſtrae poteſtas, ſic meae quoque penes me eſt. Non ultra gravis vobis erit moroſus Gregorius (*d*): ad Deum ſecedam

(*a*) *Apparet hoc ex carmine de Vita ſua, quod compoſuit anno circiter decimo, poſt hanc ſibi ab amico factam injuriam, quam prolixiſſime eam exaggerans, nec ipſam quidem ejus intentionem ſatis excuſans.*

(*b*) *Audi querulos illius verſus, quibus poſt expoſita loci ac temporis incommoda, ita lectorem alloquitur.*

Quid facere, quaeſo per Deum par hic erat?
Retinere Sedem? tam graves ferre impetus?
Telis feriri? ſordido immergi luto?
Nec habere ſenium in quo reponere locum
Ab aede per vim ſemper expulſum mea;
Nec habere panem pauperi quem frangere;
Sortitus inopes ipſe pauperior oves?

(*c*) *Hanc epiſtolam ego multo poſt ſcriptam exiſtimo, idque ex ipſo ejus exordio certum eſſe perſuadeor, quo jam bis ſupplantatum ſe dicit. Primam ſcilicet cum factus fuit Epiſcopus Saſimorum: ſecundo, cum parente mortuo coactus fuiſſet retinere adminiſtrationem Nazianzeni Epiſcopatus, donec alterum Epiſcopi ſubſtituerent, quod brevi faciendum promiſerant. Niſi potius omnia referro malis ad ſupplantationem, quam paſſus poſt haec Conſtantinopoli eſt.*

(*d*) *Graece* οὐκ ἔτι βάρυς ὑμῖν ἔςαι Γρηγόριος ὁ βάρυς, *ubi neſcio curmutatum quidpiam velit Billius, & per inſipidam repetitionem legi* ὁ βάρυς.

dam, qui ſolus purus eſt, & a fraude alienus; in me (*a*) ipſum colligor. Haec mihi ipſe conſului. Bis in eumdem lapidem impingere, vecordibus paroemia tribuit). Haec ad Boſporium Gregorius (*b*), cui tamen non licuit diutius optata frui ſolitudine: nam importunis rurſus patris precibus juſſiſque Nazianzum revocatur [1]. Haec etenim de fuga ſua, de patris niſibus, ac reditu Nazianzum, idem his verſibus deſcribit.

(Erat mearum breviter hic rerum ſtatus:
Cervix jugo ſe, non animus, ſubmiſerat:
Quid proferam? Dolorem, qui mecum tibi,
Totum indicabo. Rurſum ſtimulos ſentio,
Rurſus (*c*) fuga me & curſu in montem (*d*) confero,
Furtimque dulcem vitam ago, delicias meas.
Sed abſque lucro: non enim conſtans eram
In hac fuga. Nimirum in cunctis tolerans,
Hac parte vincor: Patris iram non fero.
Occepit is magno primum conamine
Me Saſimis defigere (*e*). Ut non ſucceſſit hoc,
Aliud capeſſit: ne loco maneam infimo,
Sed collaborans [grandior nam aetas ſenem
Gravabat] ut levarem eum moleſtiis.
Manuſque tendens dum meam barbam ſimul
Capeſſit, ad me vocibus o quibus utitur!
Te te rogat pater, fili cariſſime,
Juvenem ſenex rogat ſervum ſuum
Natura herus, adeoque legi duplici.
Aurum, lapillos, argentum non poſtulo,
Agroſve, fili; non quae delicata ſunt.
Cupio Aaroni Samuelique proximum.

Te

(*a*) *Fecit hoc non redeundo ad ſolitudinem (uti hic ſupponit Baronius) ſed Seleuciam recipiendo ſe, ut infra dicetur.*

(*b*) *Sed, ut dixi, diu poſt: quare quae ad fugam in ſolitudinem ſpectant certius ex ſequentibus diſce.*

(1) De vita ſua.

(*c*) *Nihil prohibet quo minus ante fugam id credatur feciſſe, quod de eo ſcribit Gregorius in Vita:* quod cum *Saſimenſis ſtationis incommoda ſibi inſuperabilia* proſpiceret, ad aegrotorum domicilium confugit, miniſterio ſuo paternaque oratione morbi difficultatem gravitatemque eis leniens; ac philoſophandi tempus illud ſibi eſſe conſtituit. *Meminit deinde Gregorius fugae,* quam ſimul ac conſtitutus Epiſcopus fuit animo ſeratur deſignaſſe: *ſed ea de re alluſentia nihil habet, dubitari tamen non ſinunt ſequentes Gregorii verſus.*

(*d*) *Vix dubitem quin hic intelligatur* mons ille Ponticus, *a Baſilio in Ep. 19. tam prolixe laudatus & deſcriptus; in quo cum ipſo antea vixerat.*

(*e*) *Graece* Ἐνιδρύσαι, *quod vulgo dicitur* inſtillare, Inveſtire.

Te facere: ſemper adſtes ut coram Deo.
Es in poteſtate illius, qui te dedit.
Ne denega, ut propitius ſit verus tibi
Pater. Preces honeſtae, aut ſaltem patriae.
AEtas peracta tam longa nondum eſt tibi,
Quot praeterivit tempus annorum mihi.
Concede tandem hoc, alius vel me ſepeliat.
Inobedientiae hanc poenam ſtatuo tibi,
Da tempus hoc exiguum reliquiis meis.
Exinde pro libitu tuo tibi conſule.
Poſtquam audiſſem haec, & animus jam paululum
Ex moeſtitia emerſiſſet, ut de nube ſol,
Quid ſit? Malorum qui meorum erat exitus?
Me ipſum cohortabar: nihil eſſe incommodi,
Si in parte patris hac facerem voto ſatis:
Nam illud haud me invitum adſtringere poterit,
Quem nulla prorſus hic jam promiſſa obligant.
Sic me reduxit ad meos victum metus.]

Haec Gregorius: qui & ad Boſporium, qui ad eum objurgatorias (a) de fuga ipſius litteras dederat, reſcribens, inter alia haec ait: [Tuae pietati haec denuntio, nos manus dare & cedere, atque Eccleſiae curam Deo dante pro virili noſtra ſine cunctatione ſuſcepturos eſſe: quandoquidem hoc contenditis; ac praeſertim urgente hac tempeſtate, propter imminentem, ut ipſe ſcribis, adverſariorum incurſionem: humileque hoc corpus Deo commodaturos eſſe quamdiu durabit, viceſque noſtrae fuerint, ne nos oneremus, atque obruamur a vobis damnati, tum variis univerſi Cleri nos opprimentis querelis, & lamentationibus & clamoribus impetiti, atque eccleſiam neglectam cernentes, ac permultorum etiam animum offendentes & vulnerantes, tamquam Eccleſiae negotia nihil faciamus: ac denique ne diutius

(a) Objurgatorias *fuiſſe apparet : ſic enim exorditur reſponſum Gregorius* . Arbitrabar mihi pro iis quae praeceſſerant a vobis excuſationem deberi ; ita ſimplex ego antiquo more , ſi non & ſtolidus ſum . Quoniam autem objurgandi finem non facitis , ſed ad priora certamina quidpiam ſemper adjicitis . . . . haec quidem Deo noſcenda ac judicanda relinquimus . . . . . tuae autem pietati denuntio , non manus dare &c. *Quod objurgatio propter fugam fuerit , non comperio : & quoniam iteratorum aliquoties certaminum meminit , quibus tandem cedens regendam Eccleſiam ſuſcipiat ; nullus dubito , quin ſi Eccleſiae Nazianzenae regimen haec reſpiciant , poſt mortem patris ſcripta Epiſtola ſit , magis tamen cenſeo reſpici curam Conſtantinopolitanae Eccleſiae , de qua ſuſcepta , agimus capite ſequenti .*

tius vos in noſtri contemptione laboretis, idque facimus precum veſtrarum auxilio ſuffulti, ſiquidèm etiam tu [ut ais & reſipſa demonſtrat] Eccleſiae praeeſſe gravaris : praeſtat enim his curis quam iſtis immori]. Haec Gregorius. Qui ea lege vicariam praefecturam Nazianzenae Eccleſiae, patre cogente, ſuſcepit, ut tantummodo his teneretur nexibus obligatus, dum pater ſuperſtes eſſet : eo autem ex humanis ſublato, liberum ſibi eſſe voluit quo vellet abire.

Reverſus tunc Nazianzum apologeticam aliam habuit orationem [1], quae ſic incipit : (Os meum aperui, & attraxi ſpiritum) &c. Ubi inter alia haec ſuos conteſtans, alloquitur : (Nunc quidem eum praeclaro parente curam hanc ſuſcipere non recuſo velut magnae aquilae & altiſſime volanti pullus non incommode a propinquo advolans : poſtea vero pennam meam Spiritui, quo volet, quomodo volet, ferendam dabo : nec quiſquam erit, qui me cogere, aut alíorſum traducere poſſit cum eo conſultantem). Et in fine. (Haec habui viri Nazianzeni, quae ſimplici animo, benevolentia pleno, ad vos dicerem. Habetis occultum animi mei conſilium.) Accidit poſt haec, quod in humanis accidere ſolet, & quod Evangelica veritas monuit, nullum Prophetarum eſſe ſine honore niſi in patria ſua, ut Nazianzeni, qui tantopere Gregorium abſentem exoptaſſent, jam praeſentem deſpicerent, infrequenteſque ad ejus conciones convenirent. Qua de re ipſe permotus, nonnihil expoſtulans, eam habuit (*a*) orationem [2], cujus eſt exordium : (Quid nam hoc fratres & amici, quod tam lente & ſegniter ad ſermonem noſtrum audiendum acceditis ; cum praeſertim in vi inferenda nobiſque ab arce noſtra extrahendis, hoc eſt a ſolitudine, ita prompti & alacres fuiſtis). Et alia multa ejus generis.

Ex hac Gregorii praefectura, qua adnitente Patre curam adminiſtrandae eccleſiae Nazianzenae ſuſcepit, nonnulli arbitrati ſunt, ipſum Nazianzenae Eccleſiae eſſe ordinatum Epiſcopum : adeoque id pervulgatum fuit, & de ea re fama increbuit, ut non tantum Gregorius Presbyter (*b*) in encomio id affirmet, ſed

(1) Orat. ad patrem.

(*a*) *Non video quare velit Hermant hanc orationem jam olim habitam fuiſſe, cum poſt Presbyteratum ſuſceptum fugiens, Nazianzum eſſet retractus ; multo minus cur prius habitam velit, quam diceretur tunc ſermo Apologeticus de fuga : cum in haec poſteriora tempora magis apte quadret.*

(2) Apolog. 2.

(*b*) *Credo hoc dici propter titulum*, Vita S. P. N. Gregorii Theologi, Epiſcopi Nazianzeni : *nam in ipſo encomio nil invenio*

ſed & ejus diſcipulus S. Hieronymus illum primum Saſimorum, deinde Nazianzenum eſſe ordinatum Epiſcopum dicat; quod & abſque aliqua dubitatione ceteri affirmarunt, ut Socrates, Ruffinus, Sozomenus (*a*), & alii omnes; immo & ejus adverſarii id ei dabant crimini, qui & eum ob contumeliam Triepiſcopum appellabant; cum jam Sedis Conſtantinopolitanae fuiſſet electus Epiſcopus. His omnibus adverſari temerarium videretur, niſi rem ipſam aliter ſe habere ipſiuſmet Gregorii certiſſimo teſtimonio exploratiſſimum haberetur. Sed ante haec noſſe debemus Nicaenos (*b*) Canones adverſari, quo minus quis viventi ſubrogetur Epiſcopus: quam quidem eccleſiaſticam ſanctionem Auguſtinus, qui Valerio viventi ſubſtitutus eſt, ſe aliquando ignoraſſe ingemuit. Hanc quidem ſacram regulam illibatam ſervavit noſter Gregorius, qui, ut vidimus, ad tempus tantum, donec pater viveret, eam Eccleſiam curandam ſuſcepit, ſicque & conteſtatus eſt publice. Qui & poſtmodum, dum de ſubſtituendo aliquem patri ageret, haec ſcribit ad Gregorium Nyſſenum [1]. (Inter omnes etenim conſtat, me non Nazianzi, ſed Saſimorum Antiſtitem creatum fuiſſe; tametſi patris reverentia, & eorum qui ſupplices apud me contenderunt, ad breve tempus praefecturam quaſi hoſpites accepimus) &c. Haec Gregorius poſtquam Conſtantinopoli profectus, in patriam rediit, ut patebit inferius. Eadem ad Philagium (*c*) poſtea ſcripſit.

Moritur interea (*d*) Gregorius pater, Epiſcopus Nazianzenus, cum ſediſſet annis quadraginta quinque, aetatis autem fere centenarius. Interfuit ejus funeri S. Baſilius, eoque praeſente in patris laudem Gregorius praeclaram habuit orationem. Supererat & ſancta mater Nonna, quam praeſentem eadem oratione pluribus eſt conſolatus, tamen haud poſt multum temporis

nie, unde circa Epiſcopatum ejus auctor erraſſe probetur: titulus autem excuſari poteſt, ſive quod auctoris non ſit, ſive quod conformis communiori uſui. Gregorium, *ut ab aliis ſynonymis diſtinguatur*, Nazianzenum *appellanti a patria & illius Eccleſiae adminiſtratione, quamvis glorioſiori cognomine in Eccleſiis* Theologus *diceretur: quod ipſi cum Joanne Evangeliſta ſoli fuiſſe commune, opportune notat Gregorius Presbyter.*

(*a*) *Ruffinus lib. 11. cap. 9. Socrates lib. 7. cap. 35. Sozomenus lib. 6. cap. 17.*

(*b*) *Canonem 8. intellige, & quae huc reſpicit Auguſtini Epiſtolam 10.*

(1) Ep. 42.

(*c*) *Eſt ea Epiſtola 65. ſed quam ad alia longe tempora referendam, poſtquam Conſtantinopoli rediviſſet Sanctus, pars prima docet, & ipſe Baronius infra num. 136. agnoſcit.*

(*d*) *Anno Chriſti 372. Baronius hanc mortem adſcribit in Annalibus num. 62. Hermant veroſimilius differt ad an. 373. ut inter baptiſmum & ordinationem majus temporis ſpatium inveniat: Idem putat, quod licet colatur Sanctus in Januario, obierit tamen menſe Martio vel Aprili: cujus opinionis fundamentum quod habeat, necdum comperi.*

ſpatium ſupervixiſſe (*a*) videtur ex his, quae ſcribit in carmine de vita ſua: ubi & quid poſt parentum obitum egerit, docet his verſibus.

[Poſtquam parentes vita exceſſiſſent mei... [1]
Jamque ipſe liber factus eſſem incommode,
Eccleſiam non amplius attigit mihi creditam,
Ut nec vel unicum ſacrum obtulerim Deo (*b*),
Preceſque populo junxerim ſaltem ſemel,
Vel Clericorum imponerem alicui manus.
Sed quod precatu ſupplici quidam pii
Multum obſecrarent, per Deum & per quae meus
Inferret abitus damna, curam perbrevem
[Haud diffitebor] patriae ut externae gerens,
Non deſinebam obnuntiare Epiſcopis,
Magnique id ipſum muneris petere loco;
Ut civitati ponerent Epiſcopum:
Verum quod eſſet indicans, me Eccleſiae
Nulli obligatum publico praeconio.
Deinde quod dudum mecum decreverim
Fugitare amicos pariter atque negotia...
Cum non parerent; ob amorem partim mei
Me detinentes, partim ob inſolentiam;
Primum Seleuciam fuga me recipio,
Domicilium laudatae Virginis Theclae.
Fortaſſis, inquam, ſic obtemperaverint,
Tandemque feſſi deligent Antiſtitem,
Nec tempus exiguum (*c*) ſane hic exegimus.
At poſteaquam reverſus ad clades meas,
Non reperi expectati prorſus aliquid boni:
At, quod putabam me effugiſſe, negotii
Velut ex compoſito vim quamdam (*d*) vel maximam.

CA-

(*a*) *Idem Hermant obiiſſe* S. Nonnam *putat, vel hoc ipſo anno menſe Auguſto, quo colitur, vel ſaltem anno ſequenti* 374. *quando Seleuciam abiit Sanctus.*

(1) De vita ſua.

(*b*) *Interpretatio nova Billii* Saſimenſem Eccleſiam, *hic nominat, eo forte, quod apud Gregorium in Vita ſic legerit:* Fecunt autem eum nec oblationem, nec ordinationem, nec quidquam aliud eorum, quae apud Epiſcopos in more & inſtitutione poſita ſunt, peregiſſe. *Verum de Nazianzena Eccleſia in carmine, agi nimis clarum eſt: ab ejus enim onere exolutum ſe per mortem patris putabat: curam Saſimenſi, nunquam ſe crediait obligatam, quod non eſſet ad conſuetam Cleri & plebis illius poſtulationem ordinatus.*

(*c*) *Exiſtimat Hermant uſque ad annum* 379. *Seleuciae manſiſſe Gregorium: nihil certe eſt quod cogat citius eam redacere.*

(*d*) *Ea negotia quae fuerint ex Epiſtolis poſſemus haud dubie definire, ſi eo tem-*

C A P U T X.

Poſt obitum S. Baſilii Conſtantinopolim evocatus Gregorius, refutandis haereticis, Theologi nomen acquirit.

AD cumulum afflictionum Gregorii acceſſit morbus, itemque amantiſſimi Baſilii obitus, de quo hic ad Eudoxium ſcribit [1]: (Quaeris quo ſtatu res noſtrae ſint? Admodum acerbo, Baſilium non habeo; Caeſarium non habeo, fratrem meum ſecundum carnem & ſpiritum: Pater meus & Mater mea dereliquerunt me, ut cum Davide loquar; corpus adverſa valetudine laborat, ſenectus caput premit, curae aliae aliis intexuntur; incurſant negotia, infidi amici, Eccleſiae res paſtore & gubernatore carent, pereunt bona, nuda & aperta ſunt mala, navigatio in nocte, fax nuſquam, Chriſtus dormit. Quid faciam? Una mihi malorum depulſio mors. At res alterius vitae mihi formidoloſae ſunt, ex hujus vitae rebus conjecturam ducenti [2]). Haec Gregorius: qui & de Baſilii obitu Gregorium Niſſenum ejus fratrem conſulatus eſt litteris his: (Hoc quoque aerumnoſae huic vitae reliquum erat, ut Baſilii mortem audirem, ſanctaeque illius animae peregrinationem: qua a nobis peregre profectus eſt, ut praeſens ſit apud Dominum, utpote toto vitae curriculo hoc munus meditatus. Mihi quoque praeter alia hoc quoque ereptum eſt, quod etiamnum gravi & periculoſo morbo laborem, ut & ſanctum cinerem exoſculer, tibique praeſto ſim convenientibus muneribus perfungenti, communibuſque amicis noſtris conſolationem adhibeam. Nam Eccleſiae ſolitudinem intueri, ejuſmodi gloria detonſae & ſpoliatae, atque ejuſmodi corona excuſſae, tam grave eſt, ut nec oculis ſpectari, nec auribus concipi poſſit a cordatis utique & prudentibus viris. Tu vero, quamquam & amici multi & ſermones ad conſolationem tibi, tamen a nullo perinde mihi ſolatium capere poſſe videris, quam a te ipſo, illiuſque recordatione; quippe qui aliis quoque omnibus phi-

tempore mortis fuiſſet familiares Epiſtolas notare nominibus Conſulum vel annis Imperatorum: nunc divinare non lubet. Gregorius Presbyter in Vita addit, quod tametſi plebs cum lacrymis ipſum obſecraret, veroſimiliter, ut ſuus fieri Epiſcopus vellet, precibus tamen minime flectitur: ſed firmus & immobilis manet, non ſecus ac quercus ventorum impetus inconcuſſa excipiens.

(1) Epiſt. 40.

(2) Epiſt. 37.

philoſophiae exemplum fueritis, ac velut amuſſis quaedam ſpiritualis, tam moderationis in rebus ſecundis, quam tolerantiae in rebus adverſis: quandoquidem duo haec novit philoſophia, nimirum & proſperitate modeſte uti, & calamitatem honeſte ferre. Atque haec a nobis ad praeſtantiam tuam ſcripta ſint. Me vero haec ſcribentem quod tempus, quae ratio conſolabitur, praeter tuam ſocietatem & congreſſionem, quam beatus ille vir pro omnibus rebus nobis reliquit? ut virtutes illius in te, quaſi in pulchro & perſpicuo ſpeculo intuentes, illum quoque habere exiſtimemus).

Haec Gregorius ad Gregorium Nyſſenum: idemque, cum de infirmitate, qua detinebatur, aliquantulum allevatus eſſet, nobiliſſimam illam panegyrim in laudem Baſilii conſcripſit, qua vitam ejus exacte monumentis perpetuis conſignavit. Teſtatur idem de Baſilio ſaepe per viſum ſibi apparente atque monente, cum ait, (Nunc quoque ab eo admoneor, & per nocturna viſa caſtigor, ſi quando ab officio receſſero). Haec ipſe (*a*). Quod autem ſpectat ad tempus mortis Baſilii, iterum dicimus hallucinari plane auctorem illum vitae Baſilii, qui Amphilochius falſo inſcribitur, cum ait Baſilium anno quinto Valentis Imperatoris ex hac vita migraſſe. S. Hieronymus teſtatur ipſum vita functum imperante Gratiano, cum ſcilicet extincto (*b*) Valente, ſolus Gratianus, tam Occidentalis, quam Orientalis moderaretur habenas Imperii, nondum aſcito ſibi Collega Theodoſio, Coſſ. Valente ſextum & Valentiniano juniore iterum, anno a Chriſto trecenteſimo ſeptuageſimo octavo, ſecundum recentiorum veriorem ſupputationem. His aſſentiuntur, quae ſcribit Gregorius Nyſſenus ad Olympium monachum, tum ante novem men-

(*a*) *Hanc panegyrim habuit Gregorius tertio, vel potius quarto poſt obitum Baſilii anno. Excuſant enim in exordio tarditatem hujus officii*, in verae doctrinae periclitantis negotio, *inquit*, interim occupati fuimus, pulchre coacti & propter Deum ἴσως ἔκδημοι, tantum non extranei effecti, *ſcilicet a Cappadocia: quod neſcio quomodo intelligi poſſit, niſi de triennio, quod in fidei cauſa Conſtantinopoli egit Gregorius. Nam in Antiocheno Concilio, ſi praeſens fuit, nulla vi compulſus eo acceſſit: ad profectionem autem Conſtantinopolitanam coactum ſeſe importunitate ſupplicantium ubique ſignificat. Scripſit praeterea* in Magnum Baſilium epicedia ſeu epitaphia, *quae inter carmina ejus locum 64. habent, in quorum fine dicit ſe ejus cineri offerre* anagcammationem duodecada, *quod neſcio an alio ſpectet: nam carmen praedictum omnino viginti ſex diſtichis conſtat.*

(*b*) *Extinctus eſt Valens an. 378. die 9. Aug. poſt quem obiit Baſilius 1. Jan. atque adeo initio an 379. uti oſtendimus ad vitam S. Petri fratris 9. Januarii num. 9. Idem nobiſcum ſentit Labbe in Synopſi Chronologica: qui proinde debuiſſet in noviſſima Conciliorum editione corrigere Binium, circa annum Concilii Antiocheni, 9 menſibus poſt Baſilii obitum celebrati, & tamen anno 377. adſcripti, duplici errore.*

Digitized by Google

menſes a Concilio Antiocheno, quod ſtatim (*a*) poſt Valentis Imperatoris occubitum eſt celebratum, ex vita migraſſe. Mentio habetur ejuſdem Antiocheni in Synodica Concilii Conſtantinopolitani ad Damaſum Papam & alios Occidentales Epiſcopos.

Cum autem in eadem Synodo præcipui quidam Orthodoxi Epiſcopi legarentur ad reſtituendas collapſas Orientales Eccleſias; inter eos Gregorius Nyſſenus & Euſebius (*b*) Samoſatenſis, ad illud munus obeundum delecti ſunt; & Gregorius noſter, ejuſdem Synodi decreto, jubetur proficiſci eadem ex cauſa Conſtantinopolim. Ipſe enim teſtatur, ſe non ſponte; ſed ab Epiſcoporum Synodo [1] illuc fuiſſe amandatum; accerſitum inſuper ab Orthodoxis, qui erant Conſtantinopoli, cum ait: (Huic orationi teſtimonio ſum ego ipſe, qui haec dico. Cum ſupra res adſpectabiles poſitus eſſem, ac mente cum ſolis intellectibilibus verſarer, abjecta gloria, poſſeſſionibus, ſpe, doctrina, delicias ex eo ipſo capiens, quod delicias nullas ſectarer; & exiguo pane contentus, jucundam vitam agerem, ab omni petulantia liber; praeter omnem ſpem a bonis his abreptum me quiſpiam longe abduxit. Et quis ille fuerit, dicere non habeo; Divinus (*c*) ne ſpiritus, an peccata mea, ut elationis poenas darem: Hoc quidem manifeſtum eſt, impuliſſe me huc Paſtorum conventum & populum recte ſentientem, qui tamen necdum amplus & copioſus erat) [2]. Haec ibi Gregorius, qui & alibi: (Sic contuli me huc non volens, ſed a viris cogentibus deceptus, ut Verbi Dei patronus eſſem). Et in oratione, quam habuit tunc ad Arianos, haec habet: (Ego parvulus ille, obſcura & ignobili patria natus, ad vos aceſſi, idque non ultro nec me ipſum offerens, ut moris eſt hodie pleriſque, qui ad Eccleſiae gubernacula temere proſiliunt, ſed accitus ac vi compulſus, ac timo-

(*a*) *Ine, ut ex jam dictis patet,* integro anno poſt: *Favet Socrates lib. 5. cap. 4. quando poſt narratum evectionem Theodoſii*, quae facta eſt 16. *Januarii* 379. *primum incipit loqui de iſto concilio. Binius cum legiſſet in Baronio quod Valens anno* 377. *Antiochia exiens (factum id in fine Septembris) exules orthodoxos revocaſſet, eidem anno adſcripſit Concilium, quaſi tunc eſſet habitum, non advertens, quod ipſum ſic praeceſſiſſet mortem Baſilii, quem ipſe ſaltem cum Baronio mortuum ponit initio anni* 378.

(*b*) *Quod reverſus ab exilio Euſebius varios ordinarit Epiſcopos, habemus apud Theodoretum lib. 5. cap. 4. quod id fecerit ex auctoritate ſibi data in Synodo Antiochena, nuſquam invenitur, nec eſt veroſimile: multo minus ex ullo capite probatur id de Gregorio Nyſſeno: qui ſolum dicit ei conventui ſe interfuiſſe.*

(1) Carm. idem Epiſcopis.

(*c*) *In carmine de vita ſua. Divino Spiritui ſine haeſitatione rem tribuit:*

> Ad hos ---- *paucos ſcilicet Conſtantinopoli fideles,*
> Me miſit almus ſpiritus, ἡ χάρις τοῦ πνεύματος.

(2) De vita ſua.

timori ſpirituique obſecutus. Quod ſi falſa loquor, hoc mihi pro ſceleris poena imprecor, ut diutius hic belli moleſtias incaſſum ſuſtineam, nec quemquam errore liberem, ſed voti ſui compotes fiant, qui animae meae ſterilitatem imprecantur). Haec Gregorius de ratione adventus ſui.

Quonam autem potiſſimum tempore (quo rerum omnium certa ratio habeatur) Conſtantinopolim venerit, diligenter inveſtigare operae pretium ducimus. Eſt quidem ejus rei non levis difficultas, ex diverſis diverſorum ſententiis. Gregorius Preſbyter in encomio, quo texit vitam Gregorii, duodecim annis ipſum commoratum eſſe Conſtantinopoli ſcribit. Rurſus autem Nicephorus Epiſcopus in Chronico, eum annis duodecim praefuiſſe Conſtantinopolitanae eccleſiae tradit. Horum ſententia dicere opus eſſet, Gregorium illuc acceſſiſſe anno ſexto (a) Valentiniani & Valentis Imperatorum. Nam peracta Synodo OEcumenica Conſtantinopolitana, anno tertio (b) Theodoſii Imper. Syagrio & Euchario Coſs. inde receſſiſſe conſtat (c). His quidem cuncta, quae ſuperius diximus, adverſahtur [1]: Rufinus autem, qui iiſdem temporibus vixit, aperte profitetur, Gregorium reddita pace Eccleſiae, Conſtantinopolim ad Eccleſiam docendam veniſſe: quam quidem pacem non niſi ultimo anno Valentis Imperatoris, quando, ut ait Hieronymus, Valens ſera poenitentia orthodoxos ab exilio revocavit, vel quando proxime ex hac vita ſublatus eſt, reſtitutam eſse, nullus ignorat. His accedit ipſius Gregorii de ea certiſſimum teſtimonium, dum in carmine de Epiſcopis haec ait, eos conteſtans: (Quid improbum, quid vobis contrarium, quid noxium vel verbis protuli, vel re deſignavi toto hoc triennio?) &c. Ex quibus omnibus certum & exploratum habetur, non ante Valentis obitum ipſum profectum eſse Conſtantinopolim, ſed anno ſequenti, Antonio Gallo & Olybrio Coſs. qui numeratur a recentioribus annus a Chriſto trecenteſimus ſeptuageſimus nonus.

Erant

(a) *An. Chr. 369.*
(b) *An. 381.*

(c) *Huic ſuae ſententiae inhaerens Gregorius Presb. de Nazianzeni profectione ſic ſcribit, eam ſuſceptam*, Baſilio, luminari illo magno, faces ſuadente atque ad ſpiritualia certamina ipſum, *Gregorium*, inungente: *quod videtur ille ſumpſiſſe ex praecitato de Baſilii laudibus loco, ubi Gregorius, excuſans quod cauſa fidei peregre abfuerit, idque ſerius ad laudandum Baſilium acceſſeriti addit, quod hoc non videatur ἀπογνώμως*, praeter mentem, generoſo iſti veritatis pugili *accidiſſe*, qui nihil ita ſpiravit ac veram & totius Mundi ſalvificam doctrinam. *Ceterum potuit hoc etiam commode dici de Baſilio jam e vivis ſublato, quod ſuſceptam peregrinationem & tardiorem ob id laudationem gratam habeat vel e coelis.*

(1) Rufin. hiſt. l. 2. c. 9.

Erat tunc ille miſerandus ſtatus Eccleſiae Conſtantinopolitanae, ut fides Catholica, Arianorum furore concuſſa, ac pariter excuſſa videretur. Jam antea, imperante Conſtantio, diſperſis fugatiſque Orthodoxis ac caeſis, Pauloque Catholico Epiſcopo tot exiliis fatigato, ac demum laqueo ſuffocato, cunctas ſibi Eccleſias vindicaverant Ariani. Valente Imperatore denique, ipſoque Ariano & Arianorum patrono, Evagrius Epiſcopus agitur in exilium, ac Clerici, qui erant Catholici, ejuſdem Principis juſſu in mari, incenſa navi, cremantur. Vix tandem pauci aliqui, qui clanculum Sanctiſſimam Trinitatem colerent, remanſerant; iique, quamvis reddita pace Eccleſiae, caput erigere non praeſumebant; cum adeo Arianorum factio invaluiſſet, ut pacis etiam tempore in orthodoxos turbas cierent, inſolenterque ſe in eos efferrent; vixque tandem, ne orthodoxos infeſtarent, Imperatoris edictis militibuſque valuerint cohiberi. Ejuſmodi erat facies illius Eccleſiae, cum noſter Gregorius, ut illi ſuppetias ferret, ad eam ſe contulit (*a*). Veniens itaque Conſtantinopolim, a cognatis quibuſdam ſuis hoſpitio excipitur. De quo ipſe haec ait [1]: [Domus quaedam pia, amore Dei flagrans, non ſecus atque Heliſaeum Sunamitidis domus reficillavit, hominum corporis ſpirituſque cognatione mecum conjunctorum, ac ſingulari pietate praeditorum: apud quos hic populus compactus eſt, cum furtim orthodoxam fidem perſecutionibus vexatam atque afflictam, hauriret, nequaquam libere & ſine periculo. Reddat illi Dominus in die retributionis]. Haec Gregorius.

(*a*) *Inter eos qui ad ſuſpiciendam Eccleſiae Conſtantinopolitanae curam coegerint Gregorium, Hermant fuiſſe putat ſupra laudatum Boſporium Epiſcopum Colonienſem in Cappadocia; cujus epiſtolas, huc veroſimiliter ſpectantes, alieno tempore productas jam habes ſuperius: item Theodorum quemdam, recenter factum Epiſcopum: huic certe in hunc modum ſcripſit, cum de ejus depoſitione Conſtantinopoli ageretur.* Ego receſſi ab eccleſia quae Nazianzi eſt, neque ut negligens Dei, neque ut deſpiciens parvum ovile (abſit enim ut id patiatur animus philoſophicus) ſed primum quidem ut nullo praeconio tali obligatus; ſecundo quia imbecillitate conſumptus, & quod ejuſmodi curis non videbar ſufficere, *quae de receſſu Seleuciam intellige*: poſtquam autem vos id gravate ferre monſtrabatis, factum coarguentes; nec ipſe jam ferebam vociferationes omnium ad me factas, quia difficile tempus minabatur adventum inimicorum in publicum damnum totius Eccleſiae; tandem victus ſuccubui cum gravi damno corporis, animae fortaſſis incommodo non magno. Tradidi humile hoc corpus Eccleſiae, quoad uſque uſui eſſe poterit; optabilius eſſe exiſtimans quidlibet perpeti carnaliter, quam ſpiritualiter percelli & percellere multos. *Eſt quidem in Graeco* ἐπιδίδωμι trado, *ſed quod praeteritum tempus ſpectet ſcribentis intentio, patet ex eo quod ea epiſtola indicat Theodoro* infamiam, qua, *inquit*, affecti ſumus a Dominis Epiſcopis per quorumdam ſuffragia, ad res quidem conſtituendas conſpirantium, ſed nos repellentium.

(1) In Maximum.

Fuit hic ille locus exiguus, quem ob reſtitutam in eo fidem Catholicam, Anaſtaſiam appellavit. Haud enim aſſentimur Gregorio Presbytero, qui Anaſtaſiam illam antea appellatam eccleſiam putat; ab Arianis autem derelictam, in contemptum habitam ob loci anguſtiam (*a*). Nam illam fuiſſe domum privatam, & ab effectu, quod collapſa fides illis excitata eſt, dictam eſse Anaſtaſiam, ipſe Gregorius ſaepe teſtatur: Ut inter alia. (Illa, inquit, primum Dei verbum, quod prius in radicibus manebat, ad ſupremum montis cacumen evexit, ob idque Anaſtaſiae nomen adepta eſt; Anaſtaſia, inquam, illa laborioſae manus meae inſigne opus) (*b*). Et alibi. (Vale, inquit, Anaſtaſia, nomen a pietate habens: tu enim nobis fidem adhuc conceptam excitaſti). Haec Gregorius, qui eamdem ob anguſtos loci ambitus Bethlehem dicere conſuevit. Eamdem Eccleſiam auctam ac Dei Genitrici dicatam fuiſse, tradit Sozomenus his verbis [1]: Tenebant autem illic adhuc Arii ſectatores eccleſias, quibus praeerat Demophilus: Gregorius vero Nazianzenus praeſidebat iis, qui Trinitatem Conſubſtantialem profitebantur. Is in exigua quadam cellula coetum ſuum colligebat, quae per quoſdam ſuae fidei homines tum ipſis, tum iis, qui conſimilem Religionem amplectebantur, in domum precatoriam conſtructa erat. Sed eadem poſtea, templum urbis effecta eſt prae ceteris illuſtre: eſtque non ſolum ſtructurae elegantia & majeſtate, ſed evidenti quoque Divinae apparitionis utilitate conſpicuum. Etenim divina vis manifeſte hic apparens, tum per ſe, tum per ſomnium, ſaepe multis, qui & morbis & variis rerum caſibus affligebantur, opem tulit: creditum autem eſt hanc eſse ſacram Virginem Mariam, Chriſti Matrem, ſic enim apparet (*c*). Porro hanc eccleſiam Anaſtaſiam appellabant, quod nomen Reſurrectionem ſignificat; ob id, ut ego quidem puto, quod Niceni Concilii dogma, Conſtan-

(*a*) *Teſtes citat Gregorius eos* qui antiquum illud templum viderunt. *Sed hi de loci anguſtiis teſtari potuerunt, non item ipſum fuiſſe locis ſacris annumeratum ante adventum S. Gregorii: ſic enim loquitur oratione* 28. Reſocillavit nos, non ſecus ac Eliſaeum domus Sunamitidis, quaedam pia domus hominum, corporis ſpiritusque cognatione mihi conjunctorum, apud quos hic quoque populus compactus eſt, cum adhuc furtim nec ſine periculo coleret pietatem. *Hoc autem ubi etiam publice iis facere licuit, tum ſcilicet primum laxatus nonnihil locus eſt, & Anaſtaſia vetus conſtructa.*

(*b*) *Sumpta ſunt haec ex Carm. 9. cui titulus*, Somnium de Anaſtaſia, quam Conſtantinopoli fundavit. *Hanc ſibi diu noctuque obverſantem in illo poemate deſcribit, lugens* noviter fundatam eccleſiam, quam nunc, *inquit*, alius poſſidet, fructum laborum meorum.

(1) L. 2. c. 5.

(c) *Graece* ταύτῃ γὰρ ἐπιφαίνεται ἡ *quod Chriſtophorſonus, neſcio quo raptus, vertit*, in cujus honorem templum conſtructum conſpicitur.

ſtantinopoli per diverſam docentium potentiam collapſum jam, atque ut ita dicam inter mortuum, per Gregorii praedicationem hic reſuſcitatum ſit, atque revixerit; ſeu potius (ut a quibuſdam audivi, qui ſe rem veram referre aſſerebant) quod congregato ad concionem populo, gravida mulier e ſublimi porticu delapſa, hic expirarit, eademque factis ſuper ipſa communibus omnium precibus, revixerit, & una cum foetu ſalvata ſit. Itaque ex miraculo divinitus edito, deinceps iſtam appellationem locus ille ſortitus fuerit). Hactenus Sozomenus.

Erant ibi olim Gregorii [1] tempore, ob loci anguſtiam, tabulata ſurſum erecta, porticuum inſtar conſtructa, in quibus feminae ſtantes audirent verbum Dei: unde idem alibi: (Sanctae Virgines una cum gravibus matronis e ſublimi tecto caſtiſſimas ſermonibus meis aures inclinabant), &c. Ex ea enim ſublimitate illam putamus collapſam eſſe mulierem, cujus meminit Sozomenus. Vaticinatus eſt autem de domuncula illa Gregorius, ſemel futurum eſſe, ut in auguſtiſſimam baſilicam creſceret: quod impletum eſt per opulentiſſimum virum Marcianum (*a*), qui patrimonium ſuum ad opus illud erogavit, Preſbyter ordinatus & ſanctitate celebris, de quo miranda feruntur [2]. At quoniam ejuſdem nominis fuit Martyr inſignis Anaſtaſia dicta, cujus reliquiae, ut ſcribit Theodorus Lector, in eamdem baſilicam ſunt allatae, & in ejus natali die (*b*) ea baſilica eſt dedicata; factum eſt ut ibidem eadem Martyr praecipue coleretur.

(1) In ſomn. (2) In collect. lib. 2.

(*a*) *Vitam* S. Marciani Presb. *dedimus 9. Januarii, ubi haec quadamtenus illuſtravimus: non tamen explicuimus, quomodo potuerit eam Baſilicam ſic condidiſſe praelaudatus Sanctus, qui ultra an. 458. vixit, & illius ut conditi meminiſſe Sozomenus, qui hiſtoriam ſuam dedicavit Theodoſio Juniori, nec ultra annum 450. vitam protraxit. Inſolubilem hunc nodum eſſe Hermant credidit: ſed obſervo S. Marciano credit m fuiſſe Sacerdotium* admodum juveni, *quoque mortuis mox parentibus coeperit in opera pia expendere opes ſibi ab eis relictas: primum autem fuit Anaſtaſiae conſtructio. Quare, ſi Marcianus hic grandaevus obierit, puta 70. vel 80. annos natus (quod Vita, per Sergium coaevum ſcripta & in ſupplementum Januarii reſervata, habet), potuit baſilicam iſtam aedificaſſe circa annum 425. annos natus 30. vel 40. & qui dedicationi ejus interfuerant Imperatores, dicentur fuiſſe non* Leo & Verina, *uti Bollando noſtro tunc viſum; ſed* Theodoſius Junior, *ejuſque uxor* Eudocia, *ac ſoror* Pulcheria. *Itaque libertatem ſumpſimus delendi ex Baronii contextu ea verba, quibus praedictionem S. Gregorii impletam fuiſſe ſcripſerat* Imperante Marciano Auguſto. *Nam quod hujus tempore, id eſt poſt annum 450. floruiſſe dicatur, id eo pertinere arbitror, quod ſub extremos hujus Imperatoris ac vitae ſuae annos primum factus ſit magnae eccleſiae OEconomus, qui eatenus in S. Anaſtaſia exercuerat Sacerdotales functiones, diu ante, uti ex vita colligitur, & in juventute ſua ordinatus Preſbyter. De quo plura vide 15. Maii ad Acta S. Iſidori Martyris, cujus reliquias tranſtulit ad aedem S. Irenes a ſe coeptam aedificari.*

(*b*) S. Anaſtaſia colitur a Graecis 22. *De-*

Haec jam ſatis de Anaſtaſia: jam ad Gregorium redeamus, qui tam anguſto foramine, perinde ac ſi in latiſſimo campo, ſic adverſus fidei hoſtes certabat, ut ampliſſima de illis trophea erexerit. Ibi etenim, ut expertiſſimus miles, uno rotatu gladii, circumcirca poſitos haereticos, Arianos, Macedonianos, Photinianos, Marcellianos, Sabellianos, Apollinarianos, ac Novatianos, perurgebat profligabatque. His etenim e portis inferi eductis legionibus, & Conſtantinopoli velut in ſtativis collocatis, antiquus hoſtis fidem Catholicam oppugnabat. Erant manus ejus contra omnes, ac manus omnium contra eum, ſicque exaltata ſunt opera Dei, ut unus non tantum mille fugaret, ſed & decem millia. Extat adhuc appenſus in eccleſia pallio involutus poſt Ephod gladius ille, quo noſter Corypheus manu fortis, Philiſtinorum turmas in fugam vertit. Extant, inquam, ſublimes orationes illae Gregorii praetioſiſſima Dei Eccleſiae ſuppellectilia, quibus praedictas haereſes oppugnavit, inter quas illae celebriores habentur, quae de Theologia ſunt inſcriptae; quibus ſicut quinque myſticis lapidibus limpidiſſimis illis armatus David, parta victoria meruit fauſta acclamatione decem millia ſibi dari, ita ipſe, proſtrato hoſte Catholicae fidei, nomen ſibi Theologi comparavit: quod licet commune ſit multis, ipſi tamen praecipue debitum, Dei Eccleſia, velut quoddam triumphale nomen atque egregium ornamentum, peculiariter tribuere ei conſuevit.

Jam autem ejus res geſtas Conſtantinopoli proſequamur, eritque jucundiſſimum non tantum nobiliſſima ejus acta recenſere, ſed etiam cogitata in medium adducere. Cum etenim res Arianorum florentes conſpiceret, Catholicorum autem prorſus dejectas atque proſtratas, hiſce tamen ſe cogitationibus ſolabatur. [1](Hi, inquit, mecum cogitans ajebam, domos habent, nos inquilini ſumus: hi templa, nos Deum, idque praeterea, quod Dei vivi templa ſumus, victimae vivae; holocauſta ſpiritualia, ſacrificia perfecta, Dii denique Trinitatis adoratae beneficio. Hi vulgus habent, nos Angelos: hi temeritatem & audaciam, nos fidem: hi minas, nos preces & orationes: hi feriendi inſolentiam, nos patientiam; hi aurum & argentum, nos purgatam fidei doctrinam. Feciſti tibi, ut cum Scriptura loquar, duplices, & triplices contignationes, domum feneſtris diſtinctam,

Decembris, a Latinis 25. his proprium diem ſervantibus; ipſis, ut liberum habeant Natalem Domini, eum anticipantibus.

(1) Orat. ad Arianos.

ctam, at haec fide mea nondum ſublimiora ſunt, coeliſve, ad quos excelſus feror. At mihi grex exiguus, ſed ad praecipitia non fertur: at anguſta mihi caula; ſed interim lupis inacceſſa, & latrones non admittens, atque ejuſmodi, ut nec a furibus, nec ab extraneis tranſcendi queat. Nec dubito, quin eam quoque aliquando latiorem perſpecturus ſim. Multi enim ex his, qui nunc in luporum numero ſunt, a me inter oves recenſebuntur, ac fortaſſe etiam inter paſtores. Haec mihi ſpecialiter annuntiat Paſtor ille bonus, propter quem ego animam meam pro ovibus pono) (*a*). Haec Gregorius mente revolvens ac futura praevidens, haud falſus vates inventus eſt.

C A P U T XI.

Arianorum injuriae toleratae, pervicacia ſuperata a modeſtiſſimo in omnibus Gregorio: hujus diſcipulus S. Hieronymus.

INſtans Gregorius verbo doctrinae, cum in dies magis magiſque proficeret, eo acrius in ſe odium Arianorum concitavit; qui primum illum ſpernentes ac in deriſum habentes, ſcommatibus atque dicteriis illudebant ſancto viro exprobrabantque quod peregrinus, quod ignota ac parva oriundus civitate, quod aſperioribus indueretur veſtimentis. Addebant ruſticitatem, vultus inelegantiam (*b*), meretriciam dicendi artem; ſic enim admirabilem ejus eloquentiam appellabant deridebantque. Hinc contemptus & deriſio, furor deinde arma miniſtrat. Nam ut olim Judaei in Stephanum, ſic illi, cum non poſſent reſiſtere ſapientiae & ſpiritui qui loquebatur, ſtridentes dentibus in eum, tulerunt lapides, quos jecerunt in eum. Cuncta haec pluribus refert ipſe Gregorius, vel cum pro concione Arianos allo-

(*a*) *Hermant addit etiam virtutem ſignorum, eo quod Carm.* 60. *de ſe fateatur, quod* inclinantium ſe capitibus manus imponens, etiam morborum medicus vocaretur: *& iterum Carm.* 61. quod prolato Chriſti nomine ſaepe Daemones ejecerit, *quare ejus humilitati adſcribit, quod dicat ſe pro eloquentia uſurum fuiſſe muta fide contra haereticos, ſi, tamquam Apoſtolorum unus, facundiae loco habuiſſet gratiam miraculorum. Verum, quod tempora ſuae apud Conſtantinopolim commorationis intellexerit Sanctus, quando curatorum morborum & daemoniorum expulſorum meminit, facilius praeſumitur, quam probatur.*

(*b*) *Singula diſtincte proſequitur orat.* 27. *nec obliviſcitur objectam ſibi* membrorum contractionem ab aetate & morbo; *aetatem utique in noſtra ſententia annorum* 80. *tunc habens; juxta alios vero nequidem annorum* 55. *quod notatu dignum videtur.*

alloquitur, vel Conſtantinopoli receſſurus, ſuis ad memoriam revocat, ut cum ait: (Filioli depoſitum quaeſo cuſtodite, mementote lapidationum mearum). Et alibi [1]: (Domine ne ſtatuas illis hoc peccatum, dicebam: nam opportuna Stephani verba in mentem venerunt, & nunc eadem vota facimus; maledicimur, & benedicimus; perſecutionem patimur, & ſuſtinemus; blaſphemamur, & obſecramus). Haec ibi. Rurſus etiam in carmine de vita ſua his verſibus:

> [In multa, cum veniſſem, incommoda incidi.
> Efferbuit primum contra me civitas,
> Quaſi qui Deos plures pro uno introducerem.

Et paulo poſt.

> Non jam recenſebo lapides, epulas meas, (a)
> Quos non petiiſſe recta me ſolum queror;
> Nec adſecutos, falſo ut caeſus dicerer.]

Poſt haec autem haereticorum calumniis, ut reus caedis, judicio poſtulatur; atque vinctus, ad Ethnici Praetoris tribunal, cau-

(1) Ad 150. Epiſcopos.

(a) Monachos ac pauperes *fuiſſe, qui hanc ſibi injuriam intulerint, Sanctus aſſerit, ad amicum ea gravius commotum ſcribens Epiſt.* 81. Gravia ſunt, *inquit*, & graviſſima quae contigerunt: quis enim inficias eat? Nimirum & contumeliam altaribus illatam eſſe, & conturbata myſteria; & nos, inter ſacra quibus opera dabatur, & eos qui ſaxis nos impetebant, interjectos, adverſus lapidum jactus medicinam a Deo petiiſſe; virginum pudorem in oblivionem veniſſe; monachorum modeſtiam, pauperum calamitatem, quos animorum auſteritas miſericordia quoque privarat. *Hi nimirum conglomerati vim intulerunt; ad quam inſtructi & mutuo ſe cohortati fuiſſe videntur in choro eccleſiae ipſius magnae: ſic enim loquitur Orat.* 49. *tumultu illo ſedato*: Chorus ille diaboli propugnaculum erat: hic exercitum ſibi conſtruxerat, ac defenſores & ſatellites ſuos in eo collocarant: hinc pravus furiarum exercitus adverſus Eccleſiam debacchatus eſt; ſic enim ut feminas illas appellem adducor, quae ſupra naturam ad malum viriles ſe praebebant. *Deinde cum rei geſtae ſpeciem aliquam objecturus auditoribus, repraeſentaſſet ſibi picturam baccantium Menadum*, hujuſmodi, *inquit*, noctis illius narrationes ſunt. Feminae, in ſexus ſui dedecus ac probrum cognitae, conſuetam atque uſitatam inter feminas modeſtiam abjicientes, per mediam urbem pompam agebant, manus ſaxis ſcutorum loco armantes, atque extra divina ſepta protectae, in ſacra cathedra Corybantem ſuum collocarunt. Ac deinde crapula & vinum, atque ex locis colendae pietati conſecratis, panes, & nox, & promiſcua converſatio, cunctaque ea quae Apoſtolus dicere vetat, his verbis utens. Quae occulte ab iis fiunt, turpe eſt dicere. Quis enim exacte verbis complecti queat ignem, lapides, caedes, vulnera? quonam modo ſacrarum aedium cultores radicitus evertere contenderunt? quonam modo media in urbe quemdam veritatis zelo flagrantem fuſtibus confecerunt, cujus veram caedem patratae caedis opinio prohibuit? *Haec omnia exiſtimat Hermant commiſſa eſſe in Anaſtaſia Gregorii, irrumpentibus in eam Arianis, ipſa nocte Paſchali, quae anno* 379. *cadebat in* 19. *Aprilis. Remittit autem ad annot.* 1. *in cap.* 26. *lib.* 8. *quam ibi redditurus afferti ſui rationem. Sed deficientibus ad calcem, neſcio quo caſu vel qua ex cauſa annotationibus omnibus inter cap.* 25. & 33. *illius libri* 8. *contentis, non poſſumus ſcire, quo nixus ſit ad paſchale tempus deſignandum, fundamento.*

cauſam dicturus adducitur, cum ille innocens, ſic effatur: [Propter nomen tuum Chriſte, etſi ambulavero in medio umbrae mortis, non timebo mala, quoniam tu mecum es.] Illi aſſiſtens, intrepide detectis adverſariorum calumniis [1], liber abire jubetur. Haec ipſe Gregorius his verſibus:

[Poſt ut reus caedis dedor Praetoribus,
Sublime quid vultu praeſeferentibus,
Queis una lex propoſita erat plebis favor.
His trador, haud ullo perpetrato malo
Nec cogitato, ut diſcipulum Chriſti decet.
Et aſtitit mihi advocatus optimus
Chriſtus, patrocinio ſuo me ſublevans:
Inter Leones qui ſervare ſuos poteſt,
Roremque facere ex igne, ut juvenes recreet,
Totumque in aedem vertere precatoriam;
Hic me ad tribunal ethnicum (*a*) ornat gloria.]

Sic novit Gregorius non maledicta pro maledictis reddere, ſed pro malo bonum cumulate rependens, ea denique arte quamplurimos ſibi ſubjecit. Cum aliquando de fide Catholica cum hoſtibus fidei agendum eſſet, in placido animo, a jurgiis temperans, mira quadam urbanitate, & lepore eos demulcens, agere conſuevit. De his enim opportuna ſe offerente occaſione, coram

(1) De vita ſua.

(*a*) *Fortaſſis caedis, tantum non perpetratae, crimen a ſeipſis Ariani in Gregorium devolventes, hoc eum nomine detulerunt ad judices. Judicii autem is videtur fuiſſe ſucceſſus, quem indicat Epiſt. 81. quod inſolentiae iſtius auctores, facti veniam petentes,* Gregorium obſecrarunt: *quibus ignoſcendum eſſe probat. Metum autem fortaſſis poſt factum incuſſerit, quod in judicio probatum fuerit, veniſſe Conſtantinopolim Gregorium* cum poteſtate minime contemnenda, *puta cum Imperiali mandato, per orthodoxos, in quorum ſolatium veniebat, procurata, uti indicat ipſe Orat. 25. Ubi oſtendit ſe ea poteſtate (quod alius forte feciſſet ipſorum Arianorum exemplo) nuſquam uſum fuiſſe contra adverſarios, ad injurias ſibi irrogatas vindicandas, aut in futuram propulſandas. Poſt hanc tempeſtatem putat Hermant ſuſcitatam aliam inter ipſos Orthodoxos Conſtantinopoli; occaſione ſchiſmatis Antiocheni inter SS. Meletium & Paulinum: quam diſſenſionem Ariani, ex muſca ſoliti elephantem facere, vehementer exaggerarint,* in alienis lapſibus excuſationem vitiis ſuis quaerentes. *Hac autem diſſenſione compoſita, dictam putat orationem 13. de pace. Sed in ea tam manifeſte proponuntur,* Probus ac candidus pater, & filius obſequens, *ſimul ſedentes, ſuamque innocentiam & rectam fidem populo probantes, ut dubitari nequeat, quin ea Nazianzenam monachorum cum utroque Gregorio patre ac filio reconciliationem ſpectet, aeque ac prior Orat. 12. Non tamen plane exerravit Hermant: vere enim quae ſequitur 14. oratio de ſimili argumento, eſt poſt ſuſceptum Epiſcopatum, Conſtantinopoli habita: ſed diſſidium, quod Orthodoxos tunc committebat inter ſe, & Arianorum riſui exponebat, erat occaſione dogmatis ab Apollinario propoſiti, de quo infra cap. 18.*

coram Patribus in Synodo oecumenica conſidentibus agens, ſic ait: [Vultis aliquid elatius adjiciam? Videte adverſarias linguas poſita feritate miteſcentes; & eos, qui Divinitati bellum indixerunt, nihil jam turbarum nobis faceſſentes: id quoque ſpiritus, id quoque noſtrae agriculturae eſt. Non enim inſcite & inerudite docemus, neque adverſarios convitiis & contumeliis inceſſimus, quemadmodum plerique faciunt, non cum dogmate, ſed cum dogmatis aſſertoribus confligentes, ac rationum & argumentorum infirmitates maledictis interdum contegentes; non aliter ac ſepias ante ſe atramentum vomere ajunt, ut piſcatores effugiant. Verum nos pro Chriſto bellum gerere, perſpicuo argumento declaramus, dum ſecundum illum pacificum & clementem Chriſtum, ac infirmitates noſtras portantem, dimicamus) &c. Habuit idem in eo genere inſignem orationem, cujus eſt inſcriptio, De moderatione in diſputatione ſervanda.

De his agens in Carmine de vita ſua, haec ait, cum de converſis haereticis loquitur.

(Haereticus ullus non erat tam pervicax,
Ut non ſuas ad verba noſtra inflecteret
Aures? Capiebat hos vis magna dogmatum,
At mitigabat illos morum placiditas.
Nec enim docens probroſis ac hoſtilibus
Verbis, ſed uti commodis conſueveram,
Potius dolens, quam terrens: haud ſuperbiens
Ob res caducas & vanas, quidam ut ſolent.
Oratio & imperium commune nihil habent.
Inſcitiam non propugnabam audacia
Sed loquebar manſuete atque commode,
Sermonis aeterni ut patronum par eſt,
Qui mitis atque clemens in nos, neminem
Terret. Adeoque verum illud quod dicitur,
Longe optimum eſſe vinci quam vincere,
Perſuaſione acquiratur ſi quis Deo.
Hujuſmodi in tabulis perſcripta erant meis).

Haec in his quae ſpectant ad dogmata: in eo autem dicendi genere, quod verſatur circa morum inſtitutionem, ſic compoſitus erat, ut quae prodeſsent audientibus, illorum auribus ingereret; unde hoc ipſe ibidem.

Rur-

(Rurſus inſtitutionis hanc mihi alteram
Legem magna tuleram cum ſapientia
Pietatis, ut non hanc unam ſcirem viam,
Facilem ac malam, linguae pruritum garrulae.)

Et infra.

(Sed commonerem ut exercerent in Dei
Se lege, alendo pauperes & hoſpites;
Morbis medendo, in hymnis celebrando Deum,
In precibus, in gemitibus, lacrymis, humi
Cubando, ſenſibus cohibendis, ac gulae,
Riſus, & irae, & labiorum modeſtia;
In carne comprimenda ſpiritus ope.)

Ac poſt alia ejuſmodi impertitur dicendi diſciplinam aureis hiſce carminibus.

(Si cupidus es dicendi, ſique fervidus,
Vereris ac ne pereat fruſtra oratio;
(Humanum id eſt, faveo nihilominus tibi)
Loquere, ſed in timore; nec ſemper quidem,
Nec cuncta, nec ubique, non quoſvis apud;
Sed quando, quantum, ad quos, ubi loquaris, vide.
Quoddam eſſe rerum tempus audis omnium) &c.

Ex praedictis autem, non levi conjectura ducimus, Gregorium non tantum illas dogmaticas ſublimius ſe extollentes ſcripſiſſe orationes, ſed etiam paraeneticas quamplurimas, quas excidiſſe dolemus (a). Ejus generis eſt illa, cujus eſt titulus. De

Tom. II. S s

(a) *Hermant lib. 8. cap. 29. inter orationes, a S. Gregorio Conſtantinopoli habitas, numerat encomia SS. Cypriani & Athanaſii. Sed quod S. Cyprianum (eſt hic non Carthaginenſis Epiſcopus ſed ex mago Martyr, paſſus Nicomediae cum Juſtina Virgine, & colitur a Graecis 2. Oct. a Latinis 26. Sept) quod, inquam*, Cyprianum *Nazianzenus laudarit Sanctus, a forenſi recreatione & thermarum ſuburbanarum uſu revertus, cenſet illius commentator Nicetas, ſatiſque congruit exordio, nec invenies in reliqua oratione quod contrarium ſuadeat. De* Athanaſio *res aliter habet: profitetur enim ſe dicere* in ea civitate, quam vix etiam multa virtutis exempla ſervare poſſint: quippe quae, ut circos & theatra, ita res quoque divinas pro ludo habeat: *plane ſicut alibi loquitur de Conſtantinopoli Orat. 14. tamquam ea civitate*, cui terium ſtudium eſt, ut aliud quidpiam, ita res divinas ludo habere: quaeque potius riſerit praeclarum aliquid & laude dignum, quam ut ridiculum aliquid non deriſum praetereat.

De amore pauperum: ex qua quidem facile poteſt intelligi, quales fuerint illius vires in eo dicendi genere.

Porro fama doctrinae illius non valuit, illius, licet ampliſſimae civitatis limitibus contineri, ſed longe lateque diffunditur, & ad Hieronymum in eremo Syriae commorantem pervenit. Cum, licet adeo eruditus eſſet divinis litteris, ut tum alii tum etiam Damaſus Papa eum ſaepe conſuleret, tamen tanti hominis audito praeconio, ſe Conſtantinopolim contulit; nec erubuit qui Orbem doceret, profiteri inter Gregorii Nazianzeni diſcipulos: immo eo nomine, ut regalibus quibuſdam inſignibus ac praeclariſſimo quodam ornamento, gloriari conſuevit. Adverſus Rufinum aliquando agens de Gregorio noſtro [1], inquit. (Eo ego Magiſtro glorior & exulto). Et alibi, eumdem ſuum praeceptorem, & catechiſtam appellat: & rurſum de ipſo agens, ſe eo explicante, didiciſſe Scripturas affirmat. Qui quidem non obliviosus auditor factus eſt, ſed quod ab eo ſemel accepit, tenaci memoria cuſtodivit, ut non tantum gravia ſerioque dicta, ſed & jocoſa urbano lepore conſperſa, eum unquam praeterierint; ut illud quod refert his verbis. (Praeceptor quondam meus Gregorius Nazianzenus [2], rogatus a me, ut exponeret quid ſibi vellet in Luca δευτερόπρωτον (a) eleganter luſit; Docebo te, inquiens, ſuper hac re in Eccleſia, in qua mihi omni populo acclamante, cogeris invitus ſcire quod neſcis, aut ſi certe ſolus tacueris, ſolus ab omnibus ſtultitiae condemnaberis. Sic de jocis. Porro ejus doctrinam ea ferri ſublimitate demonſtrat, ut non tantum Graecos ac Latinos excellat, ſed nec apud hos facile ſit invenire qui illa ita aſſequi valeat, ut Latinitati reddere valeat. Ea de cauſa idem in Rufinum [3] his verbis invehitur: (Cur, inquit, ſcribere aliqua auſus es, & virum diſertiſſimum Gregorium pari eloquii ſplendore transferre? Unde tibi tanta verborum copia, ſcientiarum lumen, translationum varietas?) &c. Tanto Magiſtro duce, Hieronymus obſcuriſſimam viſionem illam Iſaiae de Seraphim exponere tentavit, ut in Commentariis in Iſaiam teſtatur his verbis: [De hac viſione ante annos circiter triginta, cum eſſem Con-

(1) Ad Pammach. 51. & de ſcriptor.
(2) Ad Nepos.
(a) Sabbatum ſecundo-primum *Lucae* 6 *id eſt (juxta Scaligerum, quem ſequitur Tirinus noſter) primam a die ſecundo azymorum: ab hoc enim die numeranda erant ſeptem Sabbata ſeu hebdomadae uſque ad Pentecoſtem. Videtur autem Baſilius Hieronymum docturus fuiſſe exemplo Dominicarum, quae numerantur poſt Paſcha, prima, ſecunda, tertia &c.*
(3) Ad Pammachium.

Conſtantinopoli, & apud virum eloquentiſſimum Gregorium Nazianzenum, tum ejus Urbis Epiſcopum ſanctum, Scripturarum ſtudiis erudirer, ſcio me brevem dictaſſe ſubitumque tractatum, ut experimentum caperem mei ingenioli, & amicis jubentibus obedirem). Haec ipſe; qui tractatum illum miſit ad Damaſum.

Permanſiſſe videtur Hieronymus [1] Conſtantinopoli uſque ad Synodum oecumenicam ibi celebratam anno tertio Theodoſii Imperatoris, Syagrio & Euchario Coſſ. quando Gregorius Nyſſenus, ea de cauſa illuc veniens, libros quos adverſus Eunomium ſcripſerat, legit Gregorio atque Hieronymo, ut de Nyſſeno agens in Catalogo idem Hieronymus teſtatur. Quantum autem tanto Magiſtro profecerit ille, Ennodii Ticinenſis haec eſt ſententia ſcribentis ad Fauſtum: (Hieronymus noſter, niſi praeceptorem ſuum Gregorium diceret, illo melior cenſeretur: ſed illi applicanda ſunt bona nominatim, a quo ſumpſiſſe videntur originem). Haec ille. Qua item animi ſubmiſſione divinas Scripturas interpretaretur, ut ſe longe illis inferiorem, quo minus cuncta aſſequi poſſet, libenter profiteretur, ſunt argumento ea, quae de ipſo idem S. Hieronymus ſcribit in Commentariis Epiſtolae ad Epheſios, dum explicans illa verba, Sacramentum hoc magnum eſt, dico in Chriſto & in Eccleſia, haec ait: (Gregorius Nazianzenus vir valde eloquens, & in Scripturis apprime eruditus, cum de hoc mecum tractaret loco, ſolebat dicere: Vide quantum iſtius Capituli ſacramentum ſit, ut Apoſtolus in Chriſto illud & in Eccleſia interpretans, non ita ſe aſſerat, ut Teſtimonii poſtulabat dignitas, expreſſiſſe, ſed quodam modo dixerit; Scio quia locus iſte ineffabilibus plenus eſt ſacramentis, & divinum cor quaerat interpretis). Haec Hieronymus de Gregorio.

Fuit laudatiſſimus inter Gregorii diſcipulos Evagrius (a) Ponticus, ejus Diaconus; feliciſſimus quidem, ſi tanti Patris veſti-

 gia

(1) Epiſt. 142.

(a) *Hermant libro 8. cap. 25. negat ſufficiens fundamentum haberi ad Evagrium annumerandum diſcipulis Sancti Gregorii & fol. 165. col. 2. Annot. 2. dubitandi rationem allegat, quod citatus a Baronio Palladius, licet juxta editionem Venetam nominet* Gregorium Nazanzienum *juxta editionem Roſvveidi, Graeco textui Veneto opponentis Graecum Pariſienſe exemplar, nominet* Nyſſenum, *& quidem addat*, frater Epiſcopi, cui datur inter Apoſtolos honor, *id eſt Sancti Baſilii: quod deeſt in Veneto. Certe ergo Socratis & Sozomeni auctoritati, opponitur auctoritas Palladii, ſenioris quidem, ſed incerta. Rationes quaſdam utrimque expenſas vide ſis apud Roſvveidum Annot. 136. in Palladium & praedictum Hermant. Deeſt etiam in Ms. Veneto*, quod poſt diſceſſum S. Baſilii *Gregorius Evagrium ſibi aſſumpſerit*.

gia ſemper affectatus eſſet: ſed ab eo recedens, ac in AEgyptum proficiſcens, Didymo nimis addictus, in Origeniſmum lapſus, factus eſt ſectae illius acerrimus propugnator; quem ſemper Hieronymus ſuis coloribus pingit, & meritis titulis notat. Scribit Palladius c. 25. hunc Lectorem olim S. Baſilii, ſecutum eſſe poſt illius obitum Gregorium Conſtantinopolim venientem, ab eodemque ordinatum eſſe Diaconum; qui inde recedens, commendavit illum Nectario [1] Epiſcopo ſucceſſori. Cauſam autem cur Evagrius [2] receſſerit Conſtantinopoli, ſcribunt Sozomenus [3] atque Nicephorus. Hallucinatur tamen Socrates, cum ait, Gregorium noſtrum una cum eo profectum eſſe in AEgyptum. Nam cum ſe ab Epiſcopatu abdicaſſet, reverſum in patriam, ibi tandem ſpiritum Deo reddidiſſe, nec alio profectum eſſe, luce clarius conſtat.

CAPUT XII.

Electio ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum. Maximi intruſi fraudes & ejectio.

INter haec autem Theodoſius Imperator, jam debellatis hoſtibus, ac Imperio ſtabilito, & ab Acholio Epiſcopo Theſſalonicenſi Catholico, in fide Catholica baptizatus, eidemque favens, unam ab omnibus ſanxit ſervandam eſſe fidem, quam Damaſus Romae, & Petrus Alexandriae praedicarent. Spectatiſſima erat enim fides ipſorum, alterius nimirum ut Petri Apoſtoli ſucceſſoris; alterius vero qui ſucceſſerat Athanaſio, ac multa pro fide Catholica ſervanda paſſus eſſet. Data eſt ejuſmodi Sanctio Gratiano quintum, & Theodoſio AA. Coſſ. anno a Chriſto Domino, ſecundum praedictorum ſupputationem, trecenteſimo octogeſimo. Rebus Catholicorum mutatis in melius, deligitur Gregorius a ſuis Conſtantinopolitanus Epiſcopus, ſed nomine tenus tantum, cum adhuc Ariani potirentur omnibus eccleſiis, & Theodoſius Imperator ageret Theſſalonicae. Verum, cujus praecipua videbatur auctoritas Petrus Epiſcopus Alexandrinus per litteras aſſenſum praebuit, ut idem Gregorius in carmine de vita ſua teſtatur his verſibus.

(Qui

(1) Lib. 6. c. 30.
(2) Lib. 6. cap. 36.
(3) Lib. 2. cap. 18.

(Qui Petrus idem illorum Paſtorum arbiter,
Nuper quidem nos praefecit per litteras:
Quas eſſe ſane haud ſuppoſititias,
Vel fraude ſubreptas, docere ipſae queunt)
Inſtitutioniſque ſymbolis honoravit).

Quam aegre autem ſui tandem electioni acquieverit, his verbis teſtatur in ea oratione, quam in Maximum habuit. (Quid, inquit, animi compreſſio, quid illae imprecationes, quas adverſus nos ipſos publice concepimus? [1] Quid illae lacrymae, quas tum multas profudimus, ut vobis etiam miſericordia digni videremur, quamvis pene nos averſantibus, propter conſtantiam, qua Praeſulatum recuſabamus) (a).

Ariani autem, diuturna rerum proſperitate adeo numero aucti, atque ſuperbia erant elati, ut legem Imperatoris contemnerent: tantumque abfuit, ut ex legis conſtituto Catholicam fidem reciperent, ut etiam magis magiſque in Catholicos illius profeſſores inſultarent; addideruntque ſcelus ſceleri, ut Catholicum quemdam ſenem, olim ob fidem Catholicam exulem, nuper autem reſtitutum, lapidibus impetentes occidiſſent. Gregorius autem non tantum de occiſoribus poenas non quaeſivit, ſed etiam apud Praetorem agens, multis praecibus illos morte mulctandos exemit, aliaque in eos contulit beneficia, modeſtiſſime uſus temporis hujus proſperitate, prout ipſe pro concione ſequenti die in hunc modum ipſos Arianos alloquitur: [2] (Hominem meum poſco, quem heſterna die trucidaſtis, ſenem, inquam illum Abrahamicum patrem, quem ab exilio redeuntem atque huc appellentem, media die, media urbe, ſaxis excepiſtis? At nos (niſi hoc dictum grave & invidioſum eſt, obtruncatores etiam ipſos deprecatione noſtra periculo liberavimus). Et inferius. (Et quid ex hac temporis inſolentia aemulatus ſum? Idque cum talia exempla prae oculis poſita heberem, quibus etiam remotis, a vitio tamen abſtinere difficile atque arduum eſt, & rari exempli. De quibus eccleſiis vobiſcum contendimus? De quibus pecuniis? praeſertim cum utraque re ipſi affluatis, utriuſque tamen nos inopia premitur. Ecquid Imperatoris edictum,

(1) 1. p. 483.
(a) *Fortaſſis haec potius ad violeatam ſuam inſtallationem ſpectant, quam ſua auctoritate fecit poſtea populus: electio autem praecedens non debuit ita vehementer commovere Sanctum: quippe quae majori auctoritati probanda reſervabatur.*
(2) Ad Arianos.

ctum, a vobis contemptum & pro nihilo habitum, ardenti zelo proſecuti ſumus :) Haec Gregorius. Qui dum fidei hoſtes officiis devincire ſatagit, Catholicorum incurrit invidiam; quod ſcilicet multa mala cum paſſi eſſent ab Arianis tam diuturno temporis ſpatio, rebus tunc in melius commutatis, nulla jam poena illos teneret, quos Gregorius etiam beneficiis proſequeretur. Horum de ea re querelas recenſet in ea oratione, quam poſtmodum habuit coram centum quinquaginta Epiſcopis in Synodo congregatis. Ad hos autem erat unica & tanto viro digna reſponſio. [Mihi, inquiens, adverſus eos, qui injuriam intulerunt, ſatis gravis poena eſt referendae injuriae poteſtas). Haec Gregorius noſter; qui licet virtutibus omnibus perfectiſſimus haberetur, manſuetudine tamen cunctis excelluiſſe videtur.

Fuerunt hae ſcintillae quaedam diſſenſionis, quae impoſtore quodam ſupponente ligna, in incendium immenſum creverunt. Res ſic ſe habuit. Maximus quidam Alexandrinus, componendarum fraudum egregius architectus, olim philoſophus, ſecta Cynicus & Herculis ſacrificus, facturus ex pietate proventum, quaſi larva quadam ad decipiendum compoſita, Chriſtianam Religionem profeſſus, venit Conſtantinopolim, corporis habitu, baculo, pallio, barba, & coma prolixa oſtentans philoſophum, verbis autem eſſe Chriſtianum, Martyrum filium, ſeque Martyrem profitetur; ut qui Catholicae fidei cauſa verberibus caeſum, & in Oaſim vaſtam illam ſolitudinem ſe relegatum fuiſſe mentiretur, cum revera ob foediſſima ſcelera in exilium miſſus eſſet, ut Gregorius [1] his verſibus refert.

(Et majus illud exilium ob foediſſima
Scelera, Dei ſe cauſa ferre dixerat).

Hunc itaque tot ornamentis ac mentitis titulis exornatum, Conſtantinopolim appellentem, Gregorius humaniſſime excepit; eſtque veneratus ut Martyrem, in quo Chriſti ſtigmata elucerent; &, ut par erat, tamquam athletam nobilem auctum coronis, pro concione laudavit. Dixit enim in laudem ejus egregiam illam orationem, quam poſtea, ut teſtatur S. Hieronymus, in laude Heronis falſo titulo inſcriptam legimus. Hunc alio tunc proficiſcentem, ut ejuſdem peroratio docet, his officiis exornatum rogavit Gregorius, ut rurſum Conſtantinopolim ſe conferret. Ve-

(1) De vita ſua.

Venit tunc Maximus in Italiam, ac Mediolanum ad Gratianum Imperatorem ſe contulit, cui, ut auctor eſt S. Hieronymus inſignem librum adverſum Arianos conſcriptum tradidit. Reverſus inde Conſtantinopolim a Gregorio iterum gratiſſime excipitur, amantiſſime habetur, inter intimos adnumeratur, & officiis cumulatur, non tamen [ut putat Gregorius Presbyter] in Clerum aſcribitur (*a*), & ſacris ordinibus initiatur. Tunc enim primum comam prolixam depoſuit, cum Epiſcopus a ſuis eſt ordinatus.

Jam homo nequiſſimus, quod diu mente conceperat, parere ſatagit, ut intrudat ſe in Sedem Conſtantinopolitanam. Avertit paulatim nonnullos a Gregorio, quos ſciebat praedicta ex cauſa non nihil ab eo alienatos. Molitur ſtudia, componit fraudes, parat dolos, invenitque mox, ut ajunt, patella operculum. Rem geſtam ex integro deſcribit ipſe Gregorius, prolixe ſatis in carmine de vita ſua, quam nos hic ſtrictim referimus. Fuerunt vafri hominis adeo doloſae artes, ut Petrum Alexandrinum Epiſcopum, virum quidem laudatiſſimum, a Gregorio divelleret, & in ſententiam ſuam captivum abduceret: ut qui antea datis litteris (ut vidimus) Gregorii electioni conſenſiſſet, mox mutata ſententia (*b*), Maximum Conſtantinopolitanae Sedi praeficere omnibus viribus laboraret, ea de cauſa illuc mittens AEgyptios Epiſcopos, qui Epiſcopatum illi decernerent. Licet illi aliam adventus cauſam praetexerent, nimirum ut frumentum Alexandrinum, quolibet anno pendi ſolitum Imperatori, ex more redderent; revera, tamen ut Maximi cauſam agerent, ut idem Gregorius pluribus docet. Fuerunt hi Amon, Apamon, Arpocras (*c*), Sirodon, & alii, quos idem recenſet. Ap-

(*a*) *Summum, quod ex Sancti ipſius ſcriptis habetur, eſt quod eum ad ſacros Ordines videatur invitaſſe, cum dixit:* Adeſdum ad ſacra haec & menſam hanc myſticam; atque ad me, qui per haec ſacrum deificationis munus obeo, propius accede. *Sed etiam hoc ſatis explicari poteſt de Euchariſtia, ad quam jam baptizatum confirmatumque invitabat.*

(*b*) *Cauſam mutatae in Petro ſententiae ſuſpicatur Hermant, vel affectum erga communem ſibi cum Maximo patriam fuiſſe, vel metum ne Conſtantinopolitana Sedes, quam ſub Catholico Principe reſurrecturam ſpes erat, Gregorii merito & doctrina eam illuſtrantibus: etiam ſupra ſuam elevaretur. Gregorius Presbyter* pecunia corruptum *indicat: ſed tacente id Sancto, non audemus virum, alias egregium, novo hoc crimine gravare. Ut ut ſit, non levem hoc facto gloriae ſuae maculam inuſſit Petrus; & quamvis poenituiſſe credibile ſit, dignas tamen ad eam expurgandam pertulit ipſe, quod alteri procurabat malum.*

(*c*) *In Graeco & Latina Billi verſione ſunt,* Ammon, Apammon, Harpocras, Stippas, Rhodon, Anubis, Hermanubis, *in quorum nominibus ludens Sanctus,* Deos AEgypti *appellat. Hermant dubitat an Epiſcopi fuerint: diſtinguit enim duplices Miſſos: ſed hujus diſtinctionis nullum in ipſius Sancti verbis reperitur fundamentum: quod cum ipſe Hermant agnoſcat, non eſt huic ſcrupulo immorandum. Epiſcopi certe fuerunt, qui miſſi ſunt ad Maximum conſecrandum.*

Appellentes Conſtantinopolim; quia Catholici erant, vitantes Arianorum communionem, ad Gregorium acceſſerunt, a quo benigne ſuſcepti, & Catholica communione more majorum dignati ſunt. Quin etiam idem Gregorius eoſdem pro concione laudavit, retexens laudes Athanaſii & Petri *(a)* Alexandrinorum Epiſcoporum, ac totius Eccleſiae AEgyptiorum praeconia; ac de ipſorum ſincera fide, quod Arianos vitaſſent, haec ait (Non vos promiſcuae multitudini immiſcuiſtis, neque hominum numero pietatem definiviſtis, nec miſcellaneum vulgus potius eſſe ſuſtinuiſtis, quam populus Dei verbo purgatus. Verum poſtquam Caeſari quae ſunt Caeſaris, ut par erat, contuliſtis; Deo quoque, quae ſunt Dei, attribuiſtis; illi nempe vectigal, huic timorem, ac nutrito cibis veſtris populo, ipſi quoque cibi accipiendi cauſa ad nos perrexiſtis: nam & ipſi frumentum erogamus, ac frumento quidem veſtro longe praeſtantius. Venite, comedite panem meum, & bibite vinum quod miſcui vobis) &c. Haec Gregorius, cum accepit eos ad communionem, quos, loco fratrum, hoſtes infeſtiſſimos expertus eſt.

Hos omnes auro corruptos Maximus ſibi conjunxerat, unde Gregorius de his agens, his verſibus eleganter ludit.

[Superare cuncta vinum ajebat quiſpiam,
Alter mulieres, veritatem tertius,
Auro poteſtatem ſed ipſe maximam
Tribuiſſem, facile quod commutat omnia.

Ingentem enim auri vim a quodam Presbytero, qui ex Naſſo inſula, Conſtantinopolim venerat, ad emendas tabulas marmoris Proconeſii pro uſu ſuae eccleſiae, ſibi Maximus comparaverat: ut idem Gregorius his verſibus declarat.

[Videamus id, congeſſerit unde aurum canis.
Advenerat de Naſſo quidam ſenior huc,
Aurum ſuae ſecum ferens eccleſiae,
Quo Proconeſii emeret tabulas marmoris.
Hunc blandiendo devictum adjungit ſibi,
Miſerumque magnis ſpebus conſtrictum tenens

(Nam-

(a) *Eſt ea Oratio 18. cui titulus in* AEgyptiorum adventum: *quam cur aliqui velint poſt Maximi ordinationem dictam, nulla apparet ratio, cum abſurdiſſimum ſit vel cogitare, quod tam prolixa laudatio Petri potuerit ex Nazianzeni ore proficiſci, poſt tam inſignem injuriam ab eo illatam ſibi & Eccleſiae.*

(Namque improbi cito copulantur improbis)
Auro potitur adminiſtro ad omnia] &c.

Dum haec ille ordiretur , Gregorius in morbum incidit . Opportunam hanc ille nactus occaſionem , noctu una cum ſuis eccleſiam occupat , ut ab illis in ea ordinaretur Epiſcopus . Rem geſtam Gregorius refert his verſibus :

[Nox forte erat cum me aegrotante, ceu lupi,
Furtim ſubitoque caulam ingreſſi, plurimis
Mercede jam conductis (*a*) a toto grege,
Poterant qui Alexandrinos facile incendere
(Junxere ſe illi certe cum reliquo grege)
Tonſum (*b*) locare in ſolium conantur Canem) &c.

Canem dicit Maximum , eo quod Cynicus philoſophus fuiſſet , & prolixa coma eumdem habitum hactenus oſtentaret.

Re tam nefaria comperta non tantum optimi quique Orthodoxorum , ſed & Ariani homines execrandum deteſtati ſunt facinus; raptimque frequenti concurſu properant ad eccleſiam: in opus incumbentes deprehendunt peregrinos Epiſcopos : in eos conclamant , deturbantque. Tum illi furori cedentes , ſe ſubducunt ; ac in privatam domum ingredientes, illic clanculum ſcelus inchoatum abſolvunt , finemque imponunt fabulae: haecque his verſibus deſcribit Gregorius:

[Quid multa dicam ? A nobis abripiunt ſtatim

(*a*) *Quis horum in ſcelere princeps fuerit ita declaravit Sanctus :*

Primus erat horum Belial, quondam Angelus,
Secundus autem Presbyter noſtri gregis ,
Magis ipſe mente barbarus quam corpore :
Qui ſpretus a me , laeſus haud umquam prius ,
Primas honoris ac throni verum obtinens,
Odium ſceleſtum ac perfidum in me parturit.

(*b*) *Graec.* Κῦρα *προθυμῦσι εἰς καθέδραν*

Tondera parant ad cathedram. *Non ergo propoſitum ipſis fuit , comam ei intonſam ſervare , praeter formam Ordinis Clericalis , nedum Epiſcopalis : quod tamen videretur S. Damaſus credidiſſe , cum in Epiſtola ad Acholium , de qua infra , ait ,* eos qui ex AEgypto venerant errorem ſuum condemnaſſe ; ut amputatis ejus poſtea capillis , qui non racte fuerat ordinatus , & jacturam capitis ſuſtineret , & quod ambierat eſſe non poſſet , *quem ſcilicet ipſa ſua coma faceret alias nec Chriſtianum eſſe , ſed ſpeciem idoli in habitu Philoſophi Cynici. De coma , forſitan adhuc intenſa cum praepropere ordinaretur Maximus , fama erat apud Macedones , & ſic res perſcripta Damaſo fuerit : ſed in talibus certius credetur Gregorio.*

Seſe, dolentes jam non ſucceſſiſſe rem:
Et ne ſceleſti ac improbi fruſtra forent,
Finem inchoatae pergu[illegible] addere fabulae.
Namque in Choraulae ſordida domuncula
Graves Deoque cari collecti viri,
Mox cum quibuſdam, qui de populo ejecti erant,
Canem nequiſſimum paſtorem inſigniunt,
Tonſum haud coactione, ſed ſponte ſua:
Etenim canis paratus ad majora erat.
Tunc facta ſectio nutritorum diu
Cinnorum, &c.

Sic male ordinatus Maximus, ſed in ſchiſmate, Cathedram erigens contra Cathedram, functiones quoque Epiſcopales exercuit: nam & aliquos ordinavit, quos poſtea Sancta ſynodus oecumenica, anno ſequenti celebrata, depoſuit.

Poſt haec autem Gregorius aegritudine liber, cum ad vires corporis inſtaurandas in villam quamdam ad mare poſitam (*a*) ſeceſſiſſet, illic aliquantulum philoſophatus, Conſtantinopolim repetit: ubi flagrantia adverſariorum ſtudia conſpicatus, in Maximum luculentam habuit invectivam. Appellat eam Hieronymus; librum, vituperationem Maximi continentem (*b*). Ea oratione cum primum in ſchiſmaticos invehatur, luget deinde Eccleſiae membra disjecta; demum, quo animo ſe ad has perferendas moleſtias compararit, haec philoſophatus oſtendit. (Tantum, inquit abeſt, ut quidquam humanarum ac praeſentium, rerum acerbum ac formidoloſum exiſtimem; ut me ipſum miſſum faciens, alias lugeam, qui mihi moleſtiam exhibuerunt: membra olim Chriſti, membra mihi cara, etſi nunc corrupta; membra hujus gregis) & alia plura: Luget & Petri lapſum. [Nihil, ait, propius factum eſt, quam ut Petrus (*c*) etiam me abjuraret; ac fortaſſe nec flet amare, ut peccato medeatur]. Haec ille, qui adeo adverſariorum vires fregit, ut Maximus pelleretur ex Urbe,

(*a*) *Mirum fortaſſe alicui videbitur, quod voluerit Sanctus diſcedere ab urbe, rebus inter orthodoxos in ea ſic turbatis: ſed animus ejus, turbarum fugientiſſimus; fecit ut induci potuerit ad ſperandum, quod etiam abſente ſe componerentur omnia, cum Maximi ordinationem etiam Ariani improbarent.*

(*b*) *Hic liber omnino non videtur extare amplius: certe talis non eſt, licet pro tali Baronius habeat, Oratio* 28. in ſeipſum ex agro revertentem e poſt ea quae circa Maximum facta erant: *nuſquam enim hic Maximum inſectatur, nuſquam ejus ut adhuc in urbe verſantis meminit: ſed ſolum ea tractat, quae hic indicat Baronius. Exceſſerat ergo jam ab urbe Maximus, cum in illam revertit Gregorius.*

(*c*) *An aliquem vero nomine* Petrum *haec ver-*

be. Qui Theſſalonicam ad Theodoſium ſe contulit, ut ejus auctoritate firmaretur in Sede: ſed ab eo vehementi indignatione ac formidabilibus minis ejectus, regreditur Alexandriam, ubi negotium fecit dicto Petro ejus civitatis Epiſcopo, eumque exulem manipulo conducto aggreditur, cogitque in anguſtum, petens ut vel optatam Sedem faciat adipiſci, vel cedat Thronum ſuum. Sed affuit exemplo Praetor manu militari, qui nebulonem Alexandria pellit (*a*). Haec omnia Gregorius carmine cecinit in vita ſua. Addit Theodoretus, hunc Maximum Appollinaris haereſi addictum fuiſſe.

Non praeterimus in his turbis, adverſus Gregorium concitatis, S. Damaſum Romanum Epiſcopum Gregorio litteris faviſſe adverſus Maximum, idque ex ejuſdem Damaſi litteris teſtatur Nicolaus primus Romanus Pontifex, dum ad Michelem Imperatorem ſcribens, haec ait: [Nonne Maximus, poſtquam a Damaſo Papa, ſicut ejus ad diverſos Epiſtolae indicant, laboratum eſt, Conſtantinopoli pulſus eſt?] &c. (*b*) Conjectura ducimur, S. Hieronymum, qui his temporibus Conſtantinopoli apud Gregorium morabatur, apud Damaſum pro Gregorio laboraſſe, illumque, a quo mirifice dirigebatur in Maximum (*c*) concitaſſe. Moritur his temporibus Pretrus (*d*) Alexandrinus, in Gregorium parum aequus, in cujus locum ſubrogatur Thimotheus

verba denotent, an potius alium ex tariſſimis Gregorii (quomodo ſupra Belial *vocatur alius) valde ambigo: Petrus certe Alexandrinus haud dubio lapſu deſciverat a Gregorio: & de iis ſolis videtur eſſe ſermo, qui Conſtantinopoli praeſentes aderant, amici infidi aut meticuloſi. Sed neque jam dictum presbyterum commode intellexeris.*

(*a*) *Neque tamen etiam tunc conquievit Maximus, ſed in Italiam ſe contulit, ibique ſub Ambroſio Epiſcopo Mediolanenſi collecta Epiſcoporum Italicorum Synodo ita impoſuit, ut in ejus favorem Imperatori ſcripſerint idem Ambroſius & Coepiſcopi ſui: rurſumque ſcribentes ei ex alia ſimili ſequentis anni Synodo, faterentur ordinationem ejus ſe tunc probaviſſe, nec adhuc videre quomodo poſſit irritari, niſi in urbe Roma conveniente Occidentalium Orientaliumque Concilio ſuper ipſius & Nectarii ordinatione: nam de Gregorio jam antea judicarant,* nequaquam eum ſecundum traditionem Patrum Conſtantinopolitanae Eccleſiae ſibi Sacerdotium vindicare: *ſed ut illos deceperit, Damaſum Papam decipere non potuit, forte nec tentavit: unde poſtea altum de Maximo in hiſtoria ſilentium.*

(*b*) *Recte notat Hermant in hoc falli Nicolaum: prius enim Maximus urbe a populo pulſus erat, imo & ab ipſo quem adierat Imperatore repudiatus, quam his de rebus informaretur Damaſus, ex cujus ad Aſcolium epiſtolis, nuper editis ab Holſtenio in Collectione Romana, conſtat, de Maximo primum innotuiſſe Damaſo, cum jam agitaretur de habendo Conſtantinopoli Concilio, pro ordinando ejus urbis Catholico Epiſcopo, ſuper quo reſcribit* Achonio, Eutidico, Severo, Uranio, Philippo & Joanni *Epiſcopis Macedoniae, quorum de Maximo litteras acceperat.*

(*c*) *Conjectura haec admodum incerta eſt: nam Hieronymus in lib. de ſcriptoribus Eccleſiaſticis, non videtur valde adverſatus Maximo, cujus ordinationem in Epiſcopum ſic notat, ut ordinationis iſtius vitium nullatenus attingat.*

(*d*) *De* Petri *apud AEgyptios cultu, egimus in Vita S. Athanaſii cap. 33. 2. Maii.*

theus [1]; qui anno ſequenti adfuit Concilio oecumenico Conſtantinopolitano. Huic, & non Petro, tribuit Theodoretus ordinationem Maximi, perperam factam. Verum quaerelae Gregorii, non niſi in Petrum dictae habentur.

CAPUT XIII.

Conſtantinopoli manere coactus, a Theodoſio Imp. Catholico inducitur in ſummae aedis poſſeſſionem: a populo expetitur in Epiſcopum.

LIcet autem Maximus ejectus eſſet, nihilominus, qui ejus ſtudia ſecuti erant, in Gregorium eo acerbius (*a*) ſaeviebant; cum ipſe tum, ne ſui cauſa Catholici inter ſe foedo ſchiſmate diviſi eſſent, abdicare ſe cupiens, ac recedere in ſolitudinem, orationem (*b*) ad populum de ea re habuit, qua movit omnibus luctum,

(1) De vita ſua.

(*a*) *Factum id potiſſimum per abſentiam Gregorii, qui in agrum ſeceſſerat, paſſim autem putatur ſeceſſiſſe valetudinis cauſa, poſt aliquem morbum. Imo Hermant exiſtimat, hunc eum eſſe, in quem ſcripſit Carmen 60. inter alia ſic quaerens:*

Non ſatis iſtud erat quod me premat aegra ſenectus,
Quae Siculis gravior dicitur eſſe jugis,
Ni me etiam morbos laceret, redieoſque quotannis
In miſeram tabem debile corpus agat?

Certe in hoc morbo fatetur nihil ſibi eſſe gravius, quam puſillorum ſcandalum ex piorum incommodis, quaſi nulla ſit eorum merces apud Deum, ſed caſu agantur omnia. Verum exiſtimo gratis omnino morbum iſtum ad haec referri tempora, quibus longe graviora damna, Conſtantinopolitanae eccleſiae exinde emergentia, meruiſſent diſtinctius attingi & ſentiri. Ut ut ſit, rediens ab agro habuit Orationem 28. de qua ſupra: in qua cum expoſuiſſet affectum erga ſui amantem gregem, reciproce ferventem, de factionariis ita loquitur. Jam quoque timorem mihi injiciunt canes (*Maximum intelligit pro vindicanda ſibi Sede Theſſalonicam profectum*) per vim in paſtorum claſſem irrumpentes, idque (quod abſurdum valde eſt) cum ad paſtoralis muneris adminiſtrationem nihil omnino aliud contulerint, quam quod comam, cui ornandae & alendae turpiter ſtuduerant, tulerunt: qui nec in canum ordine remanſerunt, nec paſtores facti ſunt, niſi ut lanient & diſpergant, atque aliorum labores intercipiant... Ac proinde ne tunc quidem inſolentius ſe efferant, qui canes adverſus gregem concitarunt; nec oviculam quidem unam proferre poſſunt quam adduxerint aut conſervarint... atque improbitati ſuae finem imponentes, adorent & procidant & plorent coram Domino qui fecit eos, & quorum ſalus needum deplorata eſt, adjungantur gregi. *Hoc ut perſuaderet ita loquitur circa finem:* O membra, olim Chriſti: membra mihi cara, etſi nunc corrupta ſ. membra hujus gregis, quem, prius fere etiam quam collecti eſſetis, prodidiſtis! Quomodo diſtracti eſtis, ac diſtraxiſtis quaſi boves teneris vinculis ſoluti? quomodo altare adverſus altare erexiſtis? quomodo repente in deſolationem ac vaſtitatem facti eſtis? quomodo & ipſi per hanc ſectionem morte affecti eſtis & nobis dolorem inuſſiſtis? quomodo ſimplicitate paſtorum (*AEgyptios Epiſcopos notari cenſeo*) ad gregis diſſolutionem abuſi eſtis? non enim eos ob imperitiam reprehendam, ſed veſtram improbitatem accuſabo .... O Trinitas ſancta... utinam tu hos nobis reſtituas, hactenus a nobis diremptos, ut per ipſam disjunctionem ad concordiam & pacis ſtudium erudiantur.

(*b*) Orationem *quidem hic appellat interpres:*

ctum, excitavit clamorem: rogant, vimque faciunt, ut remaneat. Haec enim Gregorius in Carmine de vita ſua ſic deſcribit.

(Omnes amici aderant nobis, ſimul
Cuſtodia me cingebant clandeſtina,
Et exeunti aderant & redeunti domum.
Noſtri interim hoſtes hanc pugnam cum cernerent,
Noſtro diſſidio interiturum Verbum Dei
Exiſtimabant. Haec videns, cum non pati
Poſſem (negare non lubet) committo quid
Sapiente non dignum viro, ſed ſimplice.
Puppim, quod ajunt, coepi retro impellere.
Sed imperite: nemo namque id ſenſerat,
Abiturientis ni patris ex pectore
Hanc extuliſſet praegravis vocem dolor.
Servate totam Trinitatem, filiis
Quam concupitis tradidi largus pater.
Simul laborum quos tuli, eſtote memores
Haec verba, poſtquam populus audiit, animi
Exclamat impotens quidam: cuncti ſimul
Surgunt (apum velut fumi vis excitat
Examen) omneſque exclamando inſaniunt;
Viri, feminaeque, juvenes, virgines,
Pueri, ſenes, ignobiles, ac nobiles,
Et praeſides, & quidam emeriti milites.
Fervebat ira & deſiderio quilibet,
Iratus hoſti, paſtorem deſiderans) &c.

Cum nec clamoribus Gregorius flecteretur; aliam illi ineunt rationem. Precibus obnixis, luctuque ac lamentationibus agunt, conteſtantur omnia peritura ſi recedat, & labores omnes exanthlatos reddi vacuos. Anaſtaſiam ingerunt oculis, pretioſum fidei theſaurum. Ad haec omnia ille mutus in medio eorum conſiſtere, neſciens quo pacto has voces compeſceret, nec tamen flectebatur, ut quod peterent, polliceretur. Cum vero jam in his querelis conſumptus dies deficeret, quomodo tandem flexus eſt, ut remaneret, his item verſibus docet,

(Jam

pres: & hoc patitur vox Graeca λόγοι, ſeorſim ſumpta: ſed ſenſus requirit, ut de paucis verbis, & quidem non meditate prolatis, Sanctum dicamus agere: veterem igitur Leunclavii verſionem correxi, meliorem Billii interpretationem ſecutus.

(Jam urgebat aeſtus, & ſudabant corpora, [1]
Voces metus cauſa emittebant feminae,
Illaeque maxime ſi quae matres forent;
Pueri ejulabant: deficiebat jam dies.
Non ſe ceſſuros dejerabant ſinguli:
Etiam ſi in aede ſacra moriendum foret.
Proh! quale verbum ex ore cujuſdam exiit:
Cur tum mihi non obturatae aures erant?
Tu Trinitatem ipſam tecum ejicies, ait.
Tandem metuens, ne quid oriretur hinc mali,
Non jurejurando (injuratus ipſe ſum,
Ut in Deo vel paulum quid glorier,
Ablutus ex quo gratia ſum Spiritus)
Promitto (ſed verbis, quibus facerent fidem
Mores) venirent donec quidam Epiſcopi,
Id quod (*a*) ferebatur, manere me velle.

Haec Gregorius, qui interim conſuetis orationibus populum docere non deſtitit. Cum autem hic ſtatus rerum foret. Theodoſius Imperator Theſſalonica venit Conſtantinopolim, eodem anno (*b*) quo ipſe una cum Gratiano Conſul adſcriptus eſt: ac primum omnium Demophilum Arianorum Epiſcopum ad ſe accerſit, eumque pluribus monuit, ut haereſi abdicata una cum ſuis Catholicam fidem profiteretur, alioqui omnes eccleſiis, quas occuparant, eſſe pellendos: at ille obſtinatiſſime refragatur, ac ſe ſubduxit ab urbe. Sic de eo Socrates atque Sozomenus. Poſt haec autem Gregorium noſtrum convenit, datque templum illud praecipuum in urbe, quod Ariani jam annis quadraginta occupaverant. Congreſſum hunc autem Theodoſii Imperatoris cum Gregorio idem ipſe his verſibus modeſtiſſime deſcribit.

(Ut ergo laetus venit ad laetiſſimos; [2]
Quo me quidem congreſſu primo exceperit
Honore, quae benigne utrimque dicta ſunt,

Quid

(1) De vita ſua.

(*a*) *Intelligitur fama de convocando Conſtantinopolim concilio ſparſa. Hermant totam pro retinendo Sancto contentionem populi ponit ante ejus ſeceſſum in agrum.*

(*b*) *Annus is fuit 380, ſed jam vergens ad finem: ſic enim ſcribit Socrates lib. 5. cap.* 6. Paucis poſt baptiſmum diebus, a morbo recreatus, *Imperator* Conſtantinopolim movet 8 kal. Decembris, Gratiano jam quintum Conſule eoque ipſo Theodoſio primum.

(2) De vita ſua.

Quid quaeſo dicam? turpe fuerit ſcilicet,
Me talem, animo eſſe elato propter talia,
Praeter Deum mirari nihil debeo (*a*).
Tandem, Dat (inquit) hoc templum per nos Deus
Tibi, tuiſque maximis laboribus.
Vocem incredibilem, effecta res donec foret!
Nam ſic & Urbs, & hominum fervens impetus
Id temporis revera comparata erant.
Ut non viderentur ceſſuri (inſuave quid
Si maxime eveniret) jure de ſuo:
Quod ſi vis adhiberetur, iram ſe brevem
In nos vomituros, quos facile eſſet vincere.
Haec ille: miſta in me laetitia cum metu
Cor palpitabat intus, &c.)

Quomodo autem idem Theodoſius Imperator Gregorium in templum adduxerit, idem ipſe declarat his verſibus: Jucundius haec lector ab ipſo, quam a quovis alio, qui ea tractent, accipiet.

(Jam tempus inſtabat, magnique exercitus
Per vim obtinebant fanum, inſtructis enſibus
Et populus adverſabatur totus tumens,
Arena ceu mari, vel fluctus; vel nives,
Inter preces miſcens iram, iratus mihi.
At Imperatori precando ſupplicant
Plenae viae, dromi, plateae, loca omnia,
Tabulata ſecunda, tertia, ſpectantibus
Viris, mulieribus, pueris, ſenioribus;
Inter gemitus, rugitus, atque lacrymas.
Nimirum imago urbis per vim captae erat.
At ego, gregis dux ille perquam ſtrenuus,
Et in hoc quidem ſoluto ſimul & debili
Parumque reſpirante adhuc corpuſculo,
Ibam Imperantem medius atque exercitum.

Sur-

(*a*) *Idem Socrates lib. 5. cap. 7. ita loquitur.* Eodem tempore Gregorius ab urbe Nazianzo tranſlatus intra urbem Regiam in exiguo oratorio conventus agebat . . . . omnium ſui temporis religioſiſſimus aeque ac facundiſſimus: qui quoſdam ob id murmurare intelligens, eo quod eſſet peregrinus, Imperatoris adventum avide amplexus, Conſtantinopoli morari ulterius recuſavit. *Haec verba ita accipit Hermant, quaſi recedendi facultatem ab Imperatore poſtulaſſe Sanctus primo illo congreſſu dicatur. Sed apparet Socratem, multa tranſilientem, de ea recuſatione loqui, quae facta in concilio eſt: proinde ejus verba huc trahi non debere.*

Surſum reſpectans atque ſpe fretus bona ;
Donec venio in templum , quo pacto neſcio .)

Quid autem tunc acciderit prodigiorum , quod Arianis primum non nihil attulit fiduciae ; poſtea autem ceſſit in Catholicorum laetitiam, idem ſcribit carminibus.

(Quod nam ergo miraculum ? Tu praedica liber ,
Ne poſteris ſit tanta ignota gratia .
Aurora erat , quaedamque nox invaſerat
Urbem , regente nube ſolis circulum :
Quae res ei non conveniebat tempori .
Celebritates publicae in primis dies
Poſcunt ſerenos . Atque hoc maxime hoſtibus
Jucundum erat , quaſi adverſaretur Deus
Negotio : nos tacitus mordebat dolor ,
At poſtea quam ego , & Majeſtas purpurae
Una ſacros intra cancellos ivimus .
Sublataque miſtim ab omnibus laudatio eſt
Dei , ſecutus clamor , manuum extenſio :
Tum ſplenduit rurſus adeo ſolis jubar ,
Jam nube diſſipata mandato Dei ,
Ut omnis aedes ſacra fulgeret ſtatim .
Quae viſa fuit eſſe triſtior, prius :
Veteriſque ſcenae induere cuncti imaginem ,
Quam texit olim fulgor ipſius Dei .
Vultus ſerenabantur , & mentes ſimul .
Cumque hoc munita jam foret fiducia
Spectaculo , poſcebat clamore omnium ;
Ac ſi eſſet unum hoc in praeſentia
Ut impetraret princeps atque maximum
Hoc munus urbs a Majeſtate principe ,
Nobis daretur ut ſolium urbis principis :
Hoc principes viri petunt ; hoc ſubditi ,
Cunctis idem plane deſiderantibus ,
Hoc feminae rogant magnis clamoribus ,
Pene amplius quam conveniret ſexui .
Erat hoc tonitru ingentem ſonum verberans .
Tandem meo quodam Collega aſſurgere
Juſſo (mihi enim tantum vocis haud erat ,

Metu

Digitized by Google

Metu ſimul perculſo & plane languido)
Compello eos aliena lingua interprete:
Cohibete clamorem , cohibete nunc obſecro:
Nam poſcit hoc tempus ; ut agamus gratias :
At illa poſt hac majora exequenda ſunt.
Haec dicta populus magno excepit murmure;
(Placere nam moderatio cunctis ſolet)
Et abiit Imperator haec ipſa comprobans.
Hic illius conventus exitus fuit;
Hac parte qui nos terruit tantummodo,
Quod unus enſis nudatus , rurſum fuit
Reconditus , plebiſque fracta audacia) (*a*).

Haec Gregorius. Quod autem habet de exerto gladio hic ſubobſcure (*b*): fuit hic ſicarius quidam , qui Gregorium occi-

(*a*) *Fuerant templa annis totis* 40. *ab Arianis poſſeſſa , ab anno ſcilicet* 119. *quo Sede Conſtantinopolitana pulſus fuerat S. Paulus , ſubſtituto in ejus locum Euſebio antea Nicomedienſi . Reſtitutionem templorum ſecuta eſt Oratio* 48. *cujus , velut in nova & inſperata laetitia , hujuſmodi ex abrupto exordium:* Quid tantum dici poteſt , quantum oculis uſurpare licet ? Quae oratio cum iis bonis , quae conſpiciuntur , comparanda eſt ? En oculis noſtris incredibile ſpectaculum proponitur , quod videre quidem ſaepe optavimus , praeſtantior autem voto erat haec cupiditas . Rurſum hic Martyrum honores , multo jam ante tempore neglecti : rurſum Sacerdotum Dei concurſus , rurſum tripudia & ſpirituales feſtivitates . Frequens hic conventus ad feſtum diem agitandum, non ad arma & praelia promptos & paratus . O ingens miraculum ! Arma e manibus projecta ſunt , ſoluta acies , belli cura abjicitur . *Martyres autem , quibus bellum hoc confectum gratulatur Sanctus , videntur fuiſſe* , SS. Euſtratius , Auxentius , Eugenius , Mardarius & Oreſtes , *in Armenia quidem ſub Diocletiano paſſi , Conſtantinopolim autem translati veroſimiliter ſub Conſtantino magno* : agitur *enim* eorum feſtivitas (*ut in Synaxario Claromontano legimus ad eorum diem* 13. *Decembris*) *in venerabili Apoſtolico* ſancti ac celeberrimi Apoſtoli Joannis, juxta Sanctiſſimam magnam eccleſiam , *in qua dictam eſſe orationem aeſtimamus : mox enim aggreditur Sanctus praeſentia cum praeteritis comparare , & rememorari funeſtae illius noctis , quando ipſo in choro conſtructa acies monachorum mulierumque inſanientium irrupit in Anaſtaſiam , uti ad caput* 11. *ſupra deductum eſt . In eadem magna eccleſia celeberrimoque concurſu etiam haereticorum dictam eſſe Orationem* 38. in Natalem Salvatoris , *ac poſtea alteram* 39. in ſancta lumina Epiphaniorum *cenſet Hermant : pari jure addi poſſet etiam Oratio* 40. in Sanctum Baptyſma , *poſtridie Epiphaniorum habita . Sed hoc divinare eſt , dum nullum in iis apparet argumentum , quo Conſtantinopoli adſcribantur , nedum huic tam inſperatae commutationis tempori . Majori cum fundamento videtur dici poſſe Conſtantinopoli habita Oratio* 26. *quae eſt* de moderatione in diſputationibus ſervanda , & quod non ſit cujuſvis hominis nec cujuſvis temporis de Deo diſputare . *Dicta eſt autem illa Martyrum quorumdam feſta : & argumentum tractat admodum congruum huic tempori , ſic finiens:* Si mihi obtemperandum duxeritis , juvenes & ſenes , praefecti & ſubditi , monachi & conjugati , ſupervacaneas & inutiles oſtentationes valere jubebitis *&c. Quo indicatur ad ingentem omnis aetatis , conditionis & ordinis multitudinem locutum tunc Sanctum .*

(*b*) *Ita primum Baronius : in Annalibus autem haec recognoſcens , judicavit hunc enſem , qui fuit in templo ſtrictus , cum ſicarii ſequentis facto nihil habere commune . Itaque verſus praecedentes ſic explicat num.* 14. *ad an.* 380. *quaſi* ob nimiam compreſſionem confuſionemque prementium , ad terrorem evagi-

dendi conſilium coeperat; tentavit facinus: ſed divina quadam virtute impeditus, perficere quod erat meditatus non valuit. Verum poſtea poenitentia ductus, idem ſponte ſupplex a Gregorio veniam poſtulavit: ut autem res ſe habuerit, idem in hunc modum deſcribit.

(Aliquando eram domi, morbo premente me;
(Namque aderat is concurrens cum laboribus)
Hae noſtrae deliciae, ut videtur invidis.
Sic comparatis rebus, e populo meas
Quidam ingrediuntur aedes; cumque his quiſpiam
Juvenis, coma longa, habitu triſtis, pallidus,
Hic ipſe cum converterem de lectulo
Paulum pedes, ut conſuevere territi;
Illi Deoque ac Principi actis gratiis
Ut mens ferebat maximis, quod hunc diem
Utriuſque dono cernerent, atque in meam
Laudem elocuti quidpiam, domo ſimul
Abeunt. At ille pedibus adfixus meis
Tacendo ſupplicabat, percitus metu.
Cumque ipſe, quis, vel unde, vel quid poſceret
Inquirerem; ipſe grandiores edere
Solummodo ejulatus, gemere, plorare, ac manus
Stringere, mihique lacrymas excutere.
Qui raptus inde cum fuit vi (non enim
Verba audiiſſet) aliquis é praeſentibus;
Tuus homicida, te licet texit Deus,
Se liſtit ultro, conſcientia ſui
Huc ſceleris actus, & reum ſe confitens.
En lacrymas praebet pro pretio ſanguinis.
Haec ille: verbis ipſe fractus talibus
Emitto vocem, qua illum culpa libero:
Servet te Deus: me ſervatum commode
Tecum agere, magnum exiſtimare haud convenit.
Meum te facinus hoc effecit: tu vide
Ut te Deoque ac me poſthac digne geras)

Haec

evaginatus enſis fuerit: *quid ni potius ad coercendum unum alterumve de plebe, inſolentius aliquid dicentem facientemve & ad alios terrendos? cum dicatur ex enſis evaginatione* plebis fracta audacia.

Haec vulgata per urbem multorum animum [1] erga Gregorium bene affectum reddidere. At rurſum vero invidorum detractione non leve iterum in ipſum conflatum eſt odium, oſcitantiam redarguentium, quod vaſa ſacra, quae multa erant ac ingentis pretii jam olim apud Quaeſtores depoſita, ipſe non repeteret (a). At quidem nullam rationem ipſe repererat de his in Eccleſiaſticis monumentis, nec apud praedictos magiſtratus; eratque opus ſummi laboris, nec praeſentis otii, quod facile expediri potuiſſet; cum praeſertim ad reducendos devios, ad uniendos diviſos, & in his quae ad jura templi ſpectant, Gregorius totus eſſet.

CAPUT XIV.

In thronum invitus collocatus Gregorius Teſtamentum ſuum condit.

CUM haec geruntur Conſtantinopoli, Epiſcopi illi, quos fama adventuros Conſtantinopolim ferebat, adſunt. Fuerunt Epiſcop. Orientales, non pauci numero: quorum omnium celeberrimus aderat Meletius (b) Epiſcopus Antiochenus, Confeſſione clarus, qui contra Arianos, tempore Conſtantii Imperatoris ac inde Valentis, pro fide Catholica ſtrenue decertaverat, ac ob eam cauſam iterum in exilium miſſus fuerat, immenſoſque labores eadem ex cauſa tulerat. Hic, inquam, Meletius venit una cum ceteris Epiſcopis Conſtantinopolim, ut Gregorium Nazianzenum locaret in Throno, & ut Gregorii Nyſſeni utar verbis, ſponſum conjungeret ſponſae. Tunc etiam advenit ipſe Gregorius Nyſſenus [2], qui (ut diximus) libros quos contra Eunomium (c) elaboraverat, legit Gregorio Nazianzeno atque Hieronymo, apud eum tunc Conſtantinopoli commoranti. Quid tandem? Collocant hi omnes Gregorium, invitum licet, in Throno, firmant ejus Sedem, qui una tantum ſpe ductus, nimirum ut ea ratione ad componendas res Eccleſiarum ſequeſter optimus

(1) De vita ſua.

(a) *Statim poſt narratum factum praecedens, hujus quidem rei excuſationem proponit, ſatis indicans nonnullis eam moderationem minus probari: ſed quod ingens ea cauſa fuerit contra Sanctum commotio animorum, non invenio.*

(b) *De S. Meletio & Antiocheno ſchiſmate, plene actum a nobis ad 12. Februarii.*

(2) Nyſſen. in funere Melem.

(c) *Libros Nyſſeni contra Eunomium, quos ordine perquam turbato habemus impreſſos, ſuo naturali ordini reſtituendos monſtravimus ad 9. Martii, §. 2. Commentarii hiſtorici de eorum auctore.*

mus eſſet, illis acquievit, ac ſe locari in Sede paſſus eſt. Haec enim omnia idem ipſe concinne deſcribit in hunc modum.

[Omnes enim Orientales (AEgyptum (*a*) excipe)
Antiſtites, adhuſque Romam illam alteram, [1]
Ex intimis telluris ac maris angulis,
(Quibus Dei mandatis impulſi haud ſcio)
Coeunt, mihi ſtabilituri Sedem ſacram,
In queis erat Princeps unus piiſſimus,
Simplex, mala ſine fraude, plenus numine,
Cernens placidum, fidens animi, ac ſimul prudens,
Etiam intuentes excolens in ſpiritu.
Quis quaeſo neſciat, quem noſtra vox notet,
Eccleſiae Antiochenſis illum Praeſidem?
Qui erat reapſe, quod audiebat nomine;
Mores habebat, atque nomen melleum:
Qui multa toleravit ſanctum ob ſpiritum,
Ab extera pulſus aliquando potentia:
Qui certaminibus expolivit gratiam
Illuſtribus ſuam. Hi me in Sede collocant
Clamantem atque gementem: ſed una cauſa tamen
Minus repugnantem: Tu Verbum teſtis es
Quaenam illa? Non fas veritatem abſcondere.

Rebar

(*a*) *Exiſtimat Hermant nec vocatos quidem fuiſſe, quod ſuſpecti eſſent, ne cauſa Maximi, per ſuos illegittime ordinati, turbarent potius quam promoverent ordinationem Conſtantinopolitani Epiſcopi, quae inprimis facienda erat. Veroſimilius exiſtimo venire contempſiſſe, eo quod eorum fere ſcirent fore Concilium, qui Meletio contra Paulinum favebant: Timotheum autem Alexandrinum, cum unico ſolo Oxyrinchite Epiſcopo, in iter deinde dediſſe ſeſe, non tam ut totam ſuam nationem repraeſentaret in Synodo, quam ut, ſi ordinandus eſſet alius a Maximo Conſtantinopolitanus Epiſcopus, id non fieret ab alio quam a ſe cum ſui juris praejudicio; ſed tempeſtate vel alio caſu retardatum non comparuiſſe ad condictam diem. Tum vero Meletium, ſuam hanc occaſionem ratum, & ipſa veroſimiliter fama motum quae attulerat AEgyptios non comparituros, neſſiſſe inſtitiſſeque, ut & quando jam ii omnes aderant qui adfuturi ſperabantur (nam Demophilus Macedonianus, cum ſuis ex circumjecta Conſtantinopolitanae urbi Thracia Epiſcopis 30. ſeceſſionem fecerat, profeſſus Arianam ſe fidem malle, quam Conſubſtantialem Patri Filium aſſerere) ut, inquam ſine mora Gregorius, jam pridem poſtulatus a populo, imo ut infra apparebit ab eodem in Thronum violenter elatus, cito conſtitueretur Epiſcopus: ne forte ſupervenient vacante adhuc Sede Alexandrinus (quem ſolum cum ſocio eſſe in via tuliſſe etiam fama poterat) primas in Concilio praetenderet, ut principali ſuae Sedi debitas, a qua praetenſione excludebatur per maturam Conſtantinopolitani Epiſcopi ordinationem. Cumque in hanc ſententiam facile adduxiſſet ceteros, qui jam convenerant undique ad Synodum (quam exiſtimem indictam fuiſſe in diem circiter 20. Maji) ante omnia actum eſſe ut cogeretur Gregorius Sedem iſtam admittere.*

(1) De vita ſua.

Rebar ſtolida perſuaſione pectoris,
Hujus ſi ſolii poſſem Imperium conſequi
Inſtar ducis Chorearum, qui Choros duos
Utrimque medius ipſos apte collocat,
Illum quidem hic, alium iſtic, fieri ut ſolet;
Sic me reconciliaturum adverſarios).

Haec & alia Gregorius, cauſam declarans, cur tandem Eccleſiaſticae pacis componendae ergo, illis acquieviſſet.

Ejuſmodi diſcordia erat exorta occaſione ſchiſmatis Eccleſiae Antiochenae, in qua [ut praetereamus Antiſtites haereticos] duo Epiſcopi Catholicis praeerant, quorum alter Meletius, quem diximus erat, alter vero Paulinus. Apollinariſtas autem Vitalis regebat. Horum cauſa S. Hieronymus, ambiguus aliquando quocum communicare deberet, abſtinuit ſe ab omnibus, donec Damaſum Romanum Pontificem conſuleret, ad quem cum ſcriberet, haec habuit inter alia. (Non novi Vitalem, Meletium reſpuo, ignoro Paulinum. Quicumque tecum non colligit, ſpargit, hoc eſt: Qui Chriſti non eſt, Antichriſti eſt). Haec Hieronymus: qui ad eumdem iteratis litteris agens, teſtatur quod hi omnes Damaſo ſe adhaerere profiterentur, cum ait: (Ego interea clamito, ſiquis Cathedrae Petri jungitur, meus eſt. Meletius, Vitalis, atque Paulinus tibi haerere ſe dicunt). Hactenus de his ille. Porro, ut advenit, aliis aliorum ſtudia ſectantibus, ea occaſione totus pene Chriſtianus Catholicus orbis ſchiſmate diviſus eſt. AEgyptii ac Macedones, & alii Paulini amplexantes communionem, Meletium reſpuebant; ceteri autem Orientales, communicantes Meletio, Paulinum averſabantur. Hujus itaque ſchiſmatis conciliandi gratia Gregorius, ut ait, hac una cauſa paſſus eſt tandem in throno ſe locari.

Sublimatus in Thronum Gregorius, mox adverſariorum ferientium ſenſit aculeos: quique erant illi inſenſi, ſive haereticorum ſive Catholicorum, quos a ſe Maximi ſchiſma divulſerat, quorum animos tanta Gregorii gloria livore offuderat exacerbaratque, in ipſum obloqui, obſtrepere, declamare, ac in vulgus ſpargere non ceſſant, ipſum gloriae cupidum eam Cathedram concupiſſe, ejuſque adipiſcendae gratia Conſtantinopolim ſe contuliſſe, ac longo ambitu tandem adeptum eſſe. Tunc ipſe pro concione de ea re agendum ſibi cenſens, orationem illam praeclaram habuit, cujus eſt titulus. De ſe ipſo & ad eos, qui ipſum Ca-

Cathedram Conſtantinopolitanam affectare dicebant (*a*): ubi collaudato populi erga ſe ſtudio, volens oſtendere quam longe abſit ut ejus favorem adulando ſtuduerit demereri: [Hoc, inquit, ex novo illo facinore perſpicuum factum eſt, quod circa me nuper edidiſtis; cum vos, qui plebs eſtis, zelo & ira flagrantes, clamantem & ingemiſcentem in hac Sede collocaſtis, quam tyrannicam an Archiepiſcopalem dicere debeam, incertum habeo: ſed collocaſtis (*b*) tamen, propter vim amoris erga me

ve-

(a) *Exiſtimare videtur Baronius quod haec Oratio habita ſit, poſtquam in Thronum ab Epiſcopis fuit evectus Gregorius. Veroſimilius exſtimo cum Hermant, habitam antea; alias enim non omiſiſſet allegare vim ſibi ab Epiſcopis illatam. Habita eſt autem in pleniſſimo conſeſſu praeſente Imperatore, aulicis & magiſtratibus, quos ultima orationis pars ſigillatim admonet officii; adeoque habita eſt in magna eccleſia. Habita etiam eſt ex ipſa Cathedra Epiſcopali: quam ſaltem ut Vicarius occupabat, donec proprium Epiſcopum Patres ad Concilium convenientes inſtruerent.*

(b) *In Carmine de vita ſua non meminit Sanctus hujus violentiae; eoque difficilius eſt ſtatuere, quo tempore praeciſe ipſa ei ſit facta. Hermant cenſet quod paucis poſt reſtitutionem eccleſiarum diebus: quam non ferentes Ariani, neu ita potuerint praeſentiae in urbe Imperatoris reverentia coerceri, quin multa acerbe & contumelioſe in Gregorium dicerent facerentque. His autem moti cives, non expectato Epiſcoporum qui convocabantur adventu, praeoccuparunt ipſum inſtallare: quod quia praeter Canones erat, tanquam momenti nullius videtur Sanctus in dicto Carmine tranſiliiſſe. Sit igitur haec res facta menſe Februario aut Martio; oratio vero habita menſe Aprili, cum propinquitas adventantium ad urbem Epiſcoporum magis acuere poterat invidorum linguas, metuentium ne populare factum illi ratum haberent, eoque conabantur Gregorium de ambitione infamare. Certe non ante Majum videtur e Syria potuiſſe adeſſe Meletius, multo minus alii ex remotioribus etiam partibus acciti: praeceſſiſſe enim debuit Indictio Concilii, quae vix ante finem Januarii cogitandum eſt eſſe factam, quia credibile eſt prius fuiſſe publicatum edictum, 10. Januarii die dictatum, de templis toto Imperio in poteſtatem Orthodoxorum reddendis. Si autem ad menſem Majum addas Junium & initium Julii, cujus die 9. legitur data Synodica ad Imperatorem, ipſius Concilii acta (quae non extant) concludens, invenies juſtum rebus omnibus gerendis ſpatium. At, inquies, S. Meletius; qui paulo poſt inthronizatum Gregorium durante Concilio obiit, creditur defunctus 12. die Februarii quo colitur. Reſpondeo, nequaquam mirum eſſe, ſi peregre mortuo S. Meletio fuerit feſtum annuum inſtitutum Antiochiae, non eo die quo Conſtantinopoli moriens vir Sanctus.*

Hinc Angelorum raptus ad coetum
fuit: *aut quo*
Deductione civitatis totius,
Tunc maxime dolentis ut decens erat,
Eccleſiam devectus eſt ad propriam,
Theſaurus ingens intelligentibus:

imo nec eo, quo fuit Antiochiae exceptus (nam uti exportatus Conſtantinopoli fuit ſtatim a morte, ſicut ex Nazianzeni verſibus citatis & rebus poſt narratis colligitur, ita credibile eſt quam feſtinantiſſime potuit devectum per iter, quod ſive terra ſeu mari ſumas unius alteriuſve dumtaxat hebdomadae fuit) ſed altero quo ad Ordinationem Flaviani Antiochiam convenerunt Epiſcopi: quos veroſimile eſt dilatas catenus exequias viri Sancti quam ſolenniſſimas egiſſe, & conſtituiſſe, ut hic anniverſaria commemoratione recoleretur. Florarii MS. collector S. Meletii nomen refert 10. Junii; utinam ſciretur quo auctore? hic enim ſi antiquus foret, vix dubitarem affirmare eo die vel mortuum Conſtantinopoli vel ſaltem Antiochiam relatum eum fuiſſe: tunc certe potuit, nec potuit facile multo citius ſeriuſve id contigiſſe. Nec obeſt quod id ſubſcriptionibus poſt Canones, Imperatori oblatos per Epiſtolam datam 6. Julii ut diximus, inveniatur primus Provinciae Coeleſyriae ſubſcriptus Meletius Antiochenus: *non enim genuinae ſunt iſtae ſubſcriptiones nec in debita forma, ſed nuda nomenclatura eſſe videtur ex Actis collecta, quorum initio Meletius interfuit: aut certe Meletii nomen librarius aliquis ex ſuo adjecit judicio, exiſtimans per errorem fuiſſe omiſſum.*

veſtri, jus faſque violantes. Quo quidem tempore nonnullis eorum, qui vehementius in eam rem incumbebant, adeo graviter ſuccenſuimus, ut amore in odium mutato, a nobis pedem confeſtim retulerint). Et poſt multa, ſe ab illis vocatum ac vi adactum acceſſiſſe refert.

Quo item fuerit animo cum advenit, his verbis teſtatum reliquit: (Si humanum, inquit, aliquid abjectumque cogitans atque hanc Cathedram affectans, aut huc primum cum ſenecta hac cana atque his membris, vitae diuturnitate & morbo rugatis atque contractis, veniſſem; aut nunc has ignominias ferrem; profecto coelum & terram [quibus teſtibus atteſtari moris erat] erubeſcerem; erubeſcerem & Cathedram hanc, & ſacrum hunc coetum, ſanctamque hanc & vere ſanctam coagmentatam plebem, adverſus quam tot ſceleratorum hominum copiae aciem inſtruxerunt, ut priuſquam conjuncta ſit, diſſolvatur, & priuſquam in lucem prodeat, extinguatur, jam ſecundum Chriſtum formari incipiens. Ad haec laborum meorum & aerumnarum me puderet, & aſperae hujus veſtis, & ſeceſſus in ſolitudinem quam familiarem ſemper habuimus; vitae item facilis & expeditae & menſae frugalis ac ſimplicis, avium vita haud multo inferioris. In gratiam etiam cum veritate redeant, qui me alienae uxoris cupiditate flagraſſe dicunt, cum ne propriam (*a*) quidem habere voluerim) &c. Et in alia oratione, quam in Synodo habuit coram centum quinquaginta Epiſcopis: (Si, inquit, Principatus aut ſublimium Thronorum amore flagravi, aut peccatorum aulas calcare geſtii, numquam aliud quidpiam ſplendoris amplitudiniſque mihi contingat; aut ſi quid contigerit, confeſtim illud projiciam & amittam) (*b*).

Haec Gregorius, qui ſibi Eccleſiae Conſtantinopolitanae indiſſo-

(*a*) Nazianzenam *intelligo, ſaepe oblatam, ſemper recuſatam: nam* Saſima, *pro quibus fuit ordinatus Gregorius, non videntur a Gregorio unquam pro Eccleſia aeſtimari, nec propriam ſuam voluiſſe dicere eam, ad quam numquam fuit vocatus a populo. Si quis tamen Saſimenſem intelligere malit, per me licet.*

(*b*) *Hactenus Baronius* in prima hujus vitae editione (*uti ipſe appellat in Annalibus an.* 389. *num.* 22., *licet ſolum intelligat hoc manuſcriptum ſuum inter amicos communicatum*) *hactenus, inquam, Nazianzeni res promoverat Baronius, & conſequenter Concilii C. P. acta ac cetera Sancti ad mortem uſque geſta protexuerat, nulla facta mentione Teſtamenti*: Quis enim, *inquit*, illud extare, aut aliquam ejus rationem habendam eſſe putaſſet, quod tot rerum atque ſcriptorum ejuſdem Gregorii accuratiſſimos exploratores praeteriiſſet; vel ſi noverunt, tamen viſi ſunt penitus, tamquam commentitium, contempſiſſe? *Cum autem idem Baronius in ſecunda ejuſdem vitae editione, id eſt in Annalibus, ipſum dignum cenſuerit quod eidem ſubnecteret, accurateque defenderet: ego hoc ejus judicium ſecutus, plane ex mente ejus facturum me credidi, ſi ipſum proprio inſererem loco, ſimul cum commentatione eodem ſpectante, quae nobis conſtituet Caput* 15.

diſſolubiliter, ut opinabatur, adſtricto, nullam ſpem reliquam eſſe credens redeundi Nazianzum, ibique de rebus ſuis ultimum diſponendi, eoram amicioribus nonnullis Epiſcopis Teſtamentum condidit; quod merito divinum appellavit Joannes, Lector & Notarius Sanctiſſimae Eccleſiae Nazianzenae, qui ipſum (*a*) (ex archetypo exemplari in eadem Eccleſia aſſervato, in quo & propriae manus ſubſcriptiones extant, tam ipſius quam teſtium qui ſubſcripſerunt,) exſcripſit & edidit. Latuit illud hactenus inter Briſſonii, viri ſane valde periti, Formulas (*b*) Graece editum: ubi cum illud haberi me monuiſſet Marcus Antonius Maſsa Salernitanus I. C. quocum ob illius doctrinam variamque eruditionem cum pietate conjunctam domeſtiea mihi conſuetudo intercedit, omnium fere librorum angulos exploratos habens, ſed mendoſum vehementer & mutilum; muneris autem mei eſſe illud, ſi fortaſſe minime probaretur, confutare diſertis rationibus; rem contuli cum Jacobo Sirmondo (*c*), mei ſtudioſiſſimo, Societatis Jeſu Profeſſore, omnium plane litterarum genere excultiſſimo: qui infatigabili ſtudio penetralia quaeque bibliothecae Vaticanae perluſtrans, invenit tandem in duobus antiquis codicibus ejuſmodi teſtamentum: quod contulit, emendavit, atque Latinitati primus omnium tradidit, ſicut hic habes deſcriptum.

(Flavio Eucherio & Flavio Evagrio Viris Clariſſimis Coſſ. pridie kalendas Junias Gregorius Epiſcopus Catholicae Conſtantinopolis Eccleſiae, vivens ac prudens, ſanoque judicio & integris animi ſenſibus condidi hoc teſtamentum: quod quidem jubeo & volo in quovis foro & quomodolibet ratum ac firmum eſſe. Jam enim mentem meam declaravi (*d*), omnemque meam ſub-

(*a*) *Titulus MS. Graeci, uti editus in Appendice operum tomi* 1. *extat, hic erat:* Exemplum teſtamenti S. Gregorii Theologi, deſcriptum ex archetypo &c. *prout* () *inclusa verba ſequuntur.*

(*b*) *Barnabas Briſſonius, Regii Conſiſtorii Conſiliarius & Pariſienſis Senatus Praeſes*, de formulis & ſolennibus populi Romani verbi *libros* 8. *edidit Pariſiis anno* 1582. *quos habemus Francofurti recuſos an.* 1592, *ubi libro* 7. *circa medium & pagina apud nos* 680. *ipſum Graecum habetur ex membranis, & quidem aliis quam quae in Vaticana Sirmondus reperit: nam in titulo legebatur* μετεγράφο ἐκ τοῦ ἀρχετύπου τοῦ συγκειμένου ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ Ναζιανζοῦ, deſcriptum eſt ex archetypo quod jacet in eccleſia Naziansi. *Eſt autem veroſimile quod in Francia membranae ſint, quas vidit Briſſonius.*

(*c*) *Addiderat his Baronius*, Pariſienſi: *quod omiſi ex mente auctoris, qui alibi certius edoctus* Arvenum *patria* Sirmondum *fuiſſe, erratum correxit.*

(*d*) *Scriptum quidem a Sirmondo* Januarias, *& ſic a Baronio & Billio eſt editum, quia ſic in uno MS. legebatur: ne tamen in ipſo principio lector offenderetur, veram lectionem adhibere maluimus: alibi nomen menſis deerat. Veroſimile eſt in originali ſcriptum* πρὸ μιᾶς καλανδῶν Ἰου. *quod alius legerit* Ἰαν; *& extenderit* Ιανουαρίων *pro* Ἰουνίων. *Nihil enim uſitatius antiquis quam truncare nomina menſium: & in*

ſubſtantiam Catholicae Nazianzi Eccleſiae conſecravi, ad pauperum qui ſub eadem ſunt Eccleſia miniſterium. Qua etiam de cauſa tres juxta hanc meam voluntatem, alendis pauperibus Curatores inſtitui; Marcellum Diaconum & monachum: Gregorium item Diaconum, qui fuit e familia mea; & Euſtathium monachum, qui & ipſe fuit e domo mea. Nunc vero eumdem animum retinens erga ſanctam Eccleſiam Nazianzenam, eodem perſto in propoſito. Cum igitur contigerit me ex vita diſcedere: heres meus eſto praedictus Gregorius Diaconus & Monachus, domeſticus quondam meus, quem pridem manu miſi; ex univerſa ſubſtantia mea, mobili & immobili, ubicumque ea mihi ſita eſt. Ceteri omnes exheredes mihi ſunto. Ita quidem ut ipſe meam omnem ſubſtantiam, mobilem & immobilem, ſanctae Catholicae Nazianzi Eccleſiae reſtituat, nihil penitus ſubducens, praeterquam quae hoc teſtamento quibuſdam privatim reliquero, legati aut fidei commiſſi gratia: ſed omnia ut praedixi diligenter ſervet Eccleſiae, Dei timorem prae oculis habens, ſcienſque jam a me decretum, uti omnia mea illius Eccleſiae pauperum miniſterio cedant; in eamque rem ſe inſtitutum heredem, ut per ipſum Eccleſiae omnia ſine fraude conſerventur.

Servos quoſcumque vel mea voluntate vel beatiſſimorum parentum meorum mandato manumiſi, hos omnes nunc etiam liberos manere volo, & peculia ſua ipſis abſque ullo impedimento firma permanere. Volo praeterea, heredem meum Gregorium Diaconum, una cum Euſtathio monacho, ambos olim e domo mea, poſſidere predium Arianzenum, quod ex Rhegini bonis ad nos pervenit: gregales vero equas & oves, quotquot jam ipſis praeſens dari juſſi, quarumque propietatem ipſis ac dominium tradidi, has ipſis quietas manere volo jure dominii. Per praeceptionem item Gregorium Diaconum & heredem meum, qui mihi fideliter miniſtravit, privato jure dominii habere volo aureos numero quinquaginta. Ruſſianae, Virgini (a) venerandae propinquae meae, certa quaedam in annos ſingulos dari juſſi, unde liberaliter vivat: quae quidem omnia eidem, quemadmodum praeſcripſi, volo ac jubeo quotannis ſine mora praeſtari. De habita-

In Vita S. Athanaſii num. 181. Simili errore vidimus Januarium pro Junio obrepſiſſe in Epiſtola Julii Papae Graeca.

(a) *Quamdiu ante ſuum Conſtantinopolim diſceſſum id fecerit Sanctus, non conſtat: veriſimile mihi eſt, pro magno ejus erga pauperes amore, quod id fecerit ſtatim poſt obitum parentum, reſervato ſibi dumtaxat Arianzeno praediolo, quod hic ſuo inſtituto heredi & ſocio Euſtathio legat.*

bitatione autem, tum quidem nihil propterea ſtatui, quod neſcirem ubinam ipſa degere mallet: nunc vero & hoc volo, quocumque ipſa loco elegerit, parari ei domum ingenuae congruentem, ad honeſtam Virginis habitationem: quam utique domum ſine interpellatione habebit ipſa in uſum fructum quoad vixerit, poſtea vero reſtituet Eccleſiae. Addi praeterea eidem volo puellas duas, quas ipſa delegerit: hoc nimirum pacto, ut cum ea morentur puellae uſque dum vivet: & ſi quidem illi ita viſum fuerit, liceat ipſi libertate eas donare; ſin minus, & illae quoque ad Eccleſiam pertineant.

Theophilum puerum qui mecum manet, jam manu miſi: volo autem ei nunc etiam dari, legati nomine, nummos quinque. Eupraxium vero ejus fratrem, liberum eſſe volo; eique legati nomine dari nummos quinque. Volo praeterea Theodoſium notarium meum, liberum eſſe, eique legati nomine dari aureos nummos quinque. Alypianam filiam meam dulciſſimam (ceterarum enim Eugeniae & Nonnae exigua ratio ducenda eſt, ut quarum vita reprehenſione non vacat) veniam mihi dare volo quod nihil poſſum ipſi relinquere: quippe qui omnia jam pauperibus deſtinavi; aut potius beatiſſimis parentibus, qui ita polliciti erant, obſecutus ſum: quorum voluntatem irritam reddere nec ſanctum nec tutum arbitror. Quaecumque tamen ex beati fratris mei Caeſarii rebus, in veſte ſerica aut linea aut lanea aut (*a*) burichaliis ſuperſunt, haec ad ipſius liberos pertinere volo: & nulla in re, ipſam vel ſorores ejus moleſtas eſſe vel heredi meo vel Eccleſiae. Meletius, gener meus ſciat ſe praedium Apenzinſenum, quod ex Euphemii rebus eſt, mala fide poſsidere: de quo quidem & jam antea ſcripſi ſaepius Euphemio, ignaviae eum condemnans niſi ſua recuperaret. Et nunc teſtor omnes Magiſtratus & qui ſub Magiſtratu ſunt, injuriam fieri Euphemio: oportet enim praedium Euphemio reſtitui.

Emptionem fundi Canotalorum reverendiſsimo filio Epiſcopo Amphilochio redintegrari volo. Conſtat enim ex chartis noſtris, idque ſciunt omnes, quod & ſolutus fuerit contractus, & pretium receperim, proprietatemque ad dominium poſſeſsionis jam pridem reddiderim. Evagrio Diacono, qui multorum mecum laborum & curarum particeps, in multis ſuam mihi benevolentiam

(*a*) Ruſſianam *hanc, ex tam plena reverentiae appellatione, colligas grandaevam valde fuiſſe.*

tiam commendavit, gratiam habeo coram Deo & coram hominibus. Ac majora quidem ipſi Deus retribuet: ne vero parva etiam amoris ſymbola praetermittamus, volo ei dari (*a*) camaſum unum, tunicam unam, pallia duo, aureos nummos triginta. Similiter dulciſſimo Condiacono noſtro Theodulo dari volo camaſum unum, tunicas duas ex iis quae ſunt in patria, aureos viginti ex patriae item rationibus. Elaphio notario, qui & bene moratus eſt, & quo tempore fuit in obſequio belle nos refocillavit; dari volo camaſum unum, tunicas duas, pallia tria, ſigillionem (*b*), in patria nummos aureos viginti.

Hoc meum teſtamentum ratum ac firmum eſſe volo in omni judicio & quomodocumque. Quod ſi tamquam teſtamentum vim non (*c*) habuerit; tamquam voluntatem ipſum ſeu codicillum (*d*) valere volo. Qui vero ipſum evertere tentaverit, rationem reddet in die judicii & poenam ſuſtinebit.

In nomine Patris & Filii & Spiritus ſancti.

Gregorius, Epiſcopus Catholicae Conſtantinopolis Eccleſiae, relegi teſtamentum; & omnia probans ſubſcripſi manu mea, & vim obtinere volo ac jubeo.

Amphilochius (*e*), Epiſcopus Catholicae Iconii Eccleſiae, interfui teſtamento Reverendiſsimi Epiſcopi Gregorii: & eo rogante ſubſcripſi manu mea.

Optimus (*f*) Epiſcopus Catholicae Antiochenae Eccleſiae interfui, cum Reverendiſsimus Epiſcopus Gregorius teſtamentum ſuum, ut ſupra ſcriptum eſt, diſponeret, & eo rogante ſubſcripſi manu mea (*g*).

Tom. II: Xx 2 Theo-

(*a*) Βυρίχος Buricus, *equus eſt Iſidoro Paulino & aliis; hinc* Συριχνάλια *in Chronico Alexandrino* ſtragula equeſtria, *hic autem forſitan ſumuntur pro quavis ſtragula veſte.*

(*b*) Camaſus *apud Iſidorum in Gloſſis* Amfimallus *vertitur, & in Graeco-barbaris apud Meurſium explicatur* Chlamys ad hyemem vel pluviam, *μάνδυσμα Χειμωνιστικόν*.

(*c*) Σιγιλλίων, *melius forte* Σιγγιλλίων *ſcriberetur: Latine* Singiliones *dixere, quaſi* Singuliones, *quod eſſent ex ſingulo, ſive ſimplici, non autem ex duplicato panno confectae veſtes, Graece* ἁπλοΐδες *dicerentur.*

(*d*) *Intellige ex defectu alicujus ſolennitatis a lege requiſitae.*

(*e*) Codicillis *ſcribendis nullae ſolemnitates requiruntur: & hos tamen valere lex juſſit, ut extremae hominum voluntati quocumque in caſu cautum foret.*

(*f*) *Amicitiae praeſertim jure, & quod vicinum Cappadociae in Lycaonia Epiſcopatum haberet, hunc & tres alios lectos teſtes arbitror: adhibentur autem teſtes ſeptem, tot enim lex requirebat, unde in teſtamento Berticbramni Cenomanenſis Epiſcopi apud Briſſonium pag. 683.* Ut lex edocet, ſeptem virorum honeſtorum ſubſcriptionibus & ſigillis credidi muniendum.

(*g*) *In ſubſcriptionibus Concilii,* Optimus: *intelligitur autem, ut ex iiſdem ſubſcriptionibus patet,* Antiochia *Piſidiae Metropolis, ideoque ejus Epiſcopus primus ponitur inter illius Provinciae Epiſcopos.*

Theodoſius, Epiſcopus Catholicae (a) Idae Eccleſiae, praeſens teſtamento Reverendiſsimi Epiſcopi Gregorii, & ab eo rogatus, ſubſcripſi manu mea.

Theodulus, Epiſcopus ſanctae Catholicae Apamae (b) Eccleſiae, praeſens &c.

Hilarius, Epiſcopus Catholicae Iſauriae Eccleſiae, praeſens &c.

Themiſtius, Epiſcopus ſanctae Catholicae Hadrianopolis (c) Eccleſiae, praeſens &c.

Cledonius, Presbyter Catholicae Iconii Eccleſiae, praeſens &c.

Joannes, Sanctiſsimae Nazianzi Eccleſiae Lector & Notarius, exemplum divini teſtamenti, quod in ſanctiſsima Eccleſia mea reconditum eſt, ſancti & illuſtris ac Theologi Gregorii exſcripſi & edidi].

CAPUT XV.

Teſtamenti hujus veritas defenſa & illuſtrata.

JAm vero noſtrarum partium eſſe ſcimus, ut his quam exacte percognitis, num haec in omnibus inveniatur veritati conſentanea diſquiramus, elucidemuſque obductum veluti rubigine monumentum. Eſſe quidem ipſum germanum Gregorii Theologi teſtamentum, ſunt multa quae perſuadeant. Verum quoniam ipſa prima ejus inſpectione longe reſugere poſſit animus, ut id audire velit, nedum aſſerere, ipſum Gregorium filias habuiſſe atque generum, de hoc ipſo primum jure agendum erit. Etenim nihil eſt ut vel in leve diſcrimen poſſit adduci Gregorii, quem ſuis ipſe ſaepe ſcriptis profitetur, cultus virginitatis, quam par eſt ut ante omnia apertiſſime demonſtratam atque probatam, ſartam tectam in omnibus relinquamus. Nihil quidem magis certum atque exploratum ex omnibus Gregorii rebus geſtis videri poteſt, quam ipſum perpetuam coluiſſe virginitatem, teſtante id ipſo

(a) *In ſubſcriptionibus* Hydenſis, *in Provincia Lycaoniae. Sic & in Chalcedonenſi Synodo* Rufus Hydae *ſubſcribitur: ejuſdemque provinciae eſt teſtis quintus* Hilarius Iſauriae *ſive* Iſaurenſis, *in ſubſcriptionibus* Ilvarius vel Illyrius.

(b) Apameam *Piſidiae intellige potius quam Bithyniae, & in eo qui ſequitur* Themiſtio Hadrianopolim *ſimiliter Piſidiae potius quam Thraciae; ut ex ſolis duabus provinciis intelligantur teſtes adhibiti, prout illi commune forſan & Epiſcopo Conſtantinopolitano vicinum hoſpitium habebant.*

(c) *Haec clauſula ad teſtamentum non pertinet, uti nec titulus: unde nec in Briſſonii codice inveniebatur. Non eſt autem facile divinare, quamdiu poſt teſtamenti ſcriptionem tranſcriptum hoc ejus exemplum ſit.*

ipſo quam ſaepiſſime, cum in ſenectute confectus aerumnis, ſeſe ejus, tamquam rei praeclarae memoria conſolans, cygnaeis modulis ſaepe concinuit, ut illud imprimis proſa redditum: (Corpore virgo ſum: an autem etiam animo haud certo habeo]. Profitetur hoc etiam in Carmine, ubi conqueritur de calamitatibus ſuis: itemque in Carm. de Virginitate, & in Praeceptis ad Virgines. Rurſum in Carmine de vita ſua, & eo qui inſcribitur de rebus ſuis, ubi hos habet verſus:

(Non me connubium ſtrinxit, nec fluxio vitae)
Et inferius.
(Nec mea femineo maduerunt membra liquore).

Inſuper eum rurſus animae ſuae calamitates deplorat, viſionem ſibi divinitus oſtenſam recenſet, qua permotus fuerit a puero ut ſe virginem perpetuo conſervaret. Id ipſum etiam affirmat, cum invehitur in hypocritas monachos, nec non in Epitaphio de ſe ipſo; ut plane nihil in Gregorio firmius atque tutius, quam perpetuae virginitatis cultus abſque ulla dubitatione affirmari penitus poſſit.

Servata igitur & in omnibus comprobata Gregorii virginitate, jam nebulam illam, quae de filiabus & genero ex teſtamento contracta videtur, ex ipſiuſmet Gregorii ſcriptis, dimoveamus omnino. Quod igitur ad nominatas in teſtamento filias ſpectat, illud ingerimus: ſi omnes, quas ipſe Gregorius ſuis ſcriptis filias vel filios nominat, ex conjuge eſſe ſuſceptos velimus aſſerere; erit profecto, ut pluſquam quingentos, ut ita dicam, ex Gregorio genitos eſſe liberos affirmare cogamur. Verum ad ſpiritualem generationem eos omnes eſſe referendos, ne longe petatur exemplum, habemus in eodem Teſtamento, ab ipſo Gregorio nominatum filium ſuum Aphilochium Epiſcopum, ut pote aetate juniorem. Nam in Epiſtola ad Caeſarium de eo ſcripta, (Ipſe, inquit, manu mea cariſſimum filium noſtrum, Amphilochium offero; virum probitatis nomine uſque adeo nobilem (etiam praeterquam aetas ferat) ut ipſe, qui & ſenex & Sacerdos & amicus veſter ſum, praeclare mecum agi exiſtimaturus ſim, ſi eam hominum exiſtimationem obtinerem). Haec ipſe. Sic igitur nihil eſt ut cogamur aſſerere, quas nominat filias, eas a Gregorio ex uxore ſuſceptas: verum dicendum potius, eas illius fuiſſe neptes. Etenim, quam potiſſimum laudat, ſpretis ceteris, Alypianam, eo gradu tum ipſam tum reliquas duas ſorores Gregorio junctas fuiſſe, ex ipſius Gregorii Epiſtolis certo certius intelligere poſſumus. Repe-

Digitized by Google

Reperitur quidem Alypiana iſta ipſi Gregorio fuiſſe ex ſorore Gorgonia neptis, nuptaque inſigni viro Nicobulo, ex quibus ortus eſt Nicobulus junior, cujus nomine ad ejus patrem extat Gregorii carmen; nec non aliud patris nomine ad ipſum filium redditum, & aliae complures Epiſtolae, ut inter ceteras quae ſignatur in Billiana noviſſima editione num. 155. cujus haec eſt inſcriptio ex Graeco reddita exemplari, qua ipſius Epiſtolae argumentum ponitur verbis iſtis: (Eidem Nicobulo, Alypianae ipſius uxori, Gorgoniae Gregorii ſororis filiae, corporis ſtaturam exprobranti). Haec in Epiſtolae (*a*) inſcriptione. Sed quid iſta ſibi velint ex ipſa accipere licet Epiſtola, quae cum perbrevis & lepida valde ſit, hic integram deſcribemus: ſic enim ſe habet: (Alypiam apud nos cavillis inceſſis, ut parvam & tua proceritate indignam, o magne & vaſte ac gigantine tum forma tum robore. Nunc demum intelligo, animum menſurae ſubjici & virtutem expendi, ac rupes margaritiſ praeſtantiores eſſe, corvoſque luſciniis auguſtiores. Tu vero magnitudine tua & cubitis fruere, nec Aloidis (*b*) illis ullo modo inferiorem te praebe: equum enim ducis, & haſtam vibras, & ferae tibi curae ſunt: ipſa autem nihil operis patrat, nec magni roboris eſt radium ferre, colum tenere, ac telae aſſidere

—— id enim feminarum decus eſt.

Quod ſi hoc quoque adjicias, etiam orationis cauſa humi curvam eſſe, ac per ingentes mentis agitationes perpetuam cum Deo conſuetudinem habere; quid hic de tua ſublimitate corporiſque menſura te jactabis? Vide tempeſtivum ſilentium, loquentem audi, quam incompta ſit animadverte, quam ut femina fortis ac ſtrenua, quas rei domeſticae utilitates afferat, quam viri amans ſit. At tum illud Laconis dices: Certe animus in menſuram minime cadit: atque externum hominem oculos conjectos in internum habere oportet. Si haec ad hunc modum conſideres, jocari deſines, eamque ut parvam deridere, tuumque conjugium fauſtum ac felix judicabis). Hactenus Gregorius ad maritum Alypianae Nicobulum.

Conſentanea his plane ſunt, quae de eadem Alypiana idem Grego-

(*a*) *A quacumque manu hoc Epiſtolae argumentum ſit, non eſt certe a manu ipſius Gregorii: videtur autem explicationis cauſa additum ab eo qui prior Epiſtolas has collegit: uti & ante alias paucas quaſdam Epiſtolas factum.*

(*b*) Aloidae, *apud Poetas noti*, Othus & Ephialtes *filii* Aloei *gigantis*.

Gregorius habet in teſtamento, cum mulierem frugi ſibique ob id cariſſimam praedicat, deſpectis duabus ejus ſororibus, Eugenia atque Nonna, referente nomen aviae, longe tamen diſparibus moribus praedita. Aliquod plane nefas ab eis admiſſum & publice cognitum ac decantatum oportuit, ut ipſe Gregorius publicis tabulis eas ita indecoris notis inuſtas reliquerit. Sic & S. Hieronymus [1] ſororem ſuam virginem, lapſam fuiſſe, ſed ad poenitentiam revocatam, Epiſtola ſcripta ad Chromatium & Collegas, poſteris notum reddidit. Haec qui conſiderat, non adeo mirabitur de Gregorio Nazianzeno, & multo minus ſi legerit quae de lapſu Gordianae virginis amitae ſuae, S. Gregorius Papa [2] ad populum pro concione recenſuit; ut plane videas, ſanctos viros deſpexiſſe penitus etiam propinquos, quos ſciſſent Deo minime eſſe caros, ſed laudare tantum ſolitos Deo acceptos, ſecundum illud de viro juſto dictum a David: Ad nihilum deductus eſt in conſpectu ejus malignus; timentes autem Dominum glorificat. Quod vero ex parentum voluntatis praeſcripto, bona omnia jubebantur, non in affines, ſed in pauperes erogari, cum nihil eſſet quod carae Alypianae nepti Gregorius legare poſſet: ejus tamen filiis dulces dari praecepit Caeſarii fratris exuvias, diutius apud ſe retentas, velut cara pignora germani amantiſſimi, qui jam pridem ex hac vita diſceſſerat.

Jam igitur de Gregorii ex conjugio filiabus omni dubitationis amoto penitus ſcrupulo, de Meletio qui in teſtamento gener nominatur, ſolvendus eſt nodus, quo Gregorius obligatus conjugio videatur. Vox quidem illa, quae ex Graeco Latine reddita Gener eſt, in Graeco codice legitur (a) γαμβρὸς, cujus quidem nominis etſi frequentior uſus eſt ut generum exprimat; ſignificare tamen poſſe interdum affinem quemlibet, qui gloſſemata Graeca elucidant, abſque controverſia profitentur. Imo apud Latinos idem in voce Generi loquendi uſus obtinuit. Et ut alios praetermittamus, habes apud Juſtinum hiſtoricum, generum ab eo dici virum ſororis. Quamobrem nullo pacto adſtringimur, ut Gregorius Meletium generum nominarit voce illa, ſed affinem potius ſignificare voluiſſe exploratiſſimum ſatis redditur ex ipſius repetitis ſaepius teſtificationibus, quibus perpetua ejus virgi-

(1) Ep. 43.
(2) Hom. 38. in Evang.
(a) *Hanc notationem haud dubie ſuggeſſit Sirmondus, aeque ac ſequentem de nomine menſis vitiato: uti vel ex eo patet, quod tamquam orthographiae Grecae imperitus,* Ιανυαρίου *&* Ιυνίου *ſcripſerit Baronius, ubi* Ἰανυαρίων *&* Ἰυλίων *ſcilicet* Καλανδῶν *dictarat Sirmondus: ſed hoc ex auctoris mente correximus.*

virginitas, abſque ulla vel leviſſima ſaltem dubitatione, monſtratur.

Poſſet inſuper & de Theodulo Epiſcopo Apameae, qui ſubſcribitur teſtis, illud objici, quod reperiatur eo anno, non Theodulus, ſed Joannes Apameae Epiſcopus ſubſcriptus Oecumenicae Synodo, Conſtantinopoli eodem anno habitæ. Verum oſtendetur ejuſmodi objectionem nullius prorſus eſſe momenti. Etenim praeter Apameam, quae in Syria eſt, cujus dictus Joannes Antiſtes, fuerunt tres aliae ejuſdem nominis civitates, nimirum prima quae in Bithynia fuit, ad oram maritimam inter Ryndaci & Aſcanii oſtia, cujus meminere Stephanus & Ptolomaeus. Secunda in (*a*) Phrygia, ad Marſiae fluminis oſtia, ubi ipſe Maeandro conjungitur, cujus meminerunt Plinius, & ex Graecis Strabo, quam poſt Epheſum clariſſimam omnium Aſiae urbium praedicant, in qua celeberrimum eſſe ſoleret emporium. Sed, & praeter hanc aliam fuiſſe Apameam Parthorum civitatem, affirmant. Sic igitur non arctamur, ut licet conſtet tempore Concilii Conſtantinopolitani Apameae Syriae praefuiſſe Joannem, non potuerit Theodulus alicujus ex reliquis tribus (*b*) Apamaeis fuiſſe Epiſcopus, unde nullius momenti ea eſſe reperiatur objectio.

Ceterum quod ad menſem & diem ejus anni, in eodem teſtamento deſcriptos, pertinet, poſſet etiam aliquis objicere, neque Gregorium, neque Epiſcopos qui ſubſcripſerunt, tam diu poſt abſolutam ante quinque vel ſex menſes Synodum eſſe commoratos Conſtantinopoli: neque poſt abdicationem ejus vocatum amplius fuiſſe Gregorium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ut ponitur in teſtamento. Ad haec vero primum illud jure dici poſſe videtur: quis adeo durus eſt & ſeverus judex, qui in re adeo antiqua non concedat teſtamentum ipſum aliquem pulverem contraxiſſe mendorum, qui ſit excutiendus? Quamobrem, ſi velimus, poſt abſolutum Concilium & poſt abdicationem Sedis illud ipſum teſtamentum fuiſſe a Gregorio nuncupatum, tunc plane accidiſſe videtur, ut Joannes ille, qui ex archivo Eccleſiae Nazianzenae ipſum in lucem prodidit teſtamentum, cum illud exſcriberet, & Gregorium ſimpliciter nominatum Epiſcopum legeret, honoris cauſa addiderit, Conſtantinopolitanum; & qui-

(*a*) *Veteres Epiſcopatuum notitiae, quas ſequimur, Piſidiae provinciae ſub Antiochena metropoli hanc Apameam adſcribunt. Sumit igitur hic* Phrygiam *Baronius latiori in ſignificatione.*

(*b*) *De tertia* Parthorum Apamea *non videtur hic cogitari poſſe.*

& quidem (*a*) bona fide, quod ſciret eo anno ipſum praefuiſſe eidem Conſtantinopolitanae Eccleſiae. Verum illi ſententiae magis inhaereo, ut prope tempus Concilii ejuſmodi a Gregorio fuerit conditum teſtamentum; atque dicendnm eſſe in menſem potius irrepſiſſe errorem. Etenim nec in codice quem nactus eſt Briſſonius, nec in altero e duobus Vaticanis nomen menſis expreſſum erat; in quo & potuit accidiſſe, ut errore librariorum Ἰανναρίων ſcriptum fuerit pro Ἰουνίου.

Ut autem opiner paulo ante Concilium ejuſmodi eſſe a Gregorio conditum teſtamentum, illud perſuadet (*b*), quod ea oratione, quam tunc Conſtantinopoli in Maximum habuit, inter alia ſuis ſe cunctis jam privaſſe bonis oſtendit his verbis: (Paupertatem objicient? Quid ego audio? Meas opes & copias? Atque utinam & pannos hoſce exuere poſſem, ut hujus vitae ſpinas nudus percurrerem! Utinam & grevem hanc tunicam, quam celerrime abjicerem, ut leviorem acciperem!] Et inferius: [Sed pecunias eripient: Quas tandem? Si meas: quin eadem opera pennas quoque excidant, quibus cinctus non ſum]. Haec ipſe quibus quidem ſe jam bona cuncta abdicaſſe ſignificat. Sunt autem adhuc complura alia, ex ejuſdem Gregorii ſcriptis adducenda, quibus demonſtrari contingat, idem ipſum teſtamentum eſſe Gregorii. Imprimis vero quod quae in ea mira erga pauperes ſolicitudo monſtratur, eadem in omnibus ejus ſcriptis expreſſa conſpicitur. Quod enim in teſtamento pauperibus poſthabuerit affines, cum ita a parentibus fidei commiſſariam accepiſſet haereditatem, teſtatur ipſe de matre ſua in oratione habita in funere patris, adeo erga pauperes fuiſſe amore propenſam, ut dicere ſoleret, ſe ipſam, ſi licuiſſet, & filios, ad alendos pauperes diſtracturam fuiſſe. Ipſe vero non fundos tantum & domos in pauperes erogavit, ſed & libros in eorum uſum convertit. Cum enim Adamantius Rhetor amicus, Gregorium aliquando rogaret dari ſibi libros rhetoricae facultatis, miſit ipſe quidem illos Gregorius, ſed pretium illorum petiit, ſcripta ad eum Epiſtola, ubi ad finem iſta facere admodum: [Quod ſi minime Philoſophicum eſſe videtur librorum pretium poſtulare; tu mihi pe-

(*a*) Bonae fidei, id eſt, *ſimplicitati nimiae, condonari ea additio forſan poſſet in alio, in Notario non item. Praeſtat igitur mendum librarium fortuitum agnoſcere, quam aliquid a Notario de induſtria additum.*

(*b*) *Quae ſequitur probatio nihil videtur facere pro teſtamento: ſi quidem ſalvari poteſt locus iſte per eam dominii abdicationem, quam ante hac Nazianzi fecerat Sanctus. Revera autem ſic explicari debet: nam Oratio 27. quae hic allegatur, habita eſt antequam ab Epiſcopis in ſedem eſſet collocatus Gregorius, uti jam diximus ad caput praecedens.*

cuniam ſolve; objectionem autem tuam ſolvent pauperes].

Haec ipſe, ex quibus vides immenſam ejus erga pauperes curam. Sed & videre eſt in ipſius Gregorii ſcriptis ejuſdem teſtamenti, quo pauperibus ſua cuncta reliquit, haberi ſaltem tacitam mentionem. Etenim ad hoc ipſum viſus eſt alluſiſſe, cum poſt diſceſſum Conſtantinopoli, ſcribens ad Conſtantinopolitanos Sacerdotes & populum, iſta habet in fine: (Haec verba Gregorii ſunt, quem aluit Cappadocia; quippe ſe facultatibus omnibus ſuis orbavit, ut eas Chriſto offerat). Inſuper in carmine de ſeipſo, poſt reditum ex urbe Conſtantinopolitana de ſuarum rerum abdicatione agens, hunc habet verſum:

(Ceſſi invita aliis mente, libente aliis).

Plane duplicem Conſtantinopoli a ſe factam rerum abdicationem inſinuans: invito animo alteram, nimirum cum Sedem reliquit; alteram cum pauperibus cuncta ſua teſtamento donavit *(a)*. Eſt & Carmen ad Julianum Tributorum Exaequatorem, quo Eccleſiam Nazianzenam [1] commendat, in qua ad pauperum uſum ſe omnia ſua erogaſſe teſtatur: quae quidem bona, cum ab ipſo Juliano deſcriberentur ad vectigalia ſolvenda, ut mitius agat rogans, haec de Nazianzena Eccleſia inter alia habet. [Moveat tua, inquit, domus, quae miſeros homines omni benignitatis genere complecti conſuevit. Moveant te quoque, o amice, opes meae, quas ego crucis ferendae cauſa pauperibus erogavi). Et paulo poſt: (Opes meae ſunt, ſed tua eſt deſcriptio: cura igitur ut erga pauperes alendos mercedem eamdem uterque conſequamur. En vides, lector, ex his omnibus non ſolum oſtendi ipſius Gregorii teſtamentum; ſed idem executioni mandatum perſpicue declarari; cum quae ipſe reliquiſſet Eccleſiae, illam jam poſſideret. Meminit & aliis in locis de abdicatione a ſe facta omnium divitiarum, retento ſibi, ut ipſe ait, ubi degeret parvulo tantum horto cum fonte. Teſtatur id quidem ipſe, cum in monachos quoſdam hypocritas juſte invehitur.

Sunt & alia præterea plura, quae ejuſdem teſtamenti germanitatem inſinuant, ut cum in eo Evagrium Diaconum adeo commendat, cui & recenſita ſuperius legata reliquit. Hunc quis non

(a) Si ipſum Gregorium attentius leges, dices fortaſſe ipſum nihil libentius reliquiſſe quam Sedem Epiſcopalem; ſolam Anaſtaſiam, & quos ibi in Chriſto genuerat filios, invitum dimiſiſſe.

(1) Carm. 48.

non videt fuiſſe Evagrium Ponticum, qui cum eo vixit Conſtantinopoli, laudatiſſimum tunc illum quidem, de quo ſuo loco pluribus agitur? Inſuper Euphemius, qui in hoc eodem teſtamento nominatur, is eſſe potuit, cujus meminit in Epiſtola ad Alypium, de cujus etiam nuptiis agit in Epiſtola ad Theodoſium. Nec praeterimus de Rhegino, cujus meminit in teſtamento, quod nihil prohibet, quin ille eſſe poſſit, quem inter familiares adnumerat in carmine ad Hellenium. Sed ex Epiſcoporum quoque ſubſcriptionibus intellige ejuſdem teſtamenti ſinceritatem. Nam praeter Amphilochium, qui ſequitur ordine Optimus Epiſcopus Antiochenus, ipſe eſt cujus mentio ſit in lege Theodoſii hoc anno poſt Concilium data. Et quis neſciat, qui ultimo loco ſubſcriptus habetur Cledonius Presbyter, illum eſſe quem adeo mirifice laudat in eodem carmine ad Hellenium [a]? Sed & prudens rerum antiquarum ſcrutator, ſinceritatem ſcripti hujus intelliget ex vocibus veſtimentorum ibi nominatorum, quae ob nimiam antiquitatem inter exoticas abierunt; ut ille Camoſa atque Singilion. Sed de Singilione apud Trebellium Pollionem in Claudio facta mentio reperitur.

Jam habes, lector, Gregori teſtamentum, non ſolum e carie & tinea erutum, ſed ab objectionibus vindicatum illuſtratumque ſcholiis, & redditum omni, puto, ex parte probatum: egregium plane quod plurimi facias monumentum, ab aliis, ſi qui ante viderunt, fortaſſe ſpretum, quod, veluti in obducto ſitu numiſmate, ipſa in eo Gregorii imago minime cerneretur expreſſa, imo reddere videretur effigiem hominis conjugio obligati: ſed eo exterſo diligenter & perpurgato, ipſiſſimam ibi cuſam Gregorii intueris imaginem. Haec jam ſatis: quae ſi minus opportuna videntur; caro monitori atque etiam exactori Maſſae accepta feras; cui ut morem geram hic etiam adjicimus, veluti corollarium, de propinquis ejuſdem Gregorii perbrevem deſcriptionem.

(a) *De hoc enimvero vehementer dubito, & Iconienſem illum Presbyterum non libenter disjungo ab Amphilochio: dum enim ambo hi Conſtantinopoli agerent, alius Nazianzi manebat* Cledonius*, ut ego quidem exiſtimo, tamquam Gregorii ad tempus abſentis Vicarius, idemque in Epiſtola ad Hellenium laudatus, cujus pro eccleſia Nazianzena ſolicitudinem caput 18. probabit.*

S. GREGORIUS Ep. Naz. — S. NONNA ejus UXOR.

S. GREGORIUS Th. S. GORGONIA — Vitalianus. S. CAESARIUS.

Petrus. Phocas. Alypiana — Nicobulus. Eugenia. Nonna. alterutra nupta Meletio.

Nicobulus Junior.

Haec quidem ex ipſius Gregorii ſcriptis perſpicua ſatis redduntur cuilibet recte intuenti. Nam de Vitaliano, quod vir fuerit Gorgoniae ſororis, & genitos ex eo nominatos ſuperius liberos, invenies in carmine filiorum ad ipſum Vitalianum inſcripto; junctis his quae de Gorgonia (*a*) ſuis locis ſuperius dicta ſunt De conjugio autem Alypianae cum Nicobulo ſatis nuper recitata, Epiſtola, ad ipſum ſcripta, declarat; ex eis vero Nicobulum juniorem genitum, carmina ejuſdem Gregorii, tum patris tum filii nomine edita, aperte ſatis docent, & aliae inſuper Epiſtolae ad Nicobulum ſcriptae, vel in quibus de Nicobulo mentio habetur.

C A P U T XVI.

Fruſtra pro Eccleſiae Antiochenae pace laborans Gregorius, partium incurrit invidiam, ejuſque inſtitutionem in dubium vocantibus nonnullis, ipſe ultro ſe abdicat.

POſtquam conditum erat, quod retulimus teſtamentum, acceſſerunt & ceteri qui fuerant acciti ad Synodum Epiſcopi: in qua ſtatutis ac firmatis his, quae ad fidem Catholicam pertinent,

(*a*) Gorgoniam; *liberorum primam facere videtur Baronius; & ſane ad hoc cogit eum tot generationum ſeries, ut Gregorius, in ejus ſententia anno dumtaxat 325. aut ſequenti natus, anno 380. habuerit ex ſororis filia pronepotes; & eorum quidem primogenitum Nicobulum viderit cum Conſtantinopoli rediiſſet, adultum, idoneumque ut eum ſe in ſua Arianzena ſolitudine philoſopharetur. At in noſtra nihil impedit, quo minus vel ultimam natu Gorgoniam facias: quae licet anno 335. dumtaxat Alypianam peperiſſet, potuit haec juſtam nuptiis expectaſſe aetatem, & reverſo Conſtantinopoli patruo, commodare filium, philoſophiae capacem, alienum a nuptiis, ſolius rhetorices amore captum, qualem ipſum propatrui ſui verſus deſcribunt.*

nent, damnatiſque haereſibus & promulgato fidei ſymbolo, quo divinitas Spiritus ſancti certa firmataque haberetur; mox de his quae ſpectant ad Eccleſiae Catholicae pacem & diſciplinam, inter ſe Epiſcopi agunt: ac primum declarant, Maximum Cynicum, qui Conſtantinopolitanam Sedem invaſerat, neque fuiſſe, neque eſſe Epiſcopum, eoſdemque cenſeri eos, qui ab eo ordinati eſſent (a). Dum haec & alia ejuſmodi tractarentur, Meletius

(a) *Hic quidem ordo rerum in Concilio actarum indicatur ex Concilii iſtius Canonibus qui extant: ſed ex titulo eiſdem & Synodicae ad Theodoſium praefixae apparet, primo de pace Eccleſiarum, deinde de fide actum eſſe:* ex quo enim tempore, *inquiunt Epiſcopi ad Imperatorem*, juxta litteras tuae Pietatis Conſtantinopoli convenimus, primum quidem mutuam inter nos concordiam renovavimus: deinde vero breves etiam pronunciavimus definitiones, quibus & Patrum qui Nicaeae congregati fuerunt fidem confirmavimus, & quae adverſus eam ortae ſunt perverſas haereſes ac pravas opiniones extrema cum execratione ac deteſtatione reprobavimus: praeterea etiam ad recte conſtituendum & ordinandum ſtatum & diſciplinam Eccleſiarum certos Canones ſtatuimus. *Sed quinam haec? Illi ſcilicet* centum quinquaginta, qui convenerunt 7. Idus Julias, *ut habet titulus ſcilicet poſt depoſitionem Nazianzeni & Nectarii ordinationem, pluriumque ex iis qui antea adfuerant ſeceſſionem, Macedonum imprimis, quorum nec unus quidem Canonibus ſubſcriptus invenitur. Adeo ut omnino videantur omnia menſis Maji ac Junii acta, quae contentionibus tota fuerant impenſa, veluti profecta ab acephalis nullum adhuc caput habentibus, pro nihilo aeſtimata fuiſſe: ideoque alto ſuppreſſam ſilentio Gregorii tam ordinationem quam abdicationem. Porro AEgyptii non videntur plures adveniſſe, quam duo, nec enim plures ſubſcripſerunt, nec, ſi adveniſſent, apparet cauſa, cur Metropolita ſuo Conſtantinopoli derelicto, domum illi ſuam ſeſe privatim recepiſſent ante finem Synodi: quod autem ſerias advenerint non videtur congrue referri in defectum vocationis (nec enim menſis unius aut trium hebdomadarum ſpatio vocari & adeſſe potuerint, & ſi potuerint, cur adveniſſent tam pauci) ſed ob aliquam ut praelibavimus cauſam domi vel in via moratos ſuas diutius. Ex Macedonia, ad Occidentem pertinente, non tantum extra ordinem vocatum, ſed expectatum Theſſalonicenſem Acholium, priuſquam aliquid definiretur, ſatis indicat Concilium Italicum, ad Imperatorem ſic ſcribens:* Neque indignum videtur Auguſte, ut *qui Conſtantinopoli ſederunt in Synodo* Romanae Eccleſiae finitimorumque & Italorum Epiſcoporum debeant ſubire tractatum, qui unius Acholii Epiſcopi ita expectandum putaverint judicium, ut de Occidentalibus partibus Conſtantinopolim evocandum putarent. *Evocandi ejus cauſam putem fuiſſe in Theodoſio, ei a quo fuerat baptizatus tantum tribuente, ut crederet ab eo componi poſſe Orientalium in dies magis magiſque gliſcentes diſcordias. Acholius autem, coacta comprovincialium ſuorum Synodo, de eo quod factum erat, ac porro faciendum reſtaret, commonefaciendam conſulendamque cenſens Apoſtolicam Sedem, dum praeſtolatur reſponſum, non potuit ad diem condictam adeſſe: videtur autem non ſolus, ſed cum ſociis aliquot adveniſſe: adveniſque eo animo ut ſequeretur inſtructionem praeſcriptam a Damaſo per Epiſtolam, cujus ſupra ad cap. 12. facta mentio. In hac Pontifex cum intruſionem Maximi deteſtatus ejus defectionem collaudaſſet*; De cetero, *inquit*, commoneo Sanctitatem veſtram, ut quia cognovi diſpoſitum eſſe Conſtantinopoli Concilium fieri debere, ſinceritas veſtra det operam, quemadmodum praedictae civitatis Epiſcopus eligatur, qui nullam habeat reprehenſionem: ut Deo propitio, cum integra pax Catholicorum Sacerdotum fuerit confirmata, nullae deinceps diſſenſiones in Eccleſia oriantur . . . . . Illud praeterea commoneo Dilectionem veſtram, ne patiamini aliquem contra ſtatuta majorum noſtrorum de civitate alia ad aliam transduci, & deſerere plebem ſibi commiſſam, & ad alium populum per ambitionem tranſire. Tunc enim contentiones oriuntur, tunc ſchiſmata graviora occipiunt; cum & illi qui amiſerint Sacerdotem, ſine dolore animi eſſe non poſſunt; & illi qui alterius civitatis acceperint Epiſcopum, etiamſi gaudeant, invidioſum ſibi intelligunt fore, ſub alieno ſe agere Sacer-

tius Epiſcopus Antiochenus ex hac vita migravit, cum laboraſſet & ipſe plurimum pro pace concilianda. Cum autem nonnulli ſeditioni operam dantes, de alio ſubrogando in ejus locum tractarent; videns Gregorius hanc non eſſe viam pacis ineundae, ſed majoris ciendae diſcordiae, de ea re coram omnibus ſententiam dicens, graviſſimam habuit orationem; illud perſuadere nitens, ut paci omnes conſulerent, eamque unam crederent patere viam ad eam conſequendam, ſi ab electione ſucceſſoris Meletii abſtinerent; ſinerentque Paulinum jam ſenio gravatum, abſque alio Collega ſolum ſedere; fore interim ut ille ex hac vita decederet, tuncque more majorum Epiſcopum alium eſſe ſubrogandum, qui Antiochenae praeſit Eccleſiae. Haec Gregorii Nazianzeni ſententia: quam jambicis ſcriptam accipe.

[Habe-

Sacerdote. *Unde colligitur Acholium & ſocios, cum de Maximo ſcripſerunt, etiam ſcripſiſſe de Gregorio, quem Epiſcopum Nazianzenum, uti fere appellabatur, ſic & eſſe credebant, quemque ad Conſtantinopolitanum Epiſcopatum poſtulari audiebant, quid ſibi de eo faciendum eſſet requirentes. Haec eſt igitur* Occidentalis aura, *quam ſpirabant Macedones, quamque & Aegyptiis, jam aliunde commotis, inſpirabant, gravem Gregorio ejuſque ordinatoribus, quibus ſupervenisse videntur menſis Junii initio, cum poſt Gregorii ordinationem una fortaſſis alterave hebdomada eſſet elapſa. Nec enim diuturnius ſpatium nobis opus eſt, qui non admittimus Acholium vocatum non fuiſſe niſi poſt inchoationem Concilii; ſed ſerius venientem fuiſſe ad definitiones expectatum: qui tamen ut vidit poſt ultroneam ceſſionem Gregorii in electione alterius nihil minus actum, quam quod Romae probandum ſciret, & Paulinum non recipi ad Antiochenam eccleſiam, uti noverat velle Damaſum; diſceſſit cum ſuis, ideoque non invenitur Canonibus ſubſcriptus. Quid autem de aliis, per Achajam, Theſſaliam, Epirum, ac Daciam, ceteraſque Occiduas Provincias Epiſcopis dicemus? Non adfuiſſe, ſed nec vocatum quemquam. Orientem certe, qui ad ſuam ordinationem conſenſit, adeoque ſolus ad Concilium vocatus fuit, cum* ſecunda Roma *id eſt* Conſtantinopoli *terminat Gregorius, loco citato ſupra num. 113. Ultra Conſtantinopolim autem nemo Canonibus ſubſcriptus legitur, niſi e vicinis, & Conſtantinopolitano Primatui attributis provinciis, ſcilicet* Scythiae *&* Myſiae (*rectius* Moeſiae) *atque* Hemimonte: *quibus addere poſſis* Europam Thraciae. *Nam qui notatur* Provinciae Spaniae Agrius Immontinenſis, *perperam omnino ſcriptus videtur, & melius alibi* Ymimontis; *quod ut diximus, non civitatis, ſed provinciae, ad Conſtantinopolitani jus pertinentis nomen eſſe videtur, &* Spaniae *nomen neſcio quo caſu vel errore intruſum: niſi forte* Panium *in Europa Thraciae ad Boſphorum, Conſtantinopoli proxima civitas, occaſionem dedit duabus aliarum Epiſcoporum ſubſcriptionibus in unam conflandis, cum ſic ſcriptum forte, ſed detritum fuerit.*

Provinciae Europae
N.......................Pauli
Provinciae Hemimontis
Agrius..........................

Quod autem ex jam dictis quatuor provinciis, ſex dumtaxat Epiſcopi numerentur, attribuendum ſeceſſioni a Demophilo factae; cui ceteri earumdem provinciarum ut capiti ſuo adhaerebant, inhaereſi & ſchiſmate pertinaces. Haec, ut ad hiſtoriae de qua agimus notitiam permagni facientia, viſum eſt ſimul hoc loco deducere.

[Habeat Thronum, qui praeſuit illi hactenus.
Incommodi quid fuerit, ſi paulo amplius
Hunc lugeamus priſca conſuetudine?
Tandem rei vel ipſa datura eſt exitum
Senecta. Cunctis atque ex aequo propoſitus,
Neceſſarius & optimus ille terminus:
Abibit is quo jam dudum cupiverat,
Dans ſpiritum Deo, qui dederat hunc prius:
Et inde nos, votis conſentientibus
Totius populi ſapientumque Praeſulum,
Alium praeficiemus ope ſancti Spiritus,
Haec una ſedandi mali fuerit via.
Nam vel alienos uniemus nobis,
(Siquidem alienus Occidens eſt a nobis)
Vel reſtat alterum, ut uniatur Civitas
Populuſque, tantus longo feſſus tempore.
Sit finis hujus tempeſtatis obſecro).

Haec & alia id genus Gregorius in eamdem ſententiam, quae quam aequi, quam boni conſulens, quam denique eſſet neceſſaria, probavit exitus: nam grave ſchiſma, quod tunc ea ratione abſque dubio ſedatum fuiſſet, cum gravi jactura totius Eccleſiae ad Innocentii Papae tempora perduravit; qui agens cum Alexandro, tunc Antiocheno Epiſcopo, ejus componendae pacis fuit egregius auctor. Cum hanc perutilem ſententiam Gregorius diceret, & quo magis magiſque rem tanti ponderis animis illorum inſinuaret ingereretque; etiam ſe ſolio cedere magis paratum eſſe, quam abſque remedio Catholicam Dei Eccleſiam ſciſſam intueri, palam eſt conteſtatus his verbis:

Nobis at expertem ſolii concedite
Vitam, a periculo immunem, quamquam ingloriam
Degam loco, malorum ubi ſolitudo ſit.
Nam potius hoc; quam ſi permixtus proximis
Nec flectere alios pro nutu meo queam,
Nec uſui eſſe auctoritate perdita) &c.

Hanc cum ſententiam Gregorius in Synodo dixiſſet, adverſati ſunt ei juvenes Epiſcopi factioſi, quorum non exiguus videbatur eſſe numerus. Horum autem conatum, idem ſic deſcribit appoſite.

(Atque

Digitized by Google

(Atque hactenus nos. Aliunde alii clamitant,
Velut coacta graculorum natio
Juvenumque turba, ex officina adhuc recens,
Ut turbo verrens pulverem, ut contrarii
Venti, quibus rationem nolit reddere
Vir quiſpiam perfectus numinis metu,
Inepta garrientibus; velut ſolent
Veſpae, in faciem ſubito aliis involantibus;
Atque his parebat Concilium venerabile
Tantum aberat ut caſtigaret juvenculos.] &c.

Quin inſuper rogant amici Gregorium ceteris aſſentiri: quod ille perhorreſcens, ſe abdicandi conſilium ſecum iniit, perfecitque quantum licuit. De his etiam ipſe in hunc modum.

[Quid neceſſe eſt dicere verbis qualibus
Canos amici tentaverint hos optimi,
Cum prima mihi tribuerent, atque poſcerent.
Quid candide, proh! a Gregorio candido,
Et candidi hominis in conſenſu cum malis?
Nimirum ad omnia, ut ipſis adjutor forem.
Quo pacto ad omnia? Quis hoc concepit animo,
Ut multitudo vincat non Gnatus Dei?
Prius fluat ſurſum natura fontium,
Partem feratur ignis in contrariam,
Quam de ſalute quidquam prodidero mea.
Atque hinc de medio me coepi ſubducere,
Ipſis etiam mox commutatis aedibus,
Eccleſiae extrahens me de negotiis,
Longe a malis ſermonibus & conventibus.]

Cum itaque e Synodo ſic receſſiſſet Gregorius, illi omnes qui aderant, de eligendo ſucceſſore Meletii Epiſcopi Antiocheni nuper defuncti rogant ſententias, communique omnium ſuffragio eligunt Flavianum Epiſcopum Antiochenum: de cujus electione ceteriſque rebus geſtis in Synodo, poſtmodum dederunt litteras ad Damaſum Pontificem alioſque Epiſcopos, quas recitat Theodoretus (*a*). Cum eo modo, quo diximus, Gregorius ſe quodammodo

(*a*) *Ita eſt, Epiſtolam hanc recitat Theodoretus lib. 5. cap. 9., ſed praeſens Concilium, quod inter OEcumenica numeratur, non diſtinguens ab altero, poſt annum habito rurſum Conſtantinopoli, cujus fit hic infra mentio cap. 18. Itaque dum priori videt tu-*

modo abdicaſſet; rurſus ſuorum querelis exagitatur, ut remaneret enixius poſtulantibus: haecque ipſe deſcribit his verſibus:

[Licet gemerent propter me, nobis dediti
E populo maxime, ne dicam de omnibus,
Clamando, ſupplicando, tollendo ad Deum
Manus, & obteſtando, deplorando jam
Ceu mortuum. Proh miſeriam! proh lacrymas!
Qui ferre potuiſſem haec! qua mente denique?
Tu ne deſeres ſegetem (appellati ſic ſumus)
Tuam exiguam olim, nunc meſſem ſat uberem?
At advenam populum, qui nunc partim ad fores
Tuas ſtat, eſt queis aperienda janua,
Partim intus eſt, partim venatur & alios,
Cuinam objicies? quis foetum educabit tuum?
Saltem tuis hoc quaeſo des laboribus,
Da reliquum tuae nobis vitae ac Deo.
Donet ſepulchro corpus haec aedes tuum.
Haec commovebant; continebam me tamen].

tur adſcribere Epiſtolam quae ſcripta eſt a poſteriori, aberrandi occaſionem Baronio aliiſque dedit circa hanc Epiſtolam quaſi nunc ſcriptam. Alter Baronii hic notandus error eſt, quod electionem Flaviani inter cauſas depoſiti a Gregorio Epiſcopatus referat; cum ea tamen ſecuta ſit electionem Nectarii, adeoque & abdicationem Gregorii. De Epiſtola quod dixi, ex ipſamet patet, ſcriptam eſſe poſtquam de rebus Conſtantinopoli geſtis edoctus ab Acholio Damaſus, ad Concilium in Italia celebrandum Orientales Epiſcopos evocaſſet: qui difficile iſtic ſibi negotium fore praevidentes, brevitatem temporis, viae longitudinem, Eccleſiarum ſuarum recenter ab Arianis receptarum neceſſitates excuſare maluerunt, & Conſtantinopolim prout fecerunt denuo convenire; unde, hanc ſcripſerunt Epiſtolam, nunc primum reddentes rationem eorum quae in priori Concilio ac deinceps egerant. Quod poſt Nectarium ordinatum electus ſit Flavianus, apparet ex Epiſtola Concilii Italici praecitata, ubi tamquam de rebus, non per Synodicas litteras, ſed ſolo relatu & fama cognitis, loquuntur, quod Meletio defuncto, Paulino ſuperſtite (quem in communione Romana manſiſſe, conſortia a majoribus inoffenſe ducta teſtantur) contra fas atque ordinem eccleſiaſticum, in locum Meletii, non tam ſubrogatus, quam ſuperpoſitus aſſeritur alius: atque hoc factum allegatur conſenſione & conſilio Nectarii, cujus ordinatio, *inquiunt*, quem ordinem habuerit non videmus. *Imo Hermant, licet electionem Flaviani Conſtantinopoli propoſitam a Concilio, & a Nectario approbatam agnoſcat: quia tamen non erat Epiſcoporum eligere Epiſcopum Antiochenum, ſed a Clero populoque electum ordinare; putat negotium in eodem haeſiſſe ſtatu, uſque dum Epiſcopi Syriae ad ſuas revertiſſent Eccleſias; indeque eos veniſſe Antiochiam, & peractis Meletii funebribus (quod ſequenti anno, die 12. Februarii factum exiſtimamus) expetitum ab omnibus fere Flavianum, utpote diu notum probatumque & a Conſtantinopolitano Concilio commendatum, eumque ordinaſſe. Quod Socratis, Theodoreti, atque Sozomeni narrationibus ſatis eſt conforme; nec repugnat Epiſtolae Synodicae, quae iterum ut dixi Conſtantinopolim convenientes Orientales, Regiae urbi praefectum Nectarium, Antiochiae inſtitutum Flavianum, Hieroſolymis confirmatum Cyrillum nuntiant: non quaſi ſimul haec facta omnia in priori conventu fuerint, ſed quia ex vi iſtic deliberatorum facta ſint ſucceſſive ſuis ſingula locis, per eos reſpective Epiſcopos quorum jus id erat, quique & tunc priori & nunc poſteriori Conſtantinopolitanae Synodo interfuerant & intererant fere omnes.*

Haec Gregorius de Populi erga ſe ſtudiis: ſuperadditur autem & nova occaſio, qua quidem impellitur ſe penitus abdicare.

Advenerunt ad componendas res Eccleſiae acciti AEgyptii Epiſcopi ac Macedones. Hi primum negotium faceſſunt electoribus Gregorii, quod minus legitime illum elegiſſent. Agit de eorum adventu Gregorius his verbis:

Non multo poſt tandem me liberat Deus.
Venere ſubito qui vocati fuerant,
In pace conſtituenda quo ferrent opem,
AEgyptiique Macedoneſque Praeſules,
Leges Dei qui tractant & myſteria,

Et infra

Auram occidentalem afflantes & aſperam).
(Non ut mihi aegre facerent, aut ſolium darent
Aliis meum: nequaquam: ſed negotium
Faceſſerent his qui me deſignaverant:
Ut perſuadebant judiciis clandeſtinis,
Non jam ferendas eſſe illorum injurias,
Et priſtinas & editas item recens). Haec ille.

Quaenam haec eſſent, quae hi adverſus eos, qui Gregorium Nazianzenum in Sede locaverant, praetenderent, enarrare operae pretium ducimus. Cum Sedes Alexandrina, prima poſt Romanam, primumque locum teneret in Oriente, ordinationem Epiſcopi Conſtantinopolitani ad ſe pertinere jure contendebat, immeritoque illam ſibi uſurpaſſe Antiochenum Epiſcopum arguebat. Sane quidem id, jure debitum, videmus factum in ordine ſancti Joannis Chryſoſtomi, ejuſdem Eccleſiae Epiſcopi; quando requiſitum & pene extortum videmus conſenſum Theophili Epiſcopi Alexandrini, ut tradunt Socrates, Sozomenus atque Palladius. Haec illi in Ordinatores, licet & aliqui detrahentes Gregorio, illum trium Sedium eſſe Epiſcopum falſo inſimulabant, ac Triepiſcopum hoc dicterio illudentes appellabant, nimirum Saſimorum, Nazianzi, ac Conſtantinopolis unum hominem Epiſcopum eſſe jactantes. Sed quam id mendaciter, norunt omnes. Nam Saſimorum Sedem, a Baſilio noviter inſtitutam, ſibi ut propriam vendicavit Anthimus Metropolitanus ſecundae Cappadociae, Eccleſiae Tyanenſis Epiſcopus, ut ſuperius, vidimus. Nazianzenae autem Eccleſiae numquam titulum ha-

Digitized by Google

habuit, quem ſemper reſpuit, etſi Patri ſeni adjutor aſtiterit; quod ipſe ad Gregorium Nyſſenum [1] ſcribens egregie profitetur; ſicque ut apparet, qui Triepiſcopus injuria dicebatur, unius tantum Sedis, Conſtantinopolitanae videlicet, Epiſcopus erat. Exagitavit etiam AEgyptiorum & Macedonum Epiſcoporum animos [ut ait Gregorius] recens injuria, electio novi Epiſcopi Antiocheni in locum Meletii, quem illi ſpernentes, Paulino communicabant: quod ipſum, ut vidimus, Gregorius vehementiſſime improbavit factum, & ne fieret antea gravi oratione obſtiterat.

Hae erant cauſae praedictorum Epiſcoporum, adverſus Orientales acerrime decertantium. His occurrere feſtinans Gregorius, tertiam ordine poſitam orationem (a) de Pace habuit; qua cum recenſuiſſet ingentes clades ob diſſidia receptas, atque altercantium ſtudia objurgaſſet; haec de ſeipſo, ceteriſque qui paci conſulerent: (Quicumque autem paci ſtudent, medioſque ſe profitentur; ab utriſque male mulctantur: utpote qui contemptui ſunt, vel etiam bello laceſſuntur. A qua parte cum & ipſi hodierno die ſtemus, qui haec reprehendimus, ac propterea Cathedram certaminis & invidiae pleni, accepimus; haud mirandum

(1) Epiſt. 4.

(a) *Eſt ea in ceterorum numero oratio 14. de pace quidem, ſed neque ad Epiſcopos, verum* ad populum, occaſione Epiſcoporum inter ſe diſcordium, etiam diſſidentem ἐπὶ τῇ γενομένῃ τῷ λαῷ φιλονεικίᾳ περὶ ἐπισκόπων τινῶν διενεχθέντων πρὸς ἀλλήλους, *ut habet titulus; neque hoc tempore habita, cum per Theodoſii victorias de Gothis, Hunnis atque Alanis Imperio Romano parta erat ſecuritas, ſed cum fuſo caeſoque a Gothis Valente, cernebantur & audiebantur*, patrias funditus everſas, innumerabiles copias cadentes, terra ſanguinis mole laborans, extera natio alienam regionem velut ſuam percurſans ac populans ...., ob vigentem adverſus Trinitatem impietatem; *adeoque ipſa hieme anni 379. cum adhuc in ſua Anaſtaſia continerettur Gregorius; non tam moerens quia occupatas eccleſiae ab Arianis erant; quam quia ad litigium, propter Apollinaris periculoſam doctrinam exortum inter orthodoxos, etiam illud accedebat*, quod qui a Deo ſalute donati ſumus, *inquit*, hominum cauſa bellum gerimus, tantumque in nobis contendendi ſtudium exuberat, ut ipſum quoque aliorum ambitionibus commodemus, ac pro alienis thronis proprias inimicitias ſuſcipiamus, in una re duo graviſſima peccata committentes, dum nimirum & eorum ambitionem inflammamus, & ipſi vitioſae noſtrae affectioni hoc adminiculum accipimus..... Idcirco vetera *Chriſtianorum diſſidia & diſpendia* ſilentur, nova comico more ſugillantur: comoedia enim eſt hoſtibus *fidei & Eccleſiae* noſtra tragoedia eſt. Idcirco non parum eccleſiis detraximus, *diffluente ab iis auditore*, ac ſcenae adjunximus; idque in hujuſmodi civitate, cui ſerium ſtudium eſt, ut aliud quidpiam, res divinas ludo habere. *Quae quam indigna, quam incommoda ſint expoſiturus, exorditur a pacis nomine*, quam *tunc* populo *ex more* dedit & recepit; *haud ſciens* an ſinceram ab omnibus ſpiritu que dignam vocem. *Ceterum quia paci ſtudent, addit* mirandum haud ſore, ſi proculcetur ab utraque diſſidentium parte, ac tandem etiam ſubmoveatur de medio, *hinc occaſionem videtur accepiſſe Baronius, ut aliter quam res ipſa patiatur, de tempore & occaſione habitae orationis ſentiret; ſed reflectenda cogitatio erat ad ordinationem Maximi, ideo inſtitutam, ut Gregorius amoveretur a Cathedra, non ſua quidem adhuc, ſed commendata ſibi donec aliter provideretur.*

dum erit ſi ab utriuſque laceremur & proculcemur, & poſt multos noſtros ſudores & aerumnas de medio ſubmoveamur, ut ſublato omni obice & interſtitio, cominus atque omni animorum ardore ſeſe mutuo convulnerent). Haec & alia multa Gregorius: qui deſperatis rebus cum jam ea occaſione ſe pene abdicaſſet, his modo ſuperadditis turbis, ac ſui cauſa concitatis diſſidiis, ne ſciſſam ſemel Eccleſiam occaſione ſchiſmatis Antiocheni, rurſum graviori jactura afficeret; Concilium Epiſcoporum ingrediens, concordes eſſe debere inter ſe admonet, ſeque paratum eſſe diſſidii cauſam auferre cum ſuae Sedis diſpendio, atque non ſecus ac Jonas ſubiturum periculum, modo ceteri tempeſtate jactari deſinerent. Rem geſtam hiſce verſibus deſcribit.

(Ego hactenus ceu equus conſtrictus vinculis,
Licet maliſque morboque afflictiſſimus,
Semper pruritum ſentiebam intus pedum,
Et hinniebam vinctus ſervilem in modum,
Tam paſcua exoptans quam ſolitudinem.
At mota ſunt poſtquam quae diximus modo,
Abrumpo vincula, occaſionemque cupide
(Nec enim ambitioſos unquam poteris flectere,
Inquam ipſe mecum) oblatam abripio protinus,
Tam commodam mihi. In medium progreſſus hinc
Haec proloquor: Viri, quos collegit Deus,
Ut quid capiatis conſilii grati Deo,
Mei negotii poſterior cura ſit.
Refert parum (conventum ſi ſpectemus hunc)
Quid de me fiat, etiam ſi fruſtra efferar.
Vos majus ad quiddam nunc animos tollite.
Eſtote concordes, animi cohaereant.
Quo uſque ridemur, velut implacabiles,
Quique hoc ſciant unum, ſpirare praelia?
Alácriter ſocias dexteras conjungite.
At eſſe Jonam me vatem lubens volo;
Do memet ipſum pro ſalute navigii,
Quamquam procellae non origo hujus ſiem,
Nos forte ſublatos demergite in mare:
Me cetus excipiet ex hiſce fluctibus
Aliquis: ſit hoc veſtrae initium concordiae).

Haec

Haec & alia hujuſmodi Gregorius: qui & ornatiſſimam de his omnibus coram illis centum quinquaginta Patribus habuit (*a*) orationem, qua ultimum Vale dixit illis. Et ſane hujuſmodi, quae ſiccis oculis legi non poſſit, digna quidem quae hic integra intexeretur, niſi brevitati conſuleremus. Eo uſus eſt dicendi argumento, quo olim Samuel populum, & Paulus Epheſios eſt conteſtatus. Rationem reddit de rebus a ſe geſtis. Primum, quam perditae & deſperatae res eſſent Conſtantinopolitanae Eccleſiae, cum ſe illuc contulit; quales modo relinquat, ob oculos ponit: quanta ſit paſſus a fidei hoſtibus adducit in medium: labores ſuos cunctos recenſens; bona autem omnia illic parta dono dans Patribus, haec inter alia converſus ad populum locutus eſt: (Vocati eſtis ſancti, populus peculiaris & eximius, regale ſacerdotium, funiculus Domini fortiſſimus, e gutta fluvius, e ſcintilla flamma ſublimis & in coelum tendens, e grano ſinapis arbor tantae magnitudinis, ut aves in ea requieſcant. Hos vobis largimur cari Paſtores & Collegae: hos vobis offerimus) &c. Quam pulchra enim & quam decora eſſet tunc ejus Eccleſiae facies, optime velut coloribus quibusdam, repreſentat, dum ſacrorum miniſtrorum claſſes, virginum ſanctarum examina, & populi totius conventus recenſet, eorumque virtutes enarrat; & quod ſpectat ad Catholicae fidei profeſſionem, quantae omnes fuerint conſtantiae & firmitatis, haec addit: (Unum idque breve fidei doctrinaeque noſtrae argumentum, ac velut in columna inſculptum omnibuſque notum eſt. Hic populus adeo verus atque ſincerus Trinitatis eſt adorator, ut ab hac potius vita divelli ſe paſſurus ſit; quam horum trium aliquid a Trinitate disjungat) &c.

Haec demum ſe abdicans verba locutus eſt. (Quid igitur? quid dico? Non enim gratuitus virtutis ſum cultor, nec in eam virtutis magnitudinem perveni: laborum meorum praemium date. Quid tandem? Non quod nonnulli fortaſſe ex his, qui ad quodvis ſupplicandum facile adducuntur, exiſtimarint; ſed quod mihi tuto poſtulare licet, diuturnis laboribus me levate, & in quietem vindicate. Moveat vos haec canities, flectat hoſpitii & peregrinationis ratio. Alium ſubrogate, qui pro nobis hoſtiliter

(*a*) *Eſt ea oratio 32. quam praeceſſit congreſſus cum Imperatore, ſine cujus licentia non potuiſſet hanc tam ſolemnem abdicationem facere: congreſſus autem iſte inferias invenitur.*

ter prematur, qui puris ſit manibus, qui voce non tarda & incrudita; qui ita animo comparatus, ut omnibus in rebus vobis obſequi curaſque Eccleſiae ferre poſſit; quandoquidem tales praeſertim hoc tempus efflagitat. At mihi, cernitis, quomodo corpus hoc ſe habeat; nimirum & tempore & morbo & labore confectum. Quid vobis timido & ignavo ſene opus eſt, atque in dies ſingulos, ut ita loquar, moriente, non corpore tantum, ſed curis etiam atque aerumnis, qui vix quoque haec vobis loquor). Poſtea calumnias in ſe latas cunctis ſpectandas proponens, haec ait: (Non ultra ferre queo facilitatem animi atque clementiam criminis loco mihi objici. Non ultra cum dogmatibus & cum invidia pugnare queo; cum hoſtibus & cum ſociis).

Et poſt multa id genus enarrata addit. (Quin haec quoque fortaſſe nobis exprobraverint (jam enim exprobrarunt) quod nec menſa lauta & opipara; nec auguſta veſte utimur, nec magnifice in publicum prodimus, nec eos, a quibus convenimur, faſtuoſe excipimus. Neſciebam ſcilicet nobis cum Conſulibus & Praefectis clariſſimiſque belli Ducibus, qui tot opibus copiiſque circumfluunt, & quo ſua projiciant non habent, aemulationem & certamen eſſe; dandamque eſſe operam, ut & nobis pauperum bonis ad luxum & delicias abutentibus, venter undique comprimatur, & neceſſaria in res ſuperfluas effundantur, atque altaria ipſa ructibus noſtris contaminarentur. Neſciebam nos equis inſignibus & laſcivis ferri, ſelliſque & curribus magnifice attolli, ac cum faſtu & pompa deduci, velutque poppyſmis demulceri oportere; atque omnes nobis perinde ac belluis de via decedere, & in utramque viae partem ſcindi ac diſtrahi, aut etiam tantam praeeuntium turbam eſſe, ut procul conſpicuus ſit noſter inceſſus. Si haec gravia vobis & acerba fuerunt, praeterierunt; hanc injuriam nobis condonate: Antiſtitem alium, qui multitudini placeat, create; mihi autem ſolitudinem date, ruſticam vitam & Deum, cui ſoli per frugalitatem, tenuem victum cultumque placebimus. Quid dicitis? Num vos his verbis fleximus, cauſamque obtinuimus? an vero ad veſtros animos permovendos firmior nobis adhibenda eſt oratio? Vos per Trinitatem ipſam, quam profitemur & colimus, per communem ſpem noſtram atque hujus populi augmentum obteſtor. Hoc mihi beneficium date, cum precibus nos obligate. Hoc mihi ſit dimiſsionis praeconium. Miſſionis mihi libellum date, quemadmodum militibus Imperatores ſolent; ac ſi quidem veſtra voluntas tule-

rit

rit, cum favore & praeclaro elogio & teſtimonio, ut honori meo conſulatur; ſin minus, utcumque vobis libuerit, non altercabor, quandiu Deus rerum noſtrarum ſtatum ſpectabit).

Haec & alia Gregorius: at perorans & vale faciens omnibus, ſic ait, ad Eccleſiam ſuam primum converſus: Vale Anaſtaſia, nomen a pietate habens: Tu enim fidem adhuc contemptam excitaſti: Vale, inquam communis victoriae ſedes, nova Silo, in qua primo arcam fiximus, quadraginta annis circumactam in deſerto atque inerrantem. Tu quoque o magnum hoc templum & nobile, nova hereditas; quod magnitudinem, quam nunc habes, ab orthodoxa doctrina accepiſti; quodque nos, cum primum Jebus eſſes, Hieruſalem effecimus: Voſque aliae domus ſacrae huic dignitate proximae, aliae aliam quamdam urbis partem complectentes, quaſi vincula quaedam & compages, ac propinqua loca vendicantes; quas cum hac corporis imbecillitate, non nos ſed Dei gratia nobiſcum, iis qui pro perditis & deſperatis habebantur, implevit. Valete Apoſtoli (*a*), praeclara colonia, certaminis mei magiſtri, etſi minus ſaepe feſta veſtra celebravi, fortaſſe Pauli veſtri ſatanam ad utilitatem meam in corpore meo circumferens, ob quem nunc a vobis digredior & ſecedo. Vale Cathedra, invidioſum hoc & periculoſum faſtigium, Pontificum Concilium, Sacerdotum non minus majeſtate, quam aetate ornatorum, & quicumque tandem alii circa ſacroſanctam menſam Deo miniſtratis, atque ad appropinquantem Deum appropinquatis. Valete Nazaraeorum chori, pſalmodiarum concentus, ſtationes nocturnae, virginum gravitas & ſanctimonia, mulierum ordo atque ornatus, viduarum atque orphanorum coetus, pauperum oculi in Deum & nos intuentes. Valete domus hoſpitales, & Chriſti amantes, infirmitatiſque meae adjutrices).

Valete ſermonum meorum amatores, & curſus & concurſiones, & calami tam perſpicui quam occulti, atque hujus ſuggeſti cancelli multitudine compreſſi, hominum audiendi ſtudio ſeſe mutuo protrudentium. Valete Imperatores, & aulae Imperiales, atque omnes Imperatoris famuli & cubicularii, ſi quidem Imperatori fideles, haud certum habeo; Deo certe magna ex parte (*b*) infidi, manibus plaudite, acuta voce clamate, Rhetorem

(*a*) *Templum Apoſtolorum intelligit, primum poſt magnam Eccleſiam: in quod Conſtantius SS. Andreae, Lucae, & Timothei reliquias tranſtulerat.*

(*b*) *Utpote Ariani plerique.*

rem veſtrum in ſublime tollite. Siluit, vobis improba & garrula, lingua: non tamen omnino ſilebit: pugnabit enim manu & atramento: certe in praeſentia conſuluimus. Vale magna civitas, Chriſti amore praedita, vera enim teſtabor, etſi non ſecundum ſcientiam hic zelus eſt: benigniores nos disjunctio reddidit. Ad veritatem accedite: ad meliorem frugem tandem aliquando vos convertite: facite ut Deum ſtudioſius, quam pro veſtro more colatis. Non enim turpe eſt mutari & reſipiſcere, ſed malo haerere perniciosum. Vale Oriens & Occidens, pro quibus & a quibus oppugnamur. Teſtis ille eſt, qui pacatos nos reddet, ſi nonnulli ſeceſſionem meam imitentur; non enim Dei quoque jacturam facient; qui Thronis ceſſerint, ſed ſupernam cathedram habebunt, his multo ſublimiorem & tutiorem. Praeter omnia, & ante omnia clamabo: Valete Angeli, hujus Eccleſiae praeſides, meaeque praeſentiae & peregrinationis. Vale Trinitas, meditatio mea & decus meum: his velim ſerveris, & hos ſerves, meum hunc populum (meus enim eſt, & ſi aliter gubernemur) atque audiam te quotidie extolli & creſcere, tum quoad fidei doctrinam, tunc quoad vitae integritatem. Filioli, depoſitum quaeſo cuſtodite: mementote lapidationum mearum. Gratia Domini noſtri Jeſu Chriſti ſit cum omnibus vobis. Amen). Hactenus ultima Gregorii oratio ad Epiſcopos & populum circumſtantem.

Quae autem poſt hac ſunt ſecuta, idem in carmine de vita ſua hacc habet metro conſcripta,

[Haec diximus. Nutabant illi. Ego exeo,
Moerore commiſto quodam cum gaudio,
Gaudens quietis (*a*) quod obtigiſſet gratia,
Dolens ob meam de populo ſolicitudinem.
Quis non doleat (*b*) orbetur ſi liberis?

Sic

(*a*) *Gaudium hoc exprimit Carmen* 10. *videns ſibi non amplius litigandum, tricandumque in Synodis, ubi diverſa ſentientes inſtar gruum naſerumque ſtrepunt: ſic autem concludit.*

Quod ſi Chriſticolum eſt crimen grave linquere plebem
Viderit hæc, quæ me depulit urbe cohors......
Opto ego ſint ipſis curae, quae grata Tonanti:
Sin mala, ſint aures hinc procul opto meae.

(*b*) *Hic affectus peperit Carmen* 9. *quod vocatur* Somnium de Anaſtaſia: *quam cum in ſopore ſibi viſam prolixe deſcripſiſſet, ſuumque ex ejus amiſſione dolorem, ſic finit.*

Gregorii hic luctus, moeſta dum mente requirit,
Illum qua pepulit livor, Anaſtaſiam.

Sic ipſe geſſi me, illi norunt ac Deus,
An plura non clandeſtina (*a*) interceſſerint,
Quam apertae corruptelae juvenum atque ſcopuli
Et inſidiae. Alii haec narrent, tacebo ego).

Quid autem poſtea egerit cum Theodoſio Imperatore id etiam ſic deſcribit.

Sic geſta ſunt, haec. Quid vero cum Principe?
Num flexo corpore attigi illius manum?
Num ſupplici uſus ad ipſum oratione ſum?
Num quos amicorum e numero obligavimus,
Et maxime Magiſtratus caros mihi?
Aurumve profundi, quod plurimum poteſt,
Dejectus ut Thronum ne talem amitterem?
Aliorum ea ſunto, qui verſuti ſunt nimis.
At ipſe recta curſitans ad Purpuram,
Praeſentibus multis & haec ſpectantibus;
Etiam ipſe quoddam (aio) beneficium peto
Tua, Imperator, a larga potentia.
Non mi aurum poſco, non tabulas pictas volo,
Neque tegumenta quaedam menſae myſticae,
Non ut meis quem de cognatis evehas,
Vel adſit ut tibi, Regum praeſtantiſſime:
Haec ſunto aliorum, parva qui quaerunt ſibi,
Majoribus equidem me dignum cenſeo.
Detur mihi unum, invidiae ut cedam paululum.
Venerari cupimus ſolia, at longe diſſita.

(*a*) *Clandeſtina haec alibi videtur apertius ſugillare. Nec enim tantum in Carm. 12. ideo contendentium inter ſe odia incurriſſe inquit, quia*

— neutri volui me adjungere parti,
Nec quidquam Domino praepoſuiſſe meo:
Peccatumque meum eſt, peccata aliena quod odi.

Sed in Carm. Jambico 1. *quod eſt* de ſeipſo adverſus invidos, *cum quaeſiſſet, num quis vel fictam dejectionis ſuae cauſam proferre poſſet, ſubjungit:*

O Chriſte, taciti quidpiam audax efferam,
Fortaſſe petitur Spiritus; aperte loquar,
Iterumque dicam, Spiritus, tamquam Deus.

Unde apparet de propenſione in Macedonianam haereſim ſuſpectos Gregorio fuiſſe plures, qui Spiritus quidem divinitatem non negabant; ita palam tamen eamdem praedicari, ut faciebat Gregorius, ferre non poterant. Certe major pars eorum erat qui ſub Valente Ariano aſſumpti, juvenes aulici & indiſciplinati, ad novi Imperatoris Catholici gratiam mutare fidem legerant, quam venalem habebant: quos egregie deſcribit & perſtringit Carmen Sancti de Epiſcopis, quod hactenus dumtaxat Latine ac proſa redditum habemus.

Sat omnibus amicisque inviſus fui,
Dum nil aliud poſſum intueri quam Deum:
Ab his repoſce tu caram concordiam.
Tandem arma deponant juſſu tuo,
Si vel Dei vel ſupplicii nolunt metu.
Statuas trophaeum hoc incruenti praelii,
Qui barbarorum contudiſti audaciam,
Hoc poſtulant (canos ſimul oſtendo meos,
Et quos labores impendiſſem Deo)
Hi qui tulerunt tot mundi cauſa mala.
Scis, ſponte me huic non eſſe praefectum loco.
Haec excipiebat Imperator cum ſuis
Non abſque plauſu. Quod volo conceditur).

Erat enim Theodoſius erga Gregorium propenſiori animo: nam & illum ſaepe Regia menſa excipere conſuevit: qua tandem caruiſſe Gregorius [1] ſummopere gaviſus eſt. Unde ait: (Non jam Imperatori, ut prius, contubernalis erit Gregorius, ventri ſuo nonnihil gratificans, atque inter medios epulones, triſtis & tacitus accumbens, aegreque anhelitum ducens, & ſervilem in modum edens).

His peractis Gregorius, antequam diſcederet, totus fuit ut moerentes conſolaretur filios, lugentes orbari parente; ipſos denique quotquot erant, ſanctiſſimos Epiſcopos, conſternatos ex tam inſperata abdicatione Collegae. Erant enim cum ceteris congregati Gregorius Nyſſenus, Amphilochius Iconienſis, Eulogius Edeſſenus, Helladius Caeſarienſis, Otrejus Melitenus, & alii, qui praedictae Synodo interfuerunt ac ſubſcripſerunt. Quid autem fecerint hi, cum audiſſent Imperatorem ratam habuiſſe Gregorii abdicationem, idem refert his verſibus.

[Plerique enim animadverſo conſilio, ſtatim
Seſe fuga proripiunt tamquam a fulmine,
Comploſis manibus, obturatis auribus.
Ut ne ſuis ipſi oculis unquam cernerent
Alium, throno eſſet qui locatus in meo.

Haec Gregorius. Qui autem remanſerunt Epiſcopi, cum de ſubrogando alium in loco Gregorii mutuo diffiderent, aliis alii faven-

(1) Carm. 10.

ſaventibus; tandem cum nulla eſſet ſpes concordiae, ut in eamdem omnes coirent ſententiam; placuit ut ſcriptis multorum nominibus Imperatori deferretur, quem vellet ex notatis eligere. Erat ultimo loco in ſchedula conſcriptus (*a*) Nectarius, adhuc Cathecumenus Expraefectus, nuper enim geſſerat praefecturam Urbanam. Hunc ceteris poſthabitis, Theodoſius Imperator (*b*) elegit. Ratum id habuit (*c*) Synodus, & tam de his, quam ceteris in Concilio pertractatis, ſcripſerunt litteras Synodales ad Damaſum (*d*) & alios Catholicos Epiſcopos.

(*a*) *Sozomenus lib. 7. Cap. 8. imputat Epiſcopo Antiocheno, quod Diodoro Tarſenſi gratificaturus, commendatum ſibi ab eo Nectarium dignum habuerit, cujus nomen ceteris adderet. Ubi Optimum ex Antiochia Piſidiae intelligo, nam Flavianus pro Antiochia Syriae dicitur poſt Nectarium eſſe electus.*

(*b*) *Imperatori forſan pulchrum viſum, quod a ſe lectus Urbis Praefectus ſummo ejuſdem Sacerdotio aptus judicaretur, cum alius, ut virtus forſitan non deeſſet, doctrinam iſti muneri parem non haberet: ut tamen quadantenus inſtrueretur, impetravit a Diodoro Tarſenſi Cyriacum Epiſcopum Adanenſem; quam parum autem profecerit ex eo colligat, quod in graviſſima cum haereticis cauſa, Novatianos adhibuerit conſultores, ut teſtatur ipſe ejus laudator Sozomenus l. 7. c. 12. ſucceſſu quidem non malo, ſed tamen eatenus pudendo. Cetera non malus Epiſcopus fuit Nectarius, quare ejus ac Flaviani Antiocheni nomen inter Sanctos relatum a Graecis reperitur, ut communi utramque commemoratione Conſtantinopoli recolantur ad 27. Septembris, in Synaxario Ms. Collegii Claromontani & altero Chiffletiano. Utrumque autem, excepto quod Romana Eccleſia ordinationem ejus numquam approbavit, laudatiſſimus per omnia extitit.*

(*c*) *Factum id eſſe ante menſem Auguſtum, patet ex lege Theodoſiana, 111. Kal. Iata, qua iis tradi eccleſias jubet, quos* conſtabit *in Trinitatis profeſſione* ſociatos *eſſe* communione Nectarii Epiſcopi Conſtantinopolitanae Eccleſiae &c.

(*d*) *Jam diximus Epiſtolam illam primum ſcriptam eſſe a ſequentis anni Synodo, cum jam Antiochiae ordinatus eſſet Flavianus. Interim pro Nectario praeceſſerat ad Damaſum ipſius Imperatoris legatio, cujus meminit Bonifacius Papa: annis circiter 40. poſt factum, ſcribens Epiſcopis per Macedoniam, Achajam, Theſſaliam, utramque Epirum & Daciam conſtitutis, ut habes in Collectione Romana Holſtenii. Verba ſunt,* Clementiſſimae recordationis Princeps Theodoſius Nectarii ordinationem, propterea quod in noſtra notione non eſſet, habere non exiſtimans firmitatem, miſſis e latere ſuo Aulicis cum Epiſcopis, formatam huic a Sede Apoſtolica depopoſcit, quae ejus Sacerdotium roboraret. *Sequenti autem anno iterum Conſtantinopolim convenientes Epiſcopi, ſic ſcripſerunt ad Damaſum alioſque per Occidentem:* Eccleſiae Conſtantinopolitanae, recens ut ſic dicam aedificatae, quamque ex haereticorum blaſphemia tamquam ex ore leonis nuper eripuimus (*ii ſcilicet egregii illi, Gregorium nec nominare quidem dignati, laudem alienam arripiebant ſibi*) reverendiſſimum ſanctiſſimumque Nectarium in Concilio Generali, communi omnium conſenſu, praeſente Theodoſio Imperatore religioſiſſimo, totius denique Cleri totiuſque civitatis ſuffragiis, Epiſcopum conſtituimus.

CAPUT XVII.

Nazianzum regreſſus eccleſiae iſtae conſulit, deinde Arianzum ſecedit Gregorius: hujus aerumnae variae.

QUantum ſederit Gregorius Conſtantinopoli (improbata ea, quam diximus Nicephori Epiſcopi ſententia de annis duodecim, cum triennio tantum eum Conſtantinopoli manſiſſe ex ipſius verbis ſuperius monſtraverimus) non praeciſe ſcitur: ſatis conſtat modico temporis ſpatio eidem Sedi praefuiſſe. Unde idem ipſe agens de ſuo receſſu, haec habet.

[------ Malorum vos horum pudeat.
Heri creaſtis Praeſulem, hodie pellitis.
Elapſus hinc, quid porro? degam cum Angelis?
Vitae nocebit haud quiſquam poſthac meae,
Nec proderit. Deo me totum contraham).

Reditus Gregorii [1] in patriam, optata diu quiete perfruituri, peropportunus & proficuus admodum fuit ei, unde ad Sophronium Praefectum Conſtantinopolim ſcribens, haec ait: (Habet quiddam laeti & commodi noſter ſeceſſus, nimirum otium & quietem). &c. Rurſus ad eumdem: (Quiete, inquit, & tranquille philoſophamur: hoc nobis injuriae intulerunt qui noſtri odio flagrabant: atque utinam alia quadam hujuſmodi injuria nos afficiant (*a*)].

At vero multa ac diverſa interceſſerunt, quae Gregorii otia (*b*) interruperunt. Ut quod his diebus contigit ſuis Nazianzenis, quibus adeo profuit, ut civitatem illam ab imminenti exci-

(1) Ep. 59. & 60.

(*a*) *In hac quiete ſtatim compoſuit Carmen* de vita ſua ad Conſtantinopolitanus; *neceſſarium ratus ut famae ſuae conſuleret adverſus rumores quos invidi ſpargebant, quaſi abdicare coactus fuiſſet. Eodem etiam tempore compoſitum credi poſſit Carmen de Epiſcopis aliaque hujus generis quaedam.*

(*b*) *Imo verius abruperunt cito, ſi verum eſt quod ſcribit Hermant, eum Conſtantinopoli reducem ſtatim ſeceſſiſſe Arianzum: coactus eſt enim Nazianzenam Eccleſiam, velut propriam curare, quia in Epiſcopo eidem praeficiendo cunctabatur Caeſarienſis Antiſtes, velut contra Canones facturus, ſi viventi Epiſcopo ſubinduceret alterum: quantumvis proteſtaretur Gregorius, numquam id ſe Eccleſiae iſti fuiſſe: tandem enim ſe importunitati nihil non molientium ut eum ſub illo onere retinerent, ceſſiſſe docet Ep. 83 ad Theodorum Thyanenſem Epiſcopum:* Non jam vobis moleſtiam exhibebo, *inquit.* Coite: vos ipſos munite: adverſus nos conſilia inite. Vincant qui nos oderunt: ad unguem obſerventur Canones, a nobis quibus nihil eſt imperitius, initium ducentes. *Deinceps autem cives Nazianzenos, ut gregem ſuum, compellat & tractat.*

excidio liberaret. Nam cum protervi quidam juvenes violaſſent quoddam Imperatoris edictum, eaque de cauſa hominem occidiſſent; rei Majeſtatis Praeſidem Cappadociae provinciae (hic erat Olympius) in tantam concitarunt iram, ut eam civitatem delendam ac ſolo aequandam in animum induceret. Haec audiens Gregorius [1], cum aegrotans non poſſet praeſens malis occurrere, apud eundem Praeſidem per litteras egit. Quem, hominem ſane pientiſſimum, ut ad miſerationem commoveat, illud non publicum totius civitatis, ſed quorumdam tantummodo adoloſcentum fuiſſe crimen oſtendit; atque cum canitiem ſuam tot aerumnis afflictatam ingerit, tum etiam templum, quod extruxerat ibidem, indignum quod excideretur, commemorat. Haec & alia multa pro Diocaeſarea, ipſa nempe Nazianzo, ut ſuperius diximus, Gregorius ad Olympium ſcripſit (a). Cum autem Olympius (b) ſe Nazianzum contuliſſet, una cum ceteris Cappadociae Magiſtratibus, Gregorius coram ipſis nobiliſſimam illam orationem 17. dixit, quae inſcribitur, ad cives Nazianzenos conſternatos & Praeſidem iratum, eſtque illius exordium, Ventrem meum doleo &c. qua cum pluribus imminentem cladem deploraret, quantum praeſtet Imperatori eſſe ſubjectum illiusque parere edictis, cives multis commonet.

Mox mirabili quadam dicendi libertate ad Olympium ac ceteros Magiſtratus converſus, haec ait: (An me libere loquentem aequo animo feretis? Nam vos quoque poteſtati meae, meiſque ſubſelliis lex Chriſti ſubjecit? Imperium ipſi quoque gerimus, addo praeſtantius & perfectius, niſi aequum eſt, ſpiritum carni faſces ſubmittere, & coeleſtia terrenis cedere. Sed non dubito, quin hanc dicendi libertatem in optimam partem accepturus ſis, ut vere ſacri mei gregis ovis ſacra, magnique Paſtoris alumna, jam inde a primis annis recte in ſpiritu ducta & inſtituta, ſanctaeque ac beatae Trinitatis lumine aeque ac nos illu-

(1) Ep. 49. & 172.

(a) *Epiſtola 172. primum brevius, deinde prolixius altera quae eſt 49. ſic exordiens:* Rurſus benignitatis tempus, & rurſus ego audax & temerarius, qui rei tantae deprecationem litteris committam: audacem enim me morbus facit. *Sed quamvis utrobique civibus parci petat; haec poſterior tamen, videtur adverſum a priori longeque gravius crimen indicare.*

(b) Olympium *quidem eum vocat Baronius; ſed veroſimile eſt ejus deceſſorem potius intelligendum, qui minus quam ille Gregorio familiaris & amicus fuerit: nam quomodo coram Olympio perorans, nihil de ſua apud eum gratia, & huic nixa fiducia civium admiſcuiſſet? Bilius in Annotationibus ait Choniatem (fortaſſe Gregorium) aſſeverare quod Praeſes iſte vocaretur* Julianus Exiſotes. *Huic anni 382. initio ſucceſſerit Olympius. Cauſa autem quae Praeſidem commoverit, haud dubie longe levior fuerit, quam illa ſub Olympio poſtrema.*

illuſtrata. Proinde brevis erit mihi tecum oratio. Cum Chriſto imperium geris, cum Chriſto Provinciam adminiſtras). Haec & alia id genus Gregorius ad Olympium Praeſidem, & non ad Imperatorem, ut alii putaverunt. Nam quis non videt Gregorium Praeſidem Provinciae alloqui, & non Imperatorem, tum ex praedictis, tum ex illis quae ſequuntur, cum ait. (Nihil commiſerationem animique manſuetudinem excludat, non temporis acerbitas, non Princeps, non metus, non majoris Praefecturae ſpes) &c. Illum ut perſuadeat, inter alia perbelle ingerit de canitie ſua, ac Sacerdotio diutius incontaminate geſto, cum ait: (Num tibi praeterea, ſupplicis cujuſdam libelli loco, canities haec offerenda erit, annorumque noſtrorum numerus, diuturnumque & incontaminatum ſacerdotium, quod ipſi quoque Angeli, puri puriſſimi Dei cultores, fortaſſe verentur?) &c. Ex his omnibus ſatis apparet, haec omnia facta eſſe, non Valentis Imperatoris temporibus, quando Arianae haereſis fautores Cappadociae adminiſtrabant provinciam, ſed temporibus Theodoſii, quando proſcriptis ejus edicto Arianis, Catholicae fidei cultoribus Praefecturae provinciarum credebantur. Gregorii itaque patrocinio liberata eſt civitas Nazianzi.

Permanſit illic tamdiu Gregorius, donec illi firma ſecuritas redderetur, & optimus aliquis illic praeficeretur Antiſtes. Egit enim apud Helladium Caeſareae Cappadociae Epiſcopum Metropolitanum, magni Baſilii ſucceſſorem, ut Eulalium virum probatiſſimum praeficeret Epiſcopum Eccleſiae Nazianzenae. Ipſe interim ſeceſſum in ſolitudinem meditatur, cum Philagrius ejus intimus eum amice commonet, ne Eccleſiam illam derelinquat, cujus ſemel curam ſuſcepiſſet *(a)*. Ad quem Gregorius, ſui adventus ac rerum ſuarum rationem reddens, haec de ea re: (Quod ſi Eccleſiam relinquere periculoſum eſt (ut ſcribis) quam tandem? Si noſtram? recte dicitis, idemque & ipſe aio. Si vero nihil ad nos attinentem, nec nobis aſſignatam atque decretam, culpa vacamus. Quod ſi idcirco tenemur, quia ipſius curam aliquantiſper geſſimus, multi utique alii eadem ratione teneantur, quotquot nimirum hoſpitum curam habuerunt, &c. Egit etiam de his apud Theodorum Epiſcopum Tyanenſem, ad quem de ea re

(a) *Hermant exiſtimat, Philagrium improbaſſe conſilium deſerendae* Eccleſiae Conſtantinopolitanae, *& de hac reſpondere Sanctum: ſed quam multa erant quibus de illa deſerta ſe excuſare poterat Gregorius, nec hic attinguntur; tam apte quadrant, omnia in* Nazianzenam, *cui ſe unquam nominatum Epiſcopum negat, quod de* Conſtantinopolitana *non ita vere dicere potuiſſet.*

ea re extat Epiſtola (*a*). Ordinato tandem Eulalio Epiſcopo Eccleſiae Nazianzenae, falſus rumor increbuit, Gregorium ab Helladio Epiſcopo, Caeſarienſi Nazianzena Sede privatum. Tunc Gregorius, ut Helladium, alioſque Epiſcopos qui Eulalium ordinaverant, ea calumnia liberaret; mox ad Gregorium Nyſſenum ſcripſit Epiſtolam (*b*), qua quidem cum illos excuſat, tum etiam ingenue profitetur, ſe numquam Eccleſiae Nazianzenae fuiſſe ordinatum Epiſcopum. At licet ſic Gregorius conſuluiſſet famae Epiſcoporum, vulgi tamen murmur de ſe, quod tenuem Eccleſiam contemptui habuiſſet, cum evitare non poſſet, patienti animo ferendum duxit, unde ipſe aliquando:

[Pars hominum, noſtris omnino incredula morbis [1],
Uſque adeo tacitum lacerabat murmure nomen;
Meque pium nimio populum contemnere faſtu
Cenſebat, ſi non verbis jactabat apertis.
At cernit noſtros, qui cernit cuncta dolores). &c.

His officiis praeſtitis & exolutis muneribus, Gregorius rus paternum, quod ex ampla haereditate, ſibi tantum reliquum erat, ceteris bonis in pauperes erogatis, ſe contulit. Adhaeſit ei Nicobulus, conſanguinitate propinquus. Hic, inquam, ille Nicobulus, qui ejuſdem nominis parente clariſſimo genitus, jam diutius habuit in optatis, ut ſacras litteras Gregorio magiſtro ediſceret: quod cum hactenus minus licuiſſet, tandem nactus eum ceteris ſolutum negotiis, factus eſt voti compos. Illic agens Gregorius, nec ſic quidem latrantium linguas valuit continere. Siqui-

(*a*) *Eſt ea Epiſtola* 88. *in qua ſic loquitur:* Teſtificor coram Deo & electis Angelis Dei, gregem indigna pati, ut qui ob perditam valetudinem meam nec paſcatur nec viſitetur, Nam me morbus conſtrictum tenet atque ab Eccleſiae gubernaculis celerius abduxit, nuncque inutilem prorſus reddit, ut qui & ſingulis diebus extremum pene eſſlem ſpiritum, & negotiorum mole magis opprimar. *Inter haec autem moleſtiſſimum fuit quod ſuccſſebant Apollinariſtae, qui ut in Epiſtola* 77. *ad Olympium Praefectum queritur dum ipſum Gregorium ad Xanxaridos thermas longius abduxiſſet morbus, praeſumpſerint ſuae factionis hominibus, quos Nazianzi habebant, imponere ejuſdem farinae Epiſcopum*, nulla re, ut opinor, *inquit Gregorius*, perinde freti atque ſumma mea imbecillitate.

(*b*) *Haec* 42. *eſt*, *in qua*; De nobis, *inquit*, ne quiſquam obſecro falſos ſermones jactet, nec de Dominis Epiſcopis, tamquam invitis nobis ac repugnantibus Epiſcopum alium nobis ſuffecerint. Non enim uſque adeo illis contemptui ſumus, nec adeo infeſtum eos noſtri odium tenet. Quin potius eos multum diuque obteſtatus, propter effoetum & emortuum corpus, ſimul etiam quod neglectae Eccleſiae onus praetermiſerim, hanc ab iis gratiam poſtulavi, nec eccleſiaſticis legibus adverſantem & nos recreantem, ut is Paſtor daretur, qui etiam precibus tuis datus eſt.

(1) De rebus ſuis.

Digitized by Google

Siquidem hypocritae quidam (*a*) monachi, videntes eximio ſplendore Gregorii, famam, quam ibi ſibi comparaverat, obſcurari, mox in eum obloqui ac detrahere coeperunt; quod in loco amoeno, in deliciis, nec ut deceret monachum, vitam ageret. De eo, qui haec diceret, haec ſunt Gregorii: (Me enim copioſum ac divitem eſſe ait, ut qui hortum & otium & mediocrem fontem habeam) & paulo poſt. (Si fontem & hortulum vel exiguam auram, vel umbroſum quoddam nemuſculum, res utique leviſſimas, poſſidemus, protinus in delicias interpretamini (*b*). Quid? An ne reſpirare quidem Chriſtiano licet, hocque uno nomine vobis injuriam fieri contenditis?) Haec ille. At leviora haec fuerunt certamina. Siquidem perinde ac ſi quiſpiam maris tempeſtate fatigatus, e magna navi in qua navigabat, quietis amore in naviculam deſcendat; licet locum mutet, eoſdem tamen cogitur experiri fluctus, eademque procella jactari; ſic & ipſe, licet e magna illa navi Conſtantinopolitanae Eccleſiae tot agitata turbinibus, ac in tenuem lintrem, in ipſam ſolitudinem ſe recepiſſet; tamen innumeris iiſdemque graviſſimis cogitur fatigari anguſtiis & aerumnis. Ecce tibi acrius in dies vexatur podagrae doloribus: morbum enim ipſius peculiarem, de quo ſaepiſſime queritur, fuiſſe articulorum dolorem, ex litteris ejus (*c*) explo-

(*a*) *Cum hujuſmodi hominibus nihil quidem negotii ſibi voluit eſſe Gregorius: ſed hos et moleſtos fuiſſe non aliunde accepit Baronius, quam ex fallaci titulo Carminis 59. εἰς ἐπιπλαστῶς μονάζοντας* in fictos monachos: *cum is integre videatur talis fuiſſe, εἰς ἐλέγχοντα αὐτὸν ὡς ἐπιπλαστῶς μονάζοντα*. In argumentum ſe quaſi falſo monachum ſimularet: *hunc enim ait fuiſſe quempiam ex inſenſatis divitibus illis, qui addicti affluentes, volunt ut alii, contrariam vitam profeſſi, pene hominem exuerint quia monachi ſunt, dum ipſi* conjuge, liberis, & voluptate omnigena fruuntur: *quibus reſpondens*: Quid monachi, *inquit*, pro te dicant audite, amatores mundi. *Mundanos ergo & ſeculares homines carmen iſtud appellat, neutrique eorum eſſe dijudicare utrum quis externam habitus victuſque auſteritatem ex vero virtutis amore ſectetur, an autem ex hypocriſi; quamvis inter utroſque multum intereſſe oſtendat: & fortaſſis ultimam partem reſpicit titulus, ſi non eſt mutilus; non tamen indicat ab hypocritis tale quid paſſum Sanctum, quale a mendacio quopiam ſibi objectum in priori Carminis illius parte diluit*.

(*b*) *Quam exiguum id eſſet, quod corpori ſuo indulgebat Gregorius, explicat in Anacreontico* ad animam ſuam, *quam inducit quaerentem ex carne ſua quid cupiat*. Satis *autem* tibi ſit, *inquit*, rupea domus ad umbraculum, camelorum pili vel vilis pellicula integumentum nuditatis, frondes camique caeſi ad cubitum: ad menſam autem nullo apparatu inſtructam accumbens, habes panem aut farinae modicum, cui pro opſonio ſemper parabili ſal adſit, & quantum voles thymi ſive cepae, praecipue tamen ipſa fames. Potum etiam cupis? Aqua tibi fluit ebrietatem non inductura. Vis amplius? Etiam aceti aliquid non negabitur. Haec porro ſi ſatis non ſint, ſed cupis ut deliciae & voluptates tibi ſubminiſtrentur quaere alium qui id faciat; neque enim mihi vacat domeſticum hoſtem, ſerpentis inſtar, fovere ſinu.

(*c*) *Ep. 57. excuſans ſe Anyſio, quod ad nuptias Olympiados cum aliis Epiſcopis non accedat*. Intempeſtivum, *inquit*, eſt atque a nuptiis alienum, podagricos videre, qui inter ſaltitantes circumferantur ac rideantur.

exploratum habetur. Porro non tantum pedibus, ſed & artubus ceteris ea aegritudine laboraſſe, ſatis apparet ex ejus carmine, quod in morbum ſcripſit (*a*).

Acceſſit ad haec deterrimum illud, quod vix fidem inveniat, ut homini ſenio (*b*) morboque perfracto daretur ſtimulus carnis; angelus ſatanae, ſpiritus ille nequam fornicationis, qui emeritum ſenem, inſtar cujuſpiam effraenis adoleſcentuli, obſcoenis impuritatibus verberaret. Niſi enim haec ipſe iterum atque iterum lugens profiteretur, quis alicui talia dicenti fidem praeſtaret? Aliquando idem ipſe cum in carnem ſuam invehitur, haec ait. (Non improbitati tuae tandem finem impones? Non ſpiritui & ſenectuti jam canae, ſtulta & miſera, te ſubmittes? Quo circa verere me tandem, ac libidinem iſtam petulantiamque compeſce, nec in animae meae perniciem perpetuo furore debacchare. Alioquin teſtor fore, ut te acerrime oppugnem, omnique dolorum genere frangam, atque cadevere imbecilliorem te reddam. Venite jam & quidem magna copia, ſcelerum expiatrices lacrymae, veni laborioſum tam mentis quam corporis pervigilium, ut flammae meae ardorem minuatis, foedamque vitiorum putredinem abſtergatis: Venter ſatietatem ableget: genua humo fixa obrigeſcant, ciniſque cibi loco ſit: aſperrimus ſaccus mollia membra undique tegat, vexataeque animae ſuppetias ferat. Veni triſtis cura, carnis domatrix, futura ſupplicia mihi ſemper ob oculos ponens. Atque haec quidem ſtoliditati meae vecordiaeque medicamenta ipſe adhibebo) &c. Haec Gregorius at non poetice ludens.

Revera autem haec & alia, ad ea fuganda mala, adhibuiſſe remedia alibi (*c*) teſtatur his verbis. (Ego quidem in hac canicie corpus lanio, oculos premo, diurnis nocturnis curis ter miſeram animam conficio, ut eam flamma extraham: nec ſic quidem

(*a*) *Annuus is morbus fuit, ut ſupra vidimus ad initium cap.* 13. *& carmen agro Conſtantinopolitano compoſitum creditur ab Hermant.*

(*b*) *Nobis, qui jam octogenarium Gregorium habemus, nequaquam neceſſe eſt, hanc ejus cum ſua carne luctam ad extremum iſtum receſſum differre: quin etiam id prohibere videtur carmen de quadragenario ſilentio, mox infra allegandum, ubi ſatis indicat in decrepita illa ſua ſenectute pugnandum ſibi, non ut olim cum carne, ſed cum lingua eſſe. Canitiei quidem ſua etiam pro illo tempore meminit: ſed hoc non plusquam annum ſexageſimum arguit, quando aliud nihil accedit quod extremam indicet ſenectutem. Dicatur ergo talia & paſſus eſſe, & (ut ſequitur) ſcripſiſſe Sanctus, cum adhuc corporis robore floreret, & necdum morbis eſſet exhauſtus. Certe morborum ſuorum nuſquam meminit in Carm.* 18. *adverſus carnem ſuam, quod hac occaſione compoſuit.*

(*c*) *Neſcio ubi hunc locum inveniam: nam quod in margine notarat Baronius Carmen de rebus ſuis, compoſitum paulo poſt fratris Caeſarii mortem, tale nihil habet.*

dem tamen, niſi admodum aegre, corpus in poteſtate teneo). Et alibi (*a*): (Furibundo robore ſaevit caro, nec unquam a bello quieſcit. Anceps eſt hujus belli alea). Et poſt alia: (Quamobrem in luctu & ſquallore verſor, coeleſtemque illum Regem, qui omnia imperio tenet, ſupplex obteſtor, ut corporis animaeque controverſiam benigne diſceptet, bellumque comprimat). Rurſumque inferius. (Has ego preces fundo, permultaque medicamenta carni offero, ut gravem hunc morbum a me depellam; ejuſque robur, non aliter ac periculoſiſſimae & infidiſſimae cujuſdam belluae firmiſſimis vinculis compeſcam. Perniciosos fluctus extimeſcens, ventri clauſtra impono, animum moerore conficio, lacrymarum vim effundo, ſempiterno Regi fracta ac debilitata genua flecto, & ſordidatus incedo.] Et *poſt* aliqua. [Ego huic vitae mortuus ſum, ac perexiguum ſpiritum duco; urbes, hominum coetus fugio: atque inter feras & ſcopulos verſans, ab omni hominum frequentia remotus, in aſpera quadam & impolita rupe habito; unam tantummodo veſtem habens, calceiſque & foco carens, atque eo reductus, ut omnium mortalium probris pateam]. In fine demum ad Deum converſus haec addit. [Senectutem quaeſo meam, optime Deus, canumque caput hoc ſerva, vitaeque finem optatum concede]. Haec & aliae hujuſmodi ſunt lamentationes Gregorii, in ejuſmodi aerumnis verſantis. Quid ad haec dicimus? Niſi quod Paulus de ſe praedicat dicens: [Ne magnitudo revelationum extollat me, datus eſt mihi ſtimulus carnis meae, angelus ſatanae, qui me colaphizet: & ter Dominum rogavi, ut diſcederet a me, & dixit mihi; Sufficit tibi gratia mea: nam virtus in infirmitate perficitur]. Haec illum tentatio reddidit clariorem tutioremque, ne tot, tantiſque rebus praeclare geſtis inflaretur, ceteros autem efficiet cautiores. Quis ſibi aliquid ſumat de perdomita carnis concupiſcentia, ſi in ſenectute poſitus, morbo laborans, in eremo conſiſtens, talia tantaque remedia adhibens, adhuc tamen dimicans ancipiti praelio timeat ſuccumbere (*b*), ac potius glorioſa fuga (*c*) ſibi conſulat, quam crebrioribus adverſarii ictibus cominus vulnerari.

* Illud

(*a*) *Quae ſequuntur, ſunt ex* Carmine 4. *eſtque id elegia* de animae ſuae calamitatibus, *compoſita vivente adhuc utroque parente, ſed jam communes humanae vitae terminos ſupergreſſo, ut eſſent puta annorum* 85. *cum filius eſſet ſexagenarius.*

(*b*) *Hinc illud in Carm.* 58. *de virtute humana.* Corpore ſum virgo, verum an etiam mente; haud certo ſcio.

(*c*) *Hinc ad Vitalianum Gorgoniae maritum Epiſtola* 196. Carbala per ſummum ſcelus ejicimus, atque ut (tragaediae verbis non-

Illud etiam in eo admiratione digniſſimum videtur, hominem ſenio praegravatum, perinde ac ſi tirocinium monaſticae diſciplinae inchoaret, tam vehementi animi ardore tot labores exantlare, ſuos quoque ſenſus tam arcta diſciplina coercere, ut ne latum quidem unguem a perfectiſſima illa, & numeris omnibus abſoluta monachorum vita aberrare curaret. Unde aliquando cum pervigili indagatione, in quod facilius deliqueret, ſcrutaretur, viſus eſt ſibi plus ſatis, quod eſt peculiare ſenum vitium, aliquando loqui. Quod quidem, ut execrandum facinus, indicta ſibi poena ſeveriſſima luxit; dum quadraginta diebus jugi ſilentio linguam compreſſit. De his etenim ipſe agens, cum dixiſſet quod robuſta ac vegeta etiamnum aetate debuerit certare cum carnis petulantia, ventris ingluvie, iracundiae impetu, propenſione ad riſum; [Et haec quidem antea, inquit, fervebat enim caro, quae coeleſtis aſcenſus grande eſt impedimentum. Nunc vero & morbo affectus, & ſenectute fractus ac debilitatus in aliam calamitatem incidi, indomitam linguam praecipitique loquendi velocitate volubilem habens, quae me invidi hoſtis manibus ſemper tradidit, innumeriſque me incommodis *(a)* affecit]. Et in fine, poſt expiationem delicti quadraginta dierum ſilentio, ſolvens linguam, haec ad Chriſtum primo locutus eſt. [Tibi linguam meam devinxi, & eam nunc ſolvo: quod utrumque, ut pie faciam te ſupplex rogo & obſecro. Loquar quae convenit, quae autem nefas eſt loqui, ne animi quidem cogitatione complectar]. Haec Gregorius, in his quae ad ſilentium ſpectant. Idem etiam aſſiduis affectus aerumnis, cum mundi gaudiis per-

nonnihil immutatis utar) ejicimur non quidem ſermone, ſed reipſa. Multo enim melius erat, tabula publice propoſita nobis receſſionem indicere, quam per mulieres, quas e regione noſtri collocaſti, vitae gravitatem & ſanctitatem intercedere; & quotidianam verecundiam mihi & aliis, qui hujuſmodi vitae inſtitutum libenter inſectantur, maledicendi occaſionem dare. Dicam clare, etſi id audax forte videatur, nos quoque e paradiſo per Evam expuliſti, *quantum ſcilicet in te fuit.* Vos cum ad hunc locum acceditis, & accipimus & amplectimur; a muliebri autem familia ita nos proripiemus, uti ad ferinos impetus ...... relictis & manuum noſtrarum laboribus, & iis rebus quarum ſpe ducebamur, longaque ad Sanctos Martyres excuſandi noſtri cauſa oratione habita. *Moverit eo res Vitalianum, credo, ut ſcandalum ab oculis & vicinia Sancti amoliretur, magnis ejus beneficiis pridem obſtrictus. Verum hinc naſcitur dubitatio, eademne ſit* Carbala, *quae* Arianzus. *Ego ſic diſtinxero, ut* Arianzus *nomen ipſius vici fuerit, intra quem & eccleſiam ſuam habebant Sancti Martyres, quorum hic & in Epiſtola Theodori Mopſueſteni mentio; & prope eccleſiam praediolum ſuum habuerit Gregorius, proprio nomine dictum* Carbala, *ut ſolent etiam domus hortique ſinguli ſuum in pagis nomen habere.*

(a) Non quia graviter unquam deliquerit verbo (nam a detractione, contumelia, aliiſque ſimilibus, quae lex Chriſtiana vetat, longe abfuiſſe ſe profitetur) ſed quia eloquentiae ſemper promptae gloria perſtringebat oculos invidorum, uti pluribus ſaepe locis innuit, cum ſuam ſibi facundiam Conſtantinopoli & alibi crimini verſam dicit, quaſi multa ſuaet agere deberet omnia.

perpetuum bellum indixiſſet, ſiquando laeta aliqua ac jucunda obvenirent ſibi timens, ut ea quaſi rem ſuſpectam fugaret, mox ad Hieremiae Threnos confugiens, ea ratione eam triſtitiam, quae parit ſalutem, ſibi conciliabat. Ipſe enim de Threnis illis aliquando verba faciens, haec ait [1]. [Ego quidem, ut de me loquar, quoties hunc libellum in manu ſumo (id autem facio quoties ſecundarum rerum inſolentiam coercere ejuſmodi lectione volo) vox mihi intercluditur, lacrymiſque obruor]. Haec ipſe.

Quod etiam Gregorii animum vehementiſſime cruciabat, fuit amor filiorum, quos in Catholica fide genuerat; ut olim vaccae illae Bethlemitae plauſtro alligatae, licet nec ad dexteram nec ad ſiniſtram declinarent, tamen ob foetus relictos in ſtabulis mugiebant aſſidue; ſic & Gregorius partus lugebat ſuos, eoque amplius, quod ejus diſceſſus captata occaſione, Ariani ac ceteri haeretici in Dei Eccleſiam liberius inſurgebant. Hinc illae Gregorii lacrymae, hinc illi de Anaſtaſia ſua iterata ſuſpiria, cum eſt reverſus in patriam. Unde interdum, [& nunc, inquit (a), mea Trinitas rurſus in foro & in choris, ab impuris & nefariis linguis ſcinditur, & meretricii ſermones ſuperiores ſunt]; & alia ejuſmodi omnia illius carmina reſonabant. Anaſtaſiam omnes ſermones, cogitationes, ac ipſa denique inſomnia repraeſentabant. Extat & carmen quo deſcripſit ſomnium de Anaſtaſia; ubi inter alia haec leguntur: o dulciſſima Anaſtaſia, ſi me unquam tui oblivio capiet, aut ſi unquam quid prius in ore habuero, me velim obliviſcatur Chriſtus. Saepenumero etiam Anaſtaſiae plebem, quamvis corpore longe remotus, luſtravi, incorporeum mihi templum fingens in animo viſiſque mihi divinitus occurrentibus lacrymis litans. O Virgines, o ſacri Cantores, o jucundi & amabiles tam exterorum quam noſtrorum chori! o Viduae, Orphani, mendici, de meis tamquam de Dei manibus pendentes! o dulces domus ſenectutis altrices, numquam veſtrum ego, ſi velim, obliviſcar.] &c.

C A-

(1) Orat. IV. de pace

(a) *Carm.* 17. De ſeipſo poſt reditum Conſtantinopoli, *ubi per Nectarii ſocordiam iterum invaleſcere haereſes audiebat & gemebat. Cum Nectario tamen ipſo ſemper amicitiam coluit, nec niſi cum ſumma reverentia & aeſtimationis magnae de ejus virtute ac prudentia conceptae expreſſione ſcribit, etiam ubi eum ad haereticos compeſcendos hortatur, uti facie in ea Epiſtola quae eſt inter Orationes* 46.

CAPUT XVIII.

Generoſa Acta contra Apollinariſtas haereticos : ſolicitudo pacis Eccleſiaſticae.

AD cumulum malorum omnium eſt etiam ſuperadditum illi, quod Apollinaris haereſis (*a*) ſectatores, Romam ac Damaſum Romanum Pontificem profectos, illic dolo agentes, ſe eſſe Catholicos prolata fidei Catholicae confeſſione mentiti ſunt; qua de cauſa ea etiam arte communicatorias litteras ab eodem ſuffurati, in Orientem reverſi, de communicatione Damaſi gloriantes, ut Catholici inter Catholicos ſe miſcebant; ſicque & in Gregorii amicitiam inſinuaverant. Unde factum eſt, ut etiam ſocium habere Gregorium in pravo dogmate ſe jactantes, etiam ſuarum partium illum eſſe fautorem ſpargerent in vulgus. Horum [1] praecipuus erat Vitalis Antiochenus, qui, ut vidimus Hieronymo auctore, ſicut de Cummunione Damaſi impudenter gloriabatur, ita de ſocietate Gregorii inſolenter efferebatur. Hoc autem cum ex Cledonii (*b*) primarii viri litteris Gregorius percepiſ-

(*a*) *Inter prima quae Conſtantinopolim advenienti Gregorio ſubnata incommoda ſunt, ſchiſma fuit Apollinariſtarum: quos, quia alieni erant ab aliis haereſibus tunc vigentibus, nondum audebat numerare inter hoſtes; ſed de iis, tamquam veris adhuc eccleſiae membris, ſic loquitur in Orat. 14. quae de pace eſt.* Nos etiam adverſus nos ipſos pene contendimus, qui, quantum ad caput attinet belle valemus (*dicebant enim Apollinariſtae ſe cum Eccleſia Romana tenere unitatem*) ac pro iiſdem & adverſus eoſdem contendimus. De fraterno illo diſſidio non ita pridem exorto loquor, ex quo & Deus & homo ignominia afficiuntur: ille videlicet nec pro nobis quidem omnino genitus & cruci affixus, ac proinde nec ſepultus nec a morte revocatus (quemadmodum nonnullis praepoſtere Chriſtum amantibus placuit) verum hic tantum honoratus, ubi honor in dedecus & contemptum recidit, atque ob eam cauſam in duos Filios diſſectus aut compoſitus: hic autem non perfecte aſſumptus, aut honore affectus; ſed maxima ex parte abjectus aut abalienatus; ſiquidem maximum in hominis natura eſt divina imago mentiſque vis & facultas. *Hi igitur, quia Verbi fatebantur divinitatem, aſſumptamque ab eo humanam carnem, licet ſine mente, quia pro hac volebant eſſe ipſam aeternam Sapientiam, non omnino cenſebantur haeretici; ideoque motam ab ipſis controverſiam (perquam moleſtam & importunam eo tempore, quo tam pauci cenſebantur orthodoxi reſpectu infinitae multitudinis haereticorum)* ζυγομαχίαν ἀδελφικὴν *tunc appellavit Gregorius, ſimilitudine ſumpta a bobus ſub eodem jugo non plane concordibus. Tali autem Gregorii erga ſe indulgentia abuſi illi, interim dum ipſe Conſtantinopoli agit, Nazianzenam Eccleſiam inficere non mediocriter.*

(1) Hier. ep. 82.

(*b*) *Hermant exiſtimat ſatis veroſimiliter, quod Sanctus de hoc agat Carm. 47. ad Hellenium circa annum 382, opem poſcens.*

Cle-

cepiſſet, vehementer excanduit: confeſtimque ad eum de eadem re reddidit litteras (*a*), quibus ſe de ſuſpicione Apollinarianae haereſis expurgaret, iiſdemque tam Apollinarem quam Vitalem execrans atque condemnans, ſcitis argumentis eorum dogma confutavit improbavitque.

At de Vitalis communicatione hujuſmodi affert cauſam & rationem: (Ne nos, inquit, accuſent ut Vitalis fidem, quam ita poſtulante B. Damaſo Romae Epiſcopo conſignatam edidit, amplexatos, nunc vero improbantes,) &c. Ad eumdem de Vitali rurſum: (Nec vero indignum cenſendum eſt (quamvis grave & indignum ſit) quod homines illi pernicioſa ſua dogmata [1] ſimplicioribus animis per alios verſutiores & magis ſceleratos infundunt; ſed quod nos eadem opinione & ſententia eſſe mentiuntur, hamum ſuum hac eſca circumtegentes, atque hoc fuco & praetextu cupiditatem ſuam nefarie explentes, ſimplicitatemque noſtram (qua fiebat, ut non alienorum locò eos haberemus, ſed fraterna dilectione complecteremur) in foederis occaſionem abripientes. Illud etiam indignitatis accidit, quod ab Occidentali Synodo, ſeſe (ut audio) ſuſceptos eſſe affirmant, a qua eos prius damnatos eſſe, nemini obſcurum eſt. Quod ſi vel nunc vel ante ſuſcepti ſunt qui cum Apollinari ſentiunt, hoc oſtendant, & nos acquieſcemus. Perſpicuum erit enim eos rectae doctrinae aſſentiri: nec enim res aliter ſe habere poteſt, ſi hoc ſunt conſecuti. Id omnino liquebit, ſi vel Synodalem Codicem, vel Epiſtolas quibus ad communionem admitti jubeantur, attulerint: nam ſic Synodorum mos eſt. Sin autem haec mera verba & figmenta ſunt ſpecioſi cujuſdam coloris, fideique ob perſonarum gravitatem auctoritatemque imperitae multitudinis nanciſcen-

Cledonio primum leni, qui vivit egenis.
Et Chriſto prompto pectore cuncta dedit:
Se primo: poſt quidquid opum cenſuſque tenebat,
Nil humili ut vitae liquerit ipſe ſuae:
Qui cum terrenis quondam floreret in aulis,
Majus apud noſtros nunc habet ipſe decus:

(*a*) *Sunt hae Epiſtolae duae, quae inter Orationes collocatae leguntur numeranturque 51. & 52. Sunt autem ſcriptae a Sancto cum adhuc Conſtantinopoli ageret, relicto pro ſe Nazianzi vicario Cledonio, uti nobis videtur: quia hic velut ex officio admonuit Gregorium, quam mala de eo fama vulgaretur; eique iſtud publicae profeſſionis remedium poſtulanti, ipſum prompte mittens Sanctus, primam de hoc argumento Epiſtolam ſic finit*: Haec te apud multitudinem atteſtari volumus, ut ne gravemur, tamquam hujuſmodi malum diſſimulantes, ac per ſocordiam noſtram committentes, ut pravum dogma latius ſerpat ac robur capiat. *Quod autem hic idem Cledonius ſit, qui cum titulo Iconienſis Presbyteri Conſtantinopoli ſubſcripſit teſtamento ipſius Sancti Gregorii, nobis non facile perſuadebitur.*

(1) Ad Cled. de Vitali.

eiſcendae cauſa ab ipſis excogitata; eos, ut quieſcant, doce & refuta). Haec Gregorius, qui quantum Occidentali judico, ipſi [inquam] Romano Pontifici detulerit, ex prędictis apparet.

Concepit ea ex cauſa acerbiſſimum odium Gregorius adverſus haereſim Apollinaris, ut eam verbis ac ſcriptis confutare numquam ceſſarit. Immo cum ille ad alliciendam plebeculam novos quoſdam pſalmos carminibus ſcriberet, ea ratione ut ſacram Eccleſiae pſalmodiam interverteret; Gregorius, ne Catholici inferiores viderentur in hac parte, adjecit animum, ut verſibus quam plurima dictaret, ita tamen ut primum locum in Eccleſia tribueret pſalmis Davidis. De his ibidem agens, haec ait de adinventione Apollinaris. [Quod ſi prolixi libri, & nova pſalteria Davidique ex adverſo reſonantia, & verſuum lepos pro quodam tertio teſtamento habetur; nos quoque pſalmos elaborabimus, & multa ſcribemus & modulabimur, quandoquidem ipſi quoque videmur ſpiritum Dei habere; ſi tamen ſpiritus gratia haec eſt, & non potius humana novatio. Haec te apud plebem proteſtari volumus] &c. Haec Gregorius ad Cledonium. Teſtatur S. Hieronymus Gregorium quamplura eleganti metro (*a*) ſcripſiſſe: Catholica autem Eccleſia ejuſmodi Apollinaris pſalmos vulgares cani prohibuit in eccleſia. Quae autem poſt haec Gregorius egerit adverſus Apollinariſtas, ſuo loco dicemus inferius.

Sequenti anno a Synodo Conſtantinopolitana, Syagrio item & Antonio Coſſ. Eccleſiaſticis urgentibus cauſis, iterum Synodus Epiſcoporum coacta eſt Conſtantinopoli: ad quam Gregorius Procopii praefecti litteris, Imperatoris nomine iterum atque iterum vocatus eſt. Qui licet animo concepiſſet numquam amplius adſore Epiſcoporum conventibus, ne illorum mutuas altercationes audiret; tamen malae valetudinis cauſam praetexens, in hunc modum ad eum reſcripſit [1]: [Ego, ſi vera ſcribere oportet, ita affectus ſum animo, ut omnia Epiſcoporum Concilia fugiam: quoniam nullius Concilii finem laetum fauſtumque vidi, nec quod depulſionem malorum magis, quam acceſſionem & incrementum habuerit]: Et poſt alia: [Nunc vero huic meo judicio patronus

(*a*) *Inter haec ſunt graeces complures. & Jambica contra Apollinarium de Incarnatione: quae ſequuntur mox alia, quibus cur verſu ſcribat rationem reddit, 1. ut ſic brevior ſit, 2. ut juventuti proſit, 3. ne Chriſtiani hac in parte cedere videantur gentilibus, 4. ut ſeipſum cantu recreet tamquam ſenex, Cygnus, quare poſtrema ejus carmina a veteri interprete, quo uſus Baronius, vocantur Cygnaea, quae in ſequenti capite ſaepe allegantur, nec lubet ſingula in nova Morelli editione requirere, ubi hic titulus deeſt.*

(1) Ep. 55.

tronus morbus accedit, quippe qui me ita diſtorqueat, ut quotidie ſere extremos ſpiritus afflem, nec ulla re me ipſo uti queam. Atque ob hanc cauſam ignoſcat mihi Magnitudo tua, detque operam ne pientiſſimus Imperator me inertiae condemnet, ſed infirmitati veniam det]. Haec & alia Gregorius ſe excuſans, Cumque adhuc juſſio Imperatoris urgeret, & Icarius afferret ad eum Imperatoris edictum; quid reſcripſerit ad Imperatorem, non apparet. Ad Olympium autem Praeſidem Cappadociae ſcribens, haec ait [1]: (Hoc mihi morbo gravius eſt, quod nec aegrotanti quidem fides habetur, ſed peregrinationem ita longam inire jubeat, atque in medios tumultus me intrudere, quorum ſeceſſionem ita amavi, ut hoc nomine, gratiam quoque corporis afflictioni propemodum habeam.

Haec Gregorius, qui revera antea ſtatuerat numquam intereſſe Epiſcoporum Conciliis. Unde haec interdum ait. [Mihi enimvero certum eſt deliberatumque numquam poſt hac anſerum aut [2] gruum inter ſe pugnantium Synodis intereſſe, quibus omnia contentione & bello ardent, flagitiaque prius obſcura atque incognita, in unum collecta ab inimicis in lucem producuntur: horum enim cauſa inter humiles & plebejos ſedeo]. In eamdemque fere ſententiam ſcripſit ad Theodorum Epiſcopum Tyanenſem (*b*). Haec Gregorius: qui tamen ita animo compoſitus fuit, ut licet Synodos vitaret, ea tamen quae ad Catholicam fidem ſpectare videret, naviter impleret; immo non ſecus ac Orbi praeeſſet, ſic cura omnium Eccleſiarum illum coepit, ut non niſi in ea incumberet, quae ad haereſum deſtructionem & fidei Chatholicae propagationem ſpectare conſpiceret; ut quae paulo inferius dicemus, optime declarabunt.

Adhuc autem ſequenti anno, Merobaude iterum & Saturnino Coſſ. Epiſcopi iterum Conſtantinopolim convenerunt ad Synodum. Gregorius ſolicitus de his, quae ſpectant ad fidem, ad Poſtumianum, eo anno Praefecturam Praetorii adminiſtrantem, litteras dedit his verbis: [Nihil tam imperio tuo convenire exiſtima [quandoquidem [3] rurſus Epiſcoporum Synodus celebratur, haud ſcio qua de cauſa, aut quomodo coeuntium] quam ut te Praefecto ac tua opera, Eccleſiae ad pacem reducantur, etiam ſi eos

(1) Ep. 76

(2) De vita differentiis.

(*b*) *Ep.* 84. Vocas? Nos vero properamus. Properamus autem, ut ſoli cum ſolo congrediamur, Synodos enim atque colloquia publica procul ſalutamus: ex quo ſcilicet tempore multa eorum, ut parce loquar, improba & flagitioſa eſſe comperi.

(3) Ep. 71.

eos qui diſſidiis & factionibus contendunt, apertius objurgare oporteat. Quod ſi cuipiam nimium curioſus eſſe videar, quod cum a negotiis ſeceſſerim, non tamen curam & ſolicitudinem abjecerim, hoc memineris: non quemadmodum a throno & faſtuoſo ſupercilio, ita etiam a pietate ſeceſſimus. Quin potius eo majorem fidem auctoritatemque apud te habiturus mihi videor, ut qui non rem meam privatam, ſed publicam utilitatem curem]. Haec ille ad Poſtumianum, eodemque argumento litteras dedit ad Saturninum Conſularem, ac inter alia [1]. [Omnia [inquit] apud nos Dei beneficio recte ſe habent, hoc uno excepto, quod de Eccleſiis anxii & ſoliciti ſumus tam foede perturbatis. His quidquid operis afferre potueris ad communem concordiam, & re & ſermone impigre conſtitue. Quandoquidem rurſus Epiſcopi coeunt, metuendum rurſus eſt, ne nunc quoque pudore ſuffundamur, ſi haec quoque Synodus parum praeclarum finem habuerit, quemadmodum & prius]. Haec Gregorius.

Praetermittimus hic tractare, quae in ea acta ſunt Synodo: ſatis ſit ſcire, Poſtumianum impigre ex ſententia Gregorii res Catholicae Eccleſiae procuraſſe, tum apud Epiſcopos, tum etiam apud Imperatorem, qui hoc ipſo anno iiſdemque Coſſ duo reperitur dediſſe reſcripta ad ipſum Poſtumianum, adverſus omnes quae tunc graſſabantur haereſes. Haereticos enim urbe agriſque pellendos ſanxit, omnemque coeundi poteſtatem iiſdem ademit, atque ordinationem miniſtrorum inhibuit. Qui his legibus percelluntur ſunt hi; Ariani, Eunomiani, Macedoniani, Apollinariani, Encratitae, Apoſtatici, Saccophori, & Hydroparaſtatae. Haec autem omnia ab Imperatore ad Poſtumianum reſcripta, jure accepta ferimus noſtro Gregorio, qui ſtatum Eccleſiae Dei eidem pro viribus commendavit. Viguit harum legum viridis obſervantia aliquamdiu, fere uſque ad quinquennium: ſed (ut accidit) cum jam tepeſcere inciperent, praedicti hearetici (*a*) ſe rurſum obtrudere in Eccleſias, coventum facere, ac Epiſcopos per loca ordinare praeſumpſerunt. Haec audiens Gregorius, zelo fidei Catholicae percitus, dormientem in his Nectarium Conſtantinopolitanum Epiſcopum, ſcriptis ad eum litteris (*b*) vehementi admiratione compellans, cum ejuſmodi peſſima facta

(1) Ep. 72.

(*a*) *Praeſertim Apollinariſtae, quibus atque ac Catholicis aliis conventus ſuos habere Theodoſius, neſcio qua arte inductus, permiſerat.*

(*b*) *Haec Epiſtola eſt 46. inter Orationes, ut ſupra dixi.*

recenſeat, haec ſubdit in fine: (Si his, qui talia ſentiunt, coetus habere licet, illud velim cogitet & expendat tua in Chriſto illuſtris prudentia, quod cum nobis cum eorum dogmatibus non conveniat, coetus habendi poteſtatem illis factam eſſe, nihil aliud eſt, quam eorum doctrinam noſtra veriorem exiſtimare. Nam ſi illis, ut piis, & orthodoxis, ea quae ſentiunt docere libereque promulgare permittitur; quis non videt doctrinam Eccleſiae condemnari, perinde ac veritate ex illorum partibus ſtante? Neque enim rerum natura fert duas de eadem re doctrinas eſſe veras. Quomodo igitur excelſus & praeſtantiſſimus animus tuus, ad tanti mali depulſionem & correctionem, conſueta libertate non uti ſuſtinuit? Verum ſi nondum eſt hoc factum, inimitabilis tua omnibuſque numeris abſoluta virtus excitetur; pientiſſimumque Imperatorem doceat, nihil ex reliquo ipſius *erga* Eccleſias ſtudio rediturum eſſe utilitatis, ſi tale malum ad fidei ſanae everſionem per eorum libertatem licentiamque praevaleat). Haec Gregorius ad Nectarium.

Quantum autem praedicta Gregorii commonitio ad eum ſcripta profecerit, ſatis ſignificat Theodoſii adverſus Apollinarianos edictum, quo Conſulatu ſuo ſecundo inito cum Cynegio (*a*) edixit his verbis: (Apollinarianos, ceteroſque diverſarum haereſeon ſectatores, ab omnibus locis jubemus inhiberi a moenibus urbium, a congreſſu honeſtorum, a communione ſanctorum. Inſtituendorum Clericorum non habeant poteſtatem. Colligendarum congregationum vel in publicis, vel in privatis Eccleſiis careant facultate. Nulla eis faciendorum Epiſcoporum tribuatur auctoritas. Ipſi quoque Epiſcopi nomine deſtituti, appellationem hujus dignitatis amittant. Adeant loca, quae hos potiſſimum quaſi vallo quodammodo ab humana communione ſecludant. Hiis etiam illud nectimus, ut ſupra memoratis omnibus, adeundi atque interpellandi Serenitatem noſtram aditus denegetur. Datum ſexto Idus Martii Theſſalonicae, Theodoſio ſecundum & Cynegio Coſſ.) Conſerat haec lector cum his, quae ad Nectarium Gregorius ſcripſit, invenietque hujus condendae legis Gegorium noſtrum fuiſſe auctorem: idque perſpicue magis intelliget, ſi ejuſdem Gregorii ad Olympium Cappadociae Praeſidem leget litteras, quibus quiritatur illos eo audaciae perveniſſe; ut depoſitos a Synodis Epiſcopos, eoſdem perficerent gregibus ſuis Praeſides. Eadem Epiſtola ſe jam ad balnea, medicorum conſilio profectum eſſe

(*a*) *Conſulatus is annum notat 388. qui Sancto fere ultimus fuit.*

ſe indicat, cum ait: (Quoniam autem longius me morbus provexit, & Xanxaridis thermis mihi de medicorum conſilio uti neceſſe eſt, litteras mihi vicarias ſubſtituo).

C A P U T XIX.

Pius obitus. Miraculum muti ad ejus ſtatuam ſanati.

HAEc ille: qui etſi in his, quae ad Catholicam fidem ſpectant, multus eſſet, non neglexit ea in aliis curare, quae ad Chriſtianae diſciplinae mores componendos pertinere conſpiceret. In quo genere, quam libero animo eſſet, ut nullam vereretur perſonam potentis alicujus, perbrevis illa Epiſtola, quam ſcripſit ad Celeuſium Praefectum [1], ſit in exemplum, digna ſane quae recenſeatur. (Loquar quae & amicitiae noſtrae, & hujuſmodi tempori conveniunt. Legibus injuriam facis Judex, qui non jejunas, & quomodo leges humanas ſervabis, qui Divinas contemnis, & pro nihilo putas? Purga tribunal tuum, ne duorum alterum tibi accidat, ne aut malus fias, aut exiſtimeris. Foeda ſpectacula proponere, ſeipſum traducere eſt. In ſumma, Judex, futurum ſcito, ut judiceris, & nihil peccabis. His nihil melius habebam, quod tibi praeberem). Haec Gregorius.

Cum autem, ut vidimus, Gregorius conſilio medicorum perrexiſſet ad Thermas, nihil inde utilitatis conſecutus, haec verſibus cecinit. [Adſum hic tibi aeger Chriſte, a medicis veniens, nullum alium fructum conſecutus, quam quod nihil pluris facere didici, quam te, a quo ut cetera proficiſcuntur omnia, ſic etiam remediorum vires]. Ac rurſum. [En tibi thermae, lavacrum hic jam habeo. Verum ubi mihi eſt Angelus quiſpiam, & aquam hanc mihi aptam ad medicandum reddito. Vel ſaltem tu, mi Salvator, dic verbum aliquod, & conſolidabor). Haec Gregorius. Qui cum indies magis morbo graveretur, ejuſque membrorum nullus pene eſſet uſus, illud tantum ſolatii ſibi reliquum fuit, ut verſibus luderet Cygnaeaque (a) carmina componeret, quibus praeteritarum ac praeſentium rerum ſtatum abſ-

(1) Ep. 74.

(a) Cygnaea carmina *dicit ſimpliciter, ut ſcripta a moribundo quis arbitretur, niſi ea in margine identidem citarentur ſub eo titulo, quem tamen in nulla hactenus editione reperio, uti nec carmina ipſa, unde hic varia allegantur.*

que aliqua inſolentia aut arrogantia (quod puriſſimi tantum ac candidiſſimi animi eſt) perbelle caneret, ut alter Job, quando conferens praeſentia cum praeteritis dicebat: Quis mihi tribuat, ut ſim juxta menſes priſtinos, ſecundum dies, quibus Deus cuſtodiebat me: quando ſplendebat lucerna ejus ſuper caput meum &c. [1]. Memoria enim repetens praeterita bona, haec ajebat: (Ubi mihi nocturnarum [2] cantionum ſtatio, quibus vel ſolum cum Chriſto commercium habens, vel in hominum coetu alternatim cantillandis hymnis mentem oblectans, pedes ſuſtentabam, ac vivi cujuſdam lapidis inſtar obrigebam? Ubi flexorum genuum dulcis labor, quo calentes lacrymas prius fundens, caliginoſam mentem colligebam? Ubi pauperum altrices manus, morbum conſoventes? Quo tandem infirmorum membrorum maceratio abiit? Non jam ad ſancta ſacrificia manum attollo, magnis Chriſti paſſionibus me ipſum immiſcens. Non jam gratam Martyribus choream ſtatuo, neque oratione in eorum laudibus inſtituta, praeclarum ſanguinem veneror. Situ carieque libri mei obſiti ſunt. Lucubrationes meae rudes adhuc & inchoatae, quibus quis tandem amicorum extremam manum apponet? omnia enim nunc viventi mortua ſunt), &c. Haec & alia multa ejus generis.

Addidit & lugubre carmen de poenitentia, quod ſoluta oratione latine redditum, ut & alia nonnulla, ſic exorditur [3]: (Extremae vitae certamen imminet, malam navigationem exegi, jam jamque quoque ſcelerum poenam cerno, tartarum caligine horrendum, ignis flammam, altiſſimam noctem, rerumque earum foeditatem, quae nunc tectae & incognitae, in lucem poſtea proferentur) &c. Scripſit & carmen ſui ipſius ex hac vita migrantis, in hunc modum:

(Sublimes tendo ſupplex ad ſidera palmas,
Suſcipe me Sancti turba beata chori.
AErumnis orbis gravibus replete, valeto.
Quem moriens poſt me deſero, parce gregi).

Rurſus autem animae ſuae cum corpore colloquentis haec verba [4]. (Cur vinculorum injectione conſtrictum me tenes, quae libera ſum? Chriſtus me vocat: tu iſtic jaceto quo projicieris. Excipito me Salvator, quamquam fateor non ſatis me eſſe purga-

(1) Job. 29.
(2) Carm. 60.
(3) Carm. 31.
(4) In Cygnaeis 106.

gatum). Et cum tentaretur a Diabulo, haec ipſe : (Rurſum acceſſit Draco. Te praehendo. Tene, tene me : imaginem tuam deſerere & abjicere noli, ne me adverſarius ille meus, tamquam avem nidi rapiat). At jam morti appropinquans ad Chriſtum ſe vocantem, haec ait. (Vocas tu me, vocas? ipſe autem accurro. Verum & ignem, & hiatum illum, & ardorem, flammamque divitis metuo. Quis me avectum in Abrahae ſinum deferet?) Haec & alia. Proxime moriturus Cygnaeo cantu ſanctiſſimus ſenex Domino cantans, puriſſimum Deo ſpiritum reddidit, ac optatam quietem cum agminibus Beatorum adeptus eſt.

Exceſſit ex hac vita Timaſio & Promoto Coſſ. anno undecimo Imperii Theodoſii Senioris, qui a recentioribus numeratur annus a Chriſto Domino trecenteſimus octogeſimus nonus. Haec autem de tempore ejus obitus ex S. Hieronymo ita deducimus, dum ille in libro de Scriptoribus Eccleſiaſticis agens de noſtro Gregorio, haec ait : Deceſſit ante hoc ferme triennium ſub Theodoſio Principe. Haec Hieronymus, qui cum tam in prooemio, quam in fine illius opuſculi, ſe illud ſcripſiſſe teſtetur anno decimo quarto ejuſdem Theodoſii Imp. neceſſario infertur Gregorium ejuſdem Imperatoris undecimo anno ex humanis deſiiſſe. Ex his quidem in primis errare redarguitur Proſperi Chronicon, ubi ponitur obitus Gregorii anno tertio Theodoſii Imperatoris, Syagrio & Euchario Coſſ. Eo enim anno habita eſt Synodus oecumenica Conſtantinopolitana, in qua ipſe (ut dictum eſt) ſe ab Epiſcopatu abdicans, in patriam rediit. Nec ſubſiſtunt ea, quae ſcribit Svidas, Gregorium vita functum anno decimotertio ejuſdem Imperatoris : ſicut nec nobis probantur, quae idem auctor de ejus aetate ſcribit, dicens annum natum nonageſimum deceſſiſſe. Secundum enim ejuſmodi annorum numerum dicendum eſſet, Gregorium cum Athenis eſſet, tempore, ut ipſe ait, quo illic erat Julianus poſt obitum Galli fratris, annum quinquageſimum quintum aetatis expleſſe, cum idem de ſe ſcribat trigeſimum aetatis (a) tunc annum egiſſe, cum poſt receſſum Baſilii, ipſe publice Rhetoricam profiteri cogitur, quando non poſt multum temporis ſpatium Athenis & ipſe receſſit, in patriam rediens : quod (ut vidimus) contigit paulo ante Conciliabula Seleucienſe & Ariminenſe, quae celebrata ſunt Euſebio & Hypatio

(a) *Ager: eo loco Gregorium de anno 30. ſtudii ſui Rhetorici, oſtendimus in praevio commentario: ruit igitur hoc contra Suidam argumentum, quoad annum aetatis, quem libenter tenemus cum illo: ſed quoad annum mortis major Hieronymi auctoritas cogit ab eo diſcedere.*

tio Coſs. Ex quibus omnibus inferri poſſe videtur, Gregorium non exceſsiſſe annum aetatis ſexageſimum ſecundum, natumque eſſe anno ſecundo a Nicaeno Concilio.

Fuit Gregorius valido ac robuſto corpore, ſed, ut ait, morbis aſſiduis ac vitae moleſtiis hebetato, fracto, ac pene corrupto, ac ea de cauſa ſibi acceleratam ſenectutem ipſe teſtatur in carmine de rebus ſuis. Quod autem ſpectat ad vultus ejus effigiem, Anonymus Graecus auctor, qui habetur in Bibliotheca Vaticana inter orationes Hierotani item Graeci [1] ſcriptoris, haec ſcribit. (Statura mediocri erat, pallidus aliquantulum, non tamen citra venuſtatem: depreſſo naſo, ſuperciliis in rectum protenſis, aſpectu blando & ſuavi, altero oculo nempe dextro ſubtriſtis, quem cicatrix quaedam contrahebat, barba non promiſſa, ſed denſa tamen. Qua parte calvus non erat, nam ſubcalvus erat, albos crines habebat, ſummas item barbae partes velut fumo obſitas oſtendebat). Haec Graecus auctor, quibus quidem conſentanea ſunt ea, quae ipſe de ſe ſcribit, nimirum pallor, & macies, oculi cicatrix, atque calvities. Innumera fere ſunt de ſanctiſſimo & diſertiſſimo viro Patrum elogia, quae nec quiſvis facile colligere queat. Satis ſit ad laudem ejus; Patres omnes tam Latinos quam Graecos, in aſtruendis dogmatibus, in oppugnandis haereſibus, ac in interpretandis etiam divinis Scripturis, Gregorii meminiſſe, ipſum ſectatos eſſe, eidemque acquieviſſe; Gregoriumque e ſuggeſtu, e cathedra, ore omnium celebratum; eumdem denique in ipſis ſacris Conciliis velut redivivum e Throno loquentem, in haereticos invehentem, fidem Catholicam propugnantem, ſuffragia dantem, ac ſubſcribentem ſemper intuiti, reveriti, ac ſecuti ſunt Patres omnes. Quid exteros memorem? Sane quidem Euſtorgius (*a*) Arianus, qui iiſdem cum illo temporibus vixit, cum praecipuos viros recolat, propugnatores Filii Dei cum Patre conſubſtantialitatis, tam illorum, quam omnium qui antea vixerunt, Gregorio, ut omnium principi, primas defert: ut quem in dicendo, Baſilio graviorem & Apollinari uberiorem fuiſſe contendat.

Natalem ejus diem, ut ſacroſanctum, tam Occidentalis quam Orientalis Eccleſia, in ejus memoriam celebri ſolemnitate agere conſuevit, & uſque modo agere perſeverat, ejuſque ſacram Imaginem, vel coloribus pingere, vel marmore ſculpere, more majorum in Baſilicis moris fuit. Quae non tantum ejus effi-

(1) Cod. 549. in Vatic.

(*a*) *Apud Suidam in Apollinari.*

effigiem repreſentarent, ſed & in operatione miraculorum vivam redderent, ut factum conſtat conſecutis temporibus, cum Michael Balbus Inconoclaſta Orientale Imperium invaſiſſet, ſuſtuliſſetque paris impietatis Imperatorem Leonem Armenum, Conſtantinumque ejus filium virilibus amputatum, relegaſſet in inſulam: cui quidem cum uſus vocis ea de cauſa penitus interceptus eſſet, ac redditus omnino mutus; cum ille loquelae reſtitutionem a Deo cupiens, per S. Gregorium Theologum, cujus illic erat ſacra ſtatua, flagitavit. Exaudivit eum ille, cujus imago per viſum apparuit, jubens ceram, quam deſcriptam in manu haberet, legere. At ille viſis fidem adhibens, mane ingreditur Eccleſiam, illicque conſpecta Gregorii ſtatua, prae ſe ferente imaginem ejus, quem nocte viderat, ſchedulamque eamdem in manu habentem, ubi exordium orationis in ſancta lumina inſcriptum erat his verbis, Rursus Jesus meus; acceſſit, ut juſſus erat, ut legeret. Quae quidem verba, cum primum voce clariſsima recitaſſet, deinceps ſemper recte locutus eſt. Haec produnt Graecorum (a) annales.

Jam ad calcem pervenimus. Et in his quidem, quae ſpectant ad orationis ornatum, ut mihi videor, jejune nimis (ſi enim rhetorum more haec agenda fuiſſent, latiſſimus erat campus, in quo exultare potuiſſet oratio); in his autem quae ad ſinceriſsimam veritatem pertinent, quam unice profitemur, ejuſmodi eſſe non dubito, ut vix alicui in eo concedam. Quidquid autem laboris, quicquid induſtriae atque ſolertiae, veri tantum amantes, impendimus, munus exiguum, ſed primitias lucubrationum noſtrarum, tibi ipſi, o Pater, offerimus, qui cum coeleſtibus ſpiritibus luce illa incircumſcripta ſanctiſsimae Trinitatis revelata jam facie illuſtraris. Rependе gratiam Caeſari tuo, jucundiſsimumque tibi nomen in fratre, ne deſpicias in Cliente. Impertire multiplicem ac copioſam benedictionem, quo dignus inveniar hic ſublimia illa tua affectari veſtigia, tecumque tandem Chriſto perfrui, una cum Patre, & Spiritu ſancto in ſempiterna ſecula. Amen.

EPI-

(a) *Cedrenus in Michaele Balbo* 2. *hic autem Leonem Armenum de medio ſuſtulit in nocte Natalis Domini an.* 820.

Finis Vitae S. Gregorii Nazianzeni.

EPITAPHIUM (a).

Cur carnis laqueis tu me, Pater, implicuisti?
Cur ſubſum vitae huic, quae mihi bella movet?
Divino Patre ſum genitus, ſanctaque parente:
Hac mihi lux vitae namque precante data eſt.
Oravit, ſummoque Deo me vovit, et ortus
Eſt mihi per ſomnum virginitatis amor.
Iſta quidem Chriſti: poſt at ſubjere procellae
Rapta mihi bona ſunt, fracta dolore caro.
Paſtores ſenſi, quales vix crederet ullus:
Orbatuſque abii prole, maliſque gravis.
Gregorii haec vita eſt; at Chriſto poſtera curae,
Qui vitae dator eſt. Exprimat iſta lapis.

IN-

(a) *Eſt inter Carmina trigeſimum, vitaeque epitomen continet.*

Hermant opus ſuum, quod de S. Gregorii Nazianzeni deque S. Baſilii hiſtoria communiter ſcripſit, duobus paralellorum libris concludit: quorum primus eorum virtutes perfectiſſimas, alter doctrinam & ſenſa inter ſe comparat; quod noſtri quidem inſtituti non eſt, eſt tamen notatu ac lectu digniſſimum, ad perfectam utriuſque laudationem complendam. Lubet igitur vel capitum titulos hic ſubjicere, ex Gallico Latine redditos.

LIBRI XI. CAP. I. Comparatio horum duorum Sanctorum quoad patriam, *quam ſcilicet nullam norant niſi coeleſtem.*
II Sanctitas familiae, in qua natus uterque, inter ſe comparata.
III De doctrina & eloquentia utriuſque.
IV Uterque ſacrarum Scripturarum ſtudium laudabili aemulatione commendat.
V Quam conformi inter ſe ſenſu ſacras traditiones ſint venerati.
VI De fide eorum, quaſque eis de idolatria victorias attulerit.
VII Quomodo per eamdem de haereſibus triumpharint.
VIII Ut eaſdem haec mundi contemptores ac victores reddiderit.
IX Quam ſimilem ſolitudinis amorem ipſis eadem inſpirarit.
X Spes utriuſque firma, & perfecta in Deum fiducia.
XI De utriuſque ardenti erga Deum caritate.
XII De eorum erga Eccleſiam amore.
XIII De aequali in utroque pacis Eccleſiaſticae ſtudio.
XIV De caritate utriuſque in proximum, propenſaque ad eleemoſynas voluntate.
XV De eorum prudentia.
XVI De eorumdem juſtitia.
XVII De temperantia & caſtitate.
XVIII De fortitudine & magnanimitate.
XIX De profunda utriuſque humilitate.
XX De perfecta inter ſe amicitia, omnibus in exemplar abſolutiſſimum propoſita.

LIBRI XII. CAP. I. Axiomata eorum circa neceſſitatem vocationis ad ſtatum Eccleſiaſticum.
II Quam graviter uterque reprehenderit praecipitationem eorum, qui eodem ſe non vocati attollunt.
III Quas conditiones uterque in Epiſcopis & populi magiſtris requiſierit.
IV Quam ſublimem de virginitate Chriſtiana opinionem habuerint.
V Quales in Virginibus Chriſtianis ac Religioſis dotes optarint.
VI Inſtructiones ad uſum conjugatorum ex utriuſque ſcriptis collectae.
VII Muliebris luxus ac vanitatis ſecularis indidem accepta reprehenſio.
VIII Eximia utriuſque ſenſa, ad humani faſtus depreſſionem ſpectantia.
IX Similes utriuſque adverſus avaritiam invectivae.
X AEqualis zelus ad impuritatem & libidinem eliminandam.
XI Par ſeveritas adverſus gulae vitium.
XII Qualem uterque reliquerit deſcriptam invidiam.
XIII Adverſus iracundiam invectivae utriuſque.
XIV Quid de triſtitia & acedia uterque ſenſerit.

INDEX
CAPITVM
VITAE S. GREGORII NAZIANZENI.

CAPVT I.

PAtria, parentes, educatio, caſtitatis amor viſione roboratus. pag. 243.

CAPVT II.

Studia Caeſareae Paleſtinae, Alexandriae, & Athenis peracta. Varia diſcrimina vitae depulſa. pag. 252.

CAPVT III.

Intima cum Sancto Baſilio amicitia. Praeſagium de Juliano; diſceſsus Athenis. Acceſſus S. Caeſarii fratris. pag. 260.

CAPVT IV.

Vita aliquamdiu Nazianzi peracta: ſchiſma ſublatum. Ejus & S. Baſilii Sacerdotium. Auxilia parentibus aegris praeſtata. pag. 268.

CAPVT V.

Vita in Eremo cum S. Baſilio peracta. Inſtitutum vivendi horum & aliorum arctum. pag. 277.

CAPVT VI.

Res eccleſiaſticae curatae. Euſebius Caeſarienſis & Gregorius Nyſſenus contra Arianos excitati. Obitus fratris & ſororis. pag. 283.

CAPVT VII.

Epiſcopatus S. Baſilii promotus. Fama ejuſdem propugnata. Exules confortati. pag. 290.

CAPVT VIII.

Epiſcopus Saſimorum poſt acrem tergiverſationem ordinatus Gregorius. pag. 298.

CAPVT IX.

Seceſſus in Eremum. Reditus ad patrem. Hujus & matris obitus. Eccleſiae adminiſtratio. pag. 302.

CAPVT X.

Poſt obitum Sancti Baſilii Conſtantinopolim evocatus Gregorius, refutandis haereticis Theologi nomen acquirit. pag. 309.

CAPVT XI.

Arianorum injuriae toleratae, pervicacia ſuperata a modeſtiſſimo in omnibus Gregorio: hujus diſcipulus S. Hieronymus. pag. 317.

C A P V T XII.

Electio ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum. Maximi intruſi fraudes & ejectio. pag. 324.

C A P V T XIII.

Conſtantinopoli manere coactus, a Theodoſio Imp. Catholico indicitur in ſummae aedis poſſeſſionem: a populo expetitur in Epiſcopum. pag. 332.

C A P V T XIV.

In thronum invitus collocatus Gregorius, teſtamentum ſuum condit. pag. 339.

C A P V T XV.

Teſtamenti hujus veritas defenſa & illuſtrata. pag. 348.

C A P V T XVI.

Fruſtra pro Eccleſiae Antiochenae pace laborans Gregorius, partium incurrit invidiam, ejuſque inſtitutionem in dubium vocantibus nonnullis, ipſe ultro ſe abdicat. pag. 356.

C A P V T XVII.

Nazianzum regreſſus Eccleſiae iſtae conſulit, deinde Arianzum ſecedit Gregorius: hujus aerumnae variae. pag. 372.

CAPVT XVIII.

Generoſa acta contra Apollinariſtas hæreticos: ſollicitudo pacis eccleſiaſticae. pag. 381.

CAPVT XIX.

Pius obitus. Miraculum muti ad ejus ſtatuam ſanati. pag. 387.

Epithaphium. pag. 392.

FINIS.

Digitized by Google

ERRATA CORRIGE.

IN EPISTOLIS.

Pag. 53. in notis col. 1. lin. 28. edita	adita
pag. 54. in notis col. 1 lin. ult. hilus	filius
pag. 74. in notis col. 2. lin. 1. inerque	interque
pag. 91. lin. 10. qua	quae
pag. 118. lin. 18. praedermioationem	praedeterminationem
pag. 122. lin. penult. tum	nunc
pag. 129. lin. 7. & bene priori	& bene a priori
pag. 142. lin. 9. Dicaculi	Diaculi
pag. 162. lin. 20. retuliſtis	retulerunt
pag. 164. lin. 10. quod aggreſſus opus	quod aggreſſus es opus
pag. 165. lin. 6 Martyris	Martyrium
pag. 173. lin. 28. ſuum coactus	ſum coactus
pag. 177. lin. 14. Clama nec eſſes	Clama ne ceſſes
Ibidem lin. 15. quaſi turba	quaſi tuba
pag. 184. lin. 1. proſami	proſani
pag. 190. lin. 32. profleſſione	profeſſione
pag. 193. lin. 35. immolandum	immorandum
pag. 197. lin. 15. eadem	eamdem
pag. 204. lin. penult. lagit	legit
pag. 215. lin. 10. qui	quin
pag. 221. lin. 11. eſtrattata	eſtratta
pag. 222. lin. 17. in not. col. 2. muniſmatibus	numiſmatibus

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE.

IN VITA S. GREGORII.

Pag. 243. in notis col. 2. lin. e. Divinitatem	Nativitatem
pag. 244. in not. cnl. 1. lin. e3. praebulit	praebnit
pag. 250. lin. 36. nmnem	nomen
pag. 257. lin. 22. Reddie	Reddidit
pag. 260. lin. 2. poſt aliquot	pnſt aliquod
pag. 267. lin. 10. diſcendi	diſcedendi
pag. 274. lin. 15. ut conſtaret	ut conſtabit
pag. 291. in not. col. 1. lin. 17. quo	quod
pag. 298. lin. 19. pertinens	pertioentee
pag. 301. lin. 7. everſatus	averſatus
pag. 309. lin. 14. conſularns	cnnſolatus
pag. 314. lin. 6. illis	Illic
pag. 315. in not. col. 1. lin. 10. oondum	nodum
pag. 322. lin. 27. illa	illam
pag. 331. lin. 7. exemplo	extemplo
pag. 344. in not. col. 2. lin. 8. annum	annuum
pag. 348. lin. 2. inveniatur	inveniantur
pag. 358. lin. 28. excidant	exçindant
pag. 354. lin. 25. illam	illa
pag. 369. lin. 12. penſundi	profudi
pag. 376. in not. col. 1. lin. ult. meodaclo	mendaci
pag. 377. lin. 16. cadevere	cadavere
pag. 378. in not. cnl. 1. lin. penult. ſua	ſuae
pag. 381. lin. 12. commuoioni	communione
pag. 386. lin. 20. quo	quod
pag. 389. lin. 2. Diatulo	Diabolo

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

CAPVT VI.

Res eccleſiaſticae curatae. Euſebius Caeſarienſis & Gregorius Nyſſenus contra Arianos excitati. Obitus fratris & ſororis. pag. 283.

CAPVT VII.

Epiſcopatus S. Baſilii promotus. Fama ejuſdem propugnata. Exules confortati. pag. 290.

CAPVT VIII.

Epiſcopus Saſimorum poſt acrem tergiverſationem ordinatus Gregorius. pag. 295.

CAPVT IX.

Seceſſus in Eremum. Reditus ad patrem. Hujus & matris obitus. Eccleſiae adminiſtratio. pag. 302.

CAPVT X.

Poſt obitum Sancti Baſilii Conſtantinopolim evocatus Gregorius, refutandis haereticis Theologi nomen acquirit. pag. 309.

CAPVT XI.

Arianorum injuriae toleratae, pervicacia ſuperata a modeſtiſſimo in omnibus Gregorio: hujus diſcipulus S. Hieronymus. pag. 317.

CA-

CAPVT XII.

Electio ad Epiſcopatum Conſtantinopolitanum. Maximi intruſi fraudes & ejectio. pag. 324.

CAPVT XIII.

Conſtantinopoli manere coactus, a Theodoſio Imp. Catholico indicitur in ſummae aedis poſſeſſionem: a populo expetitur in Epiſcopum. pag. 332.

CAPVT XIV.

In thronum invitus collocatus Gregorius, teſtamentum ſuum condit. pag. 339.

CAPVT XV.

Teſtamenti hujus veritas defenſa & illuſtrata. pag. 348.

CAPVT XVI.

Fruſtra pro Eccleſiae Antiochenae pace laborans Gregorius, partium incurrit invidiam, ejuſque inſtitutionem in dubium vocantibus nonnullis, ipſe ultro ſe abdicat. pag. 356.

CAPVT XVII.

Nazianzum regreſſus Eccleſiae iſtae conſulit, deinde Arianzum ſecedit Gregorius: hujus aerumnae variae. pag. 372.

C A P V T XVIII.

Generoſa acta contra Apollinariſtas haereticos: ſollicitudo pacis eccleſiaſticae. pag. 381.

C A P V T XIX.

Pius obitus. Miraculum muti ad ejus ſtatuam ſanati. pag. 387.

Epithaphium. pag. 392.

F I N I S.

ERRATA CORRIGE.

IN EPISTOLIS.

ERRATA	CORRIGE
Pag. 53. io notis col. 1. lin. 28. edita	adita
pag. 54. in notis col. 2 liu. ult. filus	filius
pag. 74. in ootis col. 1. lin. 1. inerque	interque
pag. 91. lin. 10. qoa	quae
pag. 118. lin. 18. praederminationem	praedeterminationem
pag. 122. lin. peoult. tum	nunc
pag. 129. lin. 7. & bene priori	& bene a priori
pag. 142. lin. 9. Dicaculi	Diaconi
pag. 160. lin. 20. retuliſtis	retulerunt
pag. 164. lin. 10. quod aggreſſus opus	qood aggreſſus es opus
pag. 165. lio. 6. Martyria	Martyrium
pag. 173. lin. 28. ſuum coactus	ſum coactus
pag. 177. lin. 14. Clama nec eſſes	Clama ne ceſſes
Ibidem lin. 15. quaſi turoa	qoaſi tuba
pag. 184. lio. 1. proſami	proſani
pag. 190. lin. 32. profleſſione	proieſſione
pag. 193. lin. 35. immolandum	immorandum
pag. 197. lin. 15. eadem	eamdem
pag. 204. lin. penult. lagit	legit
pag. 215. lin. 10. qui	quio
pag. 221. lin. 11. eſtrattata	eſtratta
pag. 222. lin. 17. io not. col. 2. muniſmatibus	numiſmatibus

Digitized by Google

ERRATA	CORRIGE.

IN VITA S. GREGORII.

Pag. 243. in notis col. 2. lin. 2. Divinitatem	Nativitatem
pag. 244. in not. col. 2. lin. 23. praebulit	praebuit
pag. 250. lin. 36. omnem	nomen
pag. 257. lin. 22. Reddit	Reddidit
pag. 260. lin. 2. poſt aliquot	poſt aliquod
pag. 267. lin. 10. diſcendi	diſcedendi
pag. 274. lin. 15. ut conſtaret	ut conſtabit
pag. 291. in not. col. 1. lin. 17. quo	quod
pag. 298. lin. 19. pertinens	pertinentes
pag. 301. lin. 7. everſatus	averſatus
pag. 309. lin. 14. conſulatus	conſolatus
pag. 314. lin. 6. illis	illic
pag. 315. in not. col. 1. lin. 10. oondum	nodum
pag. 322. lin. 27. illa	illam
pag. 331. lin. 7. exemplo	extemplo
pag. 344. in not. col. 2. lin. 8. annum	annuum
pag. 348. lin. 2. inveniatur	inveniantur
pag. 354. lin. 28. excidant	excindant
pag. 354. lin. 29. illam	illa
pag. 369. lin. 22. profuodi	profudi
pag. 376. in not. col. 1. lin. ult. mendacio	mendaci
pag. 377. lin. 16. cadevere	cadavere
pag. 378. in not. col. 1. lin. penult. ſua	ſuae
pag. 381. lin. 12. communioni	communione
pag. 386. lin. 20. quo	quod
pag. 389. lin. 2, Diatulo	Diabolo

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

005663179

Digitized by Google